



# In Esaiam prophetam scholia

<https://hdl.handle.net/1874/428542>


# IN ESAI=


AM PROPHETAM  
SCHOLIA EX D.  
MART. LVTHE=

R I prälectioni-  
bus collecta.

VVITTEBERGAE EX-  
eudebat Iohannes Lufft.

1 5 9 2.





## PRAEFATIO D. MART. Lutheri in Esaiæ lectionem.



VI HVNC PROPHE-  
tam Esaiam cum fructu aliquo le-  
gere, & sanè intelligere uolunt,  
illi, si nihil aliud quod sequuntur,  
habent, hoc meum consilium, quo  
compendiariam uiam lectori pro meo iudicio  
aperiam, sequi poterunt. Principio ne obiter præ-  
tereant titulum seu exordium huius Prophetiæ.  
Sed subsistant aliquandiu, donec titulum perfecte  
habeant cognitum, ne cum sibi bene intelligere  
Esaiam uidentur, ab alijs audiant, quod non solum  
Esaiam non intelligant, sed ne titulum quidem &  
primam exordij lineam recte norint. Nam titulus  
huius Prophetiæ est quasi commentarius, qui lu-  
cem præbet ad totum Prophetam rectius intelli-  
gendum. Et Esaias ideo eum in conspectu positum  
quasi digito lectori ostendere uoluit, ut esset *ceu*  
index quidam, quem ad Prophetiam suam rectius  
intelligendam sequeretur, qui breuiter summam  
totius operis lectori exponeret. Quare si qui uel  
contemnunt titulum, uel non recte intelligunt, illi  
aut obmittant Esaiæ lectionem, aut saltem fatean-  
tur se cum non recte intelligere. Impossibile enim  
est orationem & mentem Prophetæ eos assequi,  
qui non perfecte titulum habent cognitum.

Aa 2      Titulum

## P R A E F A T I O.

Titulum autem uoco, non solum ut nomina illa,  
Ufias, Iotham, Ahas, Ezechias rex Iudee &c. legas  
et intelligas, sed ut secundum librum Regum, item  
Secundum Paralipomenon bene habeas cognitos,  
principue ut omnia tum facta, tum dicta, tum even-  
tus omnes, qui sub ijs regibus, quorum nomina ti-  
tulus habet, contigere, teneas. Nam hoc ad Pro-  
phetias intelligendas maxime necessarium est,  
nosse que tum negotia apud Iudeos agitata sunt,  
quis Reip. tum status, quales hominum tum animi,  
qua*e* consilia fuerint, cum finitimis populis, cum  
amicis, & contra inimicos. Imprimis autem que  
tum religionis fuerit forma, quomodo se populus  
erga Deum & Prophetas, uel in uerbo & cultu  
Dei, uel Idolatria gesserit.

Adhæc prodest etiam nosse situm finitimarum  
regionum, alioqui enim fiet ut lector offendatur  
peregrinis & ignotis uocabulis, & sepius hæcat  
impeditus. Ut autem & ea in re lectori gratificer,  
paucis subiçiam descriptionem earum regionum,  
qua*e* Hierosolymæ seu Iudee, in qua uixit & docuit  
Esaias, uicinæ sunt, ut eò facilius sit uidere, quos  
significet Propheta, cum uaticinatur illis, qui ad  
Austrum uel Septentrionem sunt &c.

Hierusalem seu Iudea habet proxime ad orientem mare

## P R A E F A T I O.

Item mare mortuum, ubi quondam Sodoma & Go-  
morra fuerunt sitæ. Deinceps ultra mare mortu-  
um sunt positi Moab & Ammon, ultra quos pau-  
lo longius est Babylon seu Chaldea. Persia autem  
cuius Esaias saepius meminit, ultra Babylonem est.

Ad septentrionem autem est mons Libanus, ul-  
tra quem sunt Damascus & Syria. Assyria autem  
paulo longius ultra has Orientem uersus est posi-  
ta, cuius saepe meminit Propheta.

Ad occidentem sunt Philistini, maritimi po-  
puli, infestissimi Iudeorum hostes. Tyrus & Si-  
don quoq; maritimæ sunt, sed uergunt ad occi-  
denter, & attingunt Gallilæam.

Ad meridiem sunt posita Aegyptus, Aethio-  
pia, mare rubrum, Edom & Midian. Sed Aegy-  
ptus quanquam ad meridiem sit Iudeis posita, ta-  
men maxime ad occidentem declinat. Hæc fere re-  
gionum & uicinorum populorum nomina sunt, de-  
quibus Esaias uaticinatur, qui uel amici uel hostes  
Iudeorum erant, inter quos Iuda, seu ouile in me-  
dio luporum, sita erat. Cum quibus nonnunquam  
sædera Iudei iungabant, sed frustra.

Porro Prophetiae huius tres sunt partes: I.  
Aa 3 prima

## P R A E F A T I O .

prima parte duo agit , id quod cum omnibus alijs Prophetis commune habet. Primo enim docet suum presentem populum, & reprehendit uariam eorum peccata, Imprimis autem uariam Idolatriam, quæ in populo paulatim creuerat . Ut autem eos reuocet in uiam, & retineat in disciplina & officio , uarijs tum promissionibus futuri boni, tunc comminationibus futuræ poenæ utitur. Alterum est, quod instruit & parat suos, ut expectent futurum regnum Christi , quod longe clarioribus & magis uarijs Prophetijs describit, quam quisquam aliorum Prophetarum . Adeo ut etiam matrem Christi, scilicet Mariam uirginem cap. 7. significet, quod Christum conceptura & paritura sit, sine uirginitatis incommodo . Passionem quoq; Christi, Item resurrectionem eius à morte , & regnum Christi adeo grauiter & aperte prædictit, ut tum cum ista facta sunt uixisse uideri queat. Ex quibus satis appareat, Esaiam maxime insignem & summe illuminatum Prophetam fuisse. Quanquam enim hic communis omnium Prophetarum mos sit, ut preterquam quod presentem suum populum docent & arguunt, etiam Christum & regnum eius promittant, & populum ad Christum tanquam ad omnium, qui sunt , fuerunt uel futuri sunt saluatorem, ducant. Sunt tamen dissimiles in huius argumenti tractatione, & alijs alio copiosior &

## P R A E F A T I O .

sior & uberior est . Esaias autem & plurimus in  
hoc argumento est & longe omnium uberrimus,  
Atq; hæc quidem prima huius Prophetiæ pars est.

Secunda autem huius Prophetiæ pars proprie  
ad Monarchiam Assyriorum, & ad Monarcham  
Sennacherib pertinet, contra quem plus uaticina-  
tur, quam quisquam aliorum Prophetarum. Futu-  
rum enim dicit ut finitimas regiones omnes uastet,  
inter quas etiam Israelis regnum numerat, Item  
quod grauiter sit afflicturus Iudam . Atq; hoc in  
loco promissiones suas pertinacissime retinet &  
urget, fore ut Hierusalem non solum defendatur  
contra Assyrium , sed prorsus omni periculo &  
metu liberetur. Est autem hoc feré maximū omni-  
um miraculorum, quæ in sacris literis sunt prodi-  
ta, non solum quod ad Historiam attinet, quod tan-  
tus Monarcha diuinitus per angelum ante moenia  
Hierosolymæ fuisse est. Sed quod ad fidem attinet,  
quod impossibilis in speciem promissio, tamen à  
pijs credita est. Miraculum inquam est, quod quis-  
quam inuentus est, qui in re simpliciter, si spe-  
ciem sequaris, impossibili Prophetæ credidit. Sine  
dubio autem multi increduli fuerunt, à quibus  
Esaias non irrisus solum, sed etiam conuitijs exa-  
gitatus est. Et tamen indubitata fide perrupit, que  
fides sola potentissimum Monarcham fudit, & li-

## P R A E F A T I O.

beravit urbem obsidione. Vnde satis apparet,  
quantus uir Esaias coram Deo & quam charus  
Deo fuerit.

Tertia pars ad Monarcham Assyriorum per-  
tinet, in qua prædictit captiuitatem Babylonicam,  
& uastationem Hierosolymæ, qua Deus impieta-  
tem populi erat puniturus. In eo autem maxime  
sudat, quomodo futurum populum in futura capti-  
uitate & uastatione urbis erigat & consoletur,  
ne desperent de reductione & de regno Christi,  
& de magnificis promissionibus futuri regni  
Christi, que omnes periclitari uidebantur, si po-  
pulus non reduceretur Hic grauißimas & copio-  
fissimas conciones instituit, quod Babylon uastan-  
da & Iudei in regnum suum sint restituendi. Et  
ut aperte insultet Babylonij, etiam nomina po-  
pulorum, qui Babylonem eversuri erant, tanto  
ante prædictit, Medos scilicet & Elanitas seu  
Persas, quin etiam Cyri nomen, qui Iudeos redi-  
cturus erat ( quem Christum seu unctum Dei ap-  
pellat.) tanto ante quam Monarchia ad Persas  
translata est, prænunciat. Porro omnia hæc scri-  
buntur à Propheta propter Christum, ne gracie  
& salutis regnum futurum & promissum, uel à  
Iudeis contemneretur, uel per incredulitatem po-  
puli, calamitatibus & impatientia fracti, frustra  
effici

## PRAEFATIO.

esset promissum, si id non expectarent, & certo futurum crederent.

Atq; hæc tria quidem Esaias præcipue agit, non tamen iusto ordine, neq; enim suo quæq; loco & certis capitulo sicut conueniebat, scribit. Sed confundit ordinem, & multa quæ ad primam partem pertinebant, in secundam uel tertiam rei= cit, & quæ in tertiam partem reseruanda erant, in prima absoluit. Siue autē hoc à scriba sit factum, qui has Prophetias collegit, & edidit ( id quod in Psalmis quoq; plæriq; factum existimant ) siue ab ipso Propheta, qui eam partem potissimum nulla ordinis ratione habita tractauit, quam occa= sio, tempus & persona ( quæ circumstantiæ uariæ sunt, neq; admittunt ordinem ) maxime postula= bant, nescio. Hoc tamen diligenter obseruatum ui= deo, quod primam partem, quæ potissima est, per totum librum etiam in illis duabus posterioribus partibus agitat. Sicut nos in nostris etiam concio= nibus solemus. Hæc enim principalis pars nostre doctrinæ est, ut & arguamus peccata populi, & doceamus Christum, quam alijs etiam argumentis, que ratio temporum nobis offert, admiscemus, ut cum de Turea, uel Cæsare dicimus &c.

Si in hunc modum Prophetiam hanc partitus  
Aa 5 fueris,

## P R A E F A T I O.

fueris, facile erit eam animo complecti, neq; offendetur lector illa confusione ordinis, quam imperiti reprehendunt. Porro genus dicendi, si eum in sua lingua loquentem audias, elegans & copiosum est. Quia autem nulla latina translatio adhuc extat, quæ aliqua ex parte Hebraicam sententiam clare & perspicue reddat, commodissime fecerit lector, si se ad nostram Germanicam referat. In qua ita sudauimus ad sententiam perspicue reddendam, ut existimemus candidum lectorem nostrum laborem probaturum esse. Neq; autem est huius loci recitare, quid Esaiæ diligens lectio utilitatis sit allatura. Iudicium hoc penes diligentem lectorem esto, plenus enim est suauissimis consolationibus, quibus afflictas mentes & turbatas conscientias erigit & confirmat. Satis quoq; comminationum additum est, quibus induratos, superbos & pertinaces impiorum animos frangere tentat, si quid ea ratione promouere possit.


Porro non est quod putas Esaiam in ea existimatione apud suos Iudeos fuisse, in qua apud nos hodie est. Sed fuit contemptissimus homo, & profatuo habitus. Nam & ipse testatur cap. 58. sc ab impijs irrisum esse, et digito notatum, adeo ut etiam linguam in eius contumeliam proiecissent. Quare eas conciones, quas nos admiramus & discimus,


illæ


## PRÆFATIO.

illi ceu amiles fabulas risere , preter paucos pios  
homines Ezechiam & alios . Ea enim consuetudo  
huius populi fuit, quod Prophetas tanquam fatuos  
ridebant. 4. Regum.4. Fuit enim ea semper mi-  
nistrorum Dei, & uerbi diuini fortuna, quod tam  
ministrari uerbi quam ipsum uerbum pro ludo  
ac ioco sit habitum , sicut etiam hodie expe-  
rimur , & experientur idem posteri nostri .  
Licet autem id inde quoq; colligere , quod  
Esaias potissimum Idolatriam populi sui damnat:  
Reliqua uicia , ut sunt , superbia , luxus, auaritia  
&c. uix ter nominat autem fiduciam in electios  
cultus, & merita operum, Item foedera , quæ cum  
finitimis regibus inibant, ea ferè per totam Pro-  
phetiam exagitat & damnat . Id quod populus  
nullo modo ferre poterat, sed uolebat suam Idola-  
triam probari. Quare Manasses occidisse Esaiam  
tanquam hereticum & seductorem  
populi , & ut Iudæi dicunt,  
serra dissecuisse dicitur,  
quod Idolatriam  
eius damnata=  
ret.

10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
1000







A

# IN ESAIAM

SCHOLIA EX D. MART. LVTHE-  
RI PRAELECTIONIBVS  
COLLECTA.

## ARGVMENTVM PRIMI Capitis.



RINCIPIO CON-  
queritur de peccatis sui po-  
puli, quod neq; beneficijs,  
neq; paenit pōssint emenda-  
ri. Deinde damnat ipso-  
rum studia, quibus mederi  
afflictis rebus uolebant.

Tertio indicat rationem  
qua pōssint mederi tantis malis, Nempe, ut Deum  
metuant, eiq; credant, & benefaciant proximo.  
Addit promissionem & comminationem.

Vltimo, cum illa omnia contemni & negligi  
uideat, repetit comminationem, & prædictit ma-  
iorem uastitatem, promittit tamen fore, ut per-  
dantur tantum impij, & reliquæ seruentur. Visio

IN ESAIAM

**V**isio idem est quod prophetia, & uidentes  
passim in scriptura accipiuntur pro pro-  
phetis. Est autem humilitatis uocabu-  
lam, quasi dicat, Ecce ego hoc prædico quod tu-  
deo.

Audite cceli.

Est imitatio Mosaica, quæ decet hunc pro-  
phetam, quod omnium aliorum sit uchmentissi-  
mus. Est autem hic propheticus ordo, quod prin-  
cipio terret & docet legem post consolatur. Di-  
uersum Sathan facit & pseudoprophetæ.

Filios enutriui.

Sanctum illum Iudeorum populum accusat,  
quod dereliquerint Dominum, & blasphement  
sanctum Israel, quod recesserint a Domino, &  
pertinaces in impietate sua pergent. Porro nota-  
bis hanc increpationem. Super quo percutiam uos  
ultra &c. Sic enim impij solent, poenam peccati  
interpretantur martyrium, & gloriantur in im-  
pietate sua, Sicut Achas, is quanto plus afflige-  
batur, tanto magis colebat idola. Adeo non meli-  
ores reddimur minis & legibus.

Omne caput languidum.

Non potest aliquid ad poenas addi amplius,  
& tamen non emendamini.

Vulnus & liuor &c.

Significat in tantis malis nullos Prophetas  
esse,

SCHOLIA.

2:

esse, qui illos uerbo erigant, sed seduci eos à prauis doctoribus, qui confirmant eos in impietate, neq; peccata eis indicent.

Terra uestra deuastata.

Iam quasi per distributionem poenias enumerat. Quanquam autem omnia hæc regnum Israël iam erat passum, tamen prædicti eadem Iudam quoq; passurum, per regem Chaldeorum,

Et derelinquetur filia Sion &c.

Quasi dicat, splendidissimis & optimis priuabimini, quod autem relinquetur, uile & nullius erit preçij.

Nisi Dominus nobis reliquias.

Hoc est misericordia diuina, quod tamen aliquæ reliquæ seruantur, de quibus spes aliqua sit, & quod non, sicut Sodoma & Gomorra, funditus tollantur. Paulus hunc locum paulo aliter citauit, & facit generalem sententiam, q. d. ut Esaias de suis dicit, sic ego quoq; possum dicere, Nisi Dominus reliquisset semen &c. Id est, operatur uel aliquos saltem relinqui qui seruentur, non propter merita, sed propter uerbum promissionis. Infra eadem sententia repetetur.

Audite uerbum Domini principes Sodomorum.

Est uehementissima increpatio in his nominibus, quod, principes Sodomorum & populos

## IN ESAIAM

Gomorræ appellat. Et sane magnus in hoc Prophetæ spiritus fuit, quod populum hunc, qui solus in terra Dei nomen & uerbum retinebat, sic ausus fuerit appellare. Porro incipit hic eos conuertere, & prescribit quoq; modum, quo conuersti debeant. Quia enim Deus nostris operibus non placatur, neq; nos nostris uiribus consulere nobis possumus. Ideo alium quandam modum describit, quo i peccatis liberentur.

### Quo mihi multitudinem.

Reiicit hoc quod in lege sumnum, et diuinatus quoq; preceptum erat, nempe sacrificia. Non quod per se mala sint sacrificia, erant enim dirinatus instituta, sed quod opinio, qua illi sacrificabant, esset impia, abiecta enim fiducia in misericordiam Dei, iustificari se, tanquam ex opere operato, sacrificijs credebant, id quod hodie etiam in Papistis nostris reprehendimus. Hoc enim est detrahere Christo gloriam, & eam nostro operi tribuere. Quemadmodum autem Christianus in peccatis non desperare, ita quoq; de nullo opere presumere debet, quod id ad iustificationem faciat. Conuenit autem cum hoc loco Prophetæ Psalmus. 50. & multæ similes in Psalmis sententiæ, quas hic studiosus lector afferet.

Manus enim uestræ sanguine.

Ratio cur damnet sacrificia ipsorum, q.d.  
vos

## SCHOLIA.

3.

Vos uultis me placare sacrificijs & alijs operibus, & obliuiscimini interim proximi, negligitis fratres uestrros, qui uestra opera habebant opus. Estis homicidæ, Qui enim fratrem suum odit, sicut 1. Joh. 3. est, homicida est. Odisse autem non solum est alienato animo esse, sed negare etiam proximo ea opera quæ charitas mutua exigit. Quemadmodum igitur Papistæ nunc faciunt, sic etiam tam Iudei, Deo bene facere, Deum suis operibus placare uolebant, proximi nullam agebant curam. Deus autem abhominatur hoc studium, & se tantum timeri ac sibi credi uult, & proximo beneficeri. Id quod Propheta hic ordine admonet. La- uamini &c. exigit fidem & timorem: Subuenite oppresso, exigit charitatem &c.

Arguite me.

Vbi uos hæc feceritis, si non uicissim uobis bene fecero, tum me arguite, dicite me iniustum esse Deum. Est autem insignis consolatio, qua nos prouocat ad fidem & charitatem. Vides autem quam inepti sint Papistæ, qui huiusmodi promissiones meritum operum esse dicunt.

Si fuerint peccata uestra.

Amplissima promissio, quod & peccata remittere, & omni genere bonorum cumulare uelit eos, qui credentes Deo & metuentes eum, benefaciant proximo.

IN E S A I A M

Q uomodo facta est meretrix?

Iam antithesin subiicit, Atqui non sic uos agitis. Addit autem ad uehementiam aliquid illa Prophetæ admiratio, quòd tantis promissionibus nihil moueantur.

Argentum.

Notat hypocrisin.

Vinum.

Notat doctrinam corruptam.

Principes.

Notat iniurias & externam iniustitiam.

Propter hoc ait Dominus.

Repetit comminationem. Quod autem addit, Potens in Israel, item dominator, significat se posse illa facere quæ comminetur. Est prophetia futuri mali.

Consolabor super hostibus.

Ego tum consolabor, cum eos qui alioqui hostes mei sunt, immisero, ut populum meum uastent & diripient.

Scoriam.

Impios tantum & hypocritas perdam.

Restituam iudices tuos.

Nota hunc locum, quòd Deus sic destruit ut edificet, sic affigit ut saluet. Diuersum Sathan & mundus faciunt. Ideo infra quoq; dicet, se punire cum iudicio, & alibi. Non irascar in perpetuum.

Zion

S C H O L I A .

Zion in iudicio redimetur .

Primum hoc fiet , ut iustificantur & tollantur peccata populi , post omnia rectissime gerentur .

Confundentur enim à quercubus .

Sicenim legendum est . Notat autem Idola= triam , nam in lucis , nemoribus & hortis erige= bant aras , Sicut nostri summum religionis gra= dum in ædificandis templis ponebant .

Et erit fortitudo uestra .

Nullæ tante erunt uires , nulla uestra tam bona opera & studia , quaæ uos contra hæc mala possint defendere .

I N C A P V T S E C V N D V M .

**R**egnum Iudeæ post captiuita= tem Babilonicam ideo est seruatum , ut in illo nasceretur Christus , sicut promiserat Deus . Cum igitur in pri= mo capite futuram calamitatem prædixerit , & tamen promiserit se reliquias seruaturum . Iam addit , quare reliquias seruatas uelit , nempe pro= pter Christum . Sic hoc caput nihil agit aliud , quam ut regnum Christi spirituale , quo per uer= bum passim regnat , describat . Facit autem hoc pulchro ordine .

## IN ESAIAM

Principio proponit, erit cum in maximam multitudinem Ecclesia crescat.

Deinde dicit, unde & ex quibus crescat, Ex gentibus scilicet.

Tertio modum quoq; addit, quomodo crescat, nempe per Euangelij prædicationem . Atq; hic etiam locum nominat, in quo primum noua hæc gratiæ prædicatio inuulganda sit.

Quarto uerbi fructus addit, quod per uerbum in peccati cognitionem gentes uenient, & post per idem uerbum consolationem & pacem accipient. Erit quoq; externa uita sanctissima & innocentissima.

Quinto dicit de scandalo Iudeorum , quòd illi offensi regnum gratiæ non sint accepturi.

Vltimo addit quandam amplificationem, quidquid omnino siue imperiorum siue religionum est, nihil est si cum hoc Christo conferas. Vos ergo cum suscipite, colite, adorate, aut dabitis maximas paenas impietatis uestræ.

Mons Domini præparabitur.

Sunt omnia spiritualiter intelligenda, quamquam de corporali loco loquatur. Oportuit enim certum aliquem esse locum, in quo primum Euangelij prædicatio inciperet.

Fluent ad eum omnes gentes.

Scilicet sua sponte, non coacti, sicut qui sub lege

## SCHOLIA.

5.

ges sunt. Alia igitur regna ui & armis parantur,  
hoc sic crescat, quod exaltabitur mons. Vides au-  
tem hic, quod externa prædicatio non est frustra,  
indies enim plus Ecclesiæ accedit, per ministeri-  
um uerbi &c.

Et docebit nos uias suas.

Docebit, quia scilicet Christiani perpetuo  
sunt discipuli, nunquam satis possunt discere.  
Viae Domini sunt opera, quæ ipse in nobis opera-  
tur.

Quia de Zion exibit lex.

Hæc est caufsa multiplicandæ Ecclesiæ &  
regni Christi ampliandi, Prædicatio scilicet  
Euangelij. Promittit enim hic nouum uerbum, De  
Zion exibit lex, non sicut ante de Sinai.

Ipse iudicabit.

Iam sequuntur uerbi fructus, Spiritus scili-  
cet arguet mundum de peccato. Item, In me pa-  
cem habebitis.

Domus Iacob uenite.

Est exhortatio, Vobis Iudeis hoc regnum  
promittitur, ne igitur negligite.

Proiecisti enim populum tuum.

Est textus Iohannis, Sui eum non recepe-  
runt. Porro quod Latinus interpres uertit, Quia  
repleti sunt ut olim. Sic uerti debuit. Proiecisti  
populum tuum domum Iacob, quia repleti sunt  
a s plusquam

IN E S A I A M  
plusquam Orientales, id est, maiors idolatriæ  
sunt, quam Orientales populi.

Pueros alienos multiplicant.

Est intelligendum de falsa doctrina, qua  
alios instituunt & seducunt. Est autem hic egre-  
gia pseudoprophetarum descriptio. Primum est,  
quod pestilenti sua doctrina multos seducant. Se-  
cundum, quod sint auari & uentris animalia, Id  
enim uult cum dicit. Terra eorū plena auro &c.  
Tertio afferant quoq; imperia & dominium. Ter-  
ra eorum plena equis &c. Vltimo, iactant sancti-  
tatem, suam religionem omnibus preferunt, glo-  
riantur de Deo, sicut nunc cum se Ecclesiam uo-  
cant &c. Debebat autem tales terrere horrenda  
communio, que est addita. Tu non remittes,  
&c. quod, scilicet, peccent in spiritum sanctum.

Ingredere in petram.

Est apostrophe ad totum orbem terrarum.  
Omnes homines, inquit, ingrediantur in petram  
( Vertriecht euch ) ista mundi potentia nihil est.  
Christi regnum tale erit, ut etiam summi magi-  
stratus, summa mundi sapientia & potentia, à fa-  
cie eius timere debeant, adeo reuerendus est Chri-  
stus. Sunt autem omnia hæc fidei uerba, diuer-  
sum enim apparet. Nihil hoc Christo est neq; in-  
firius neq; ignominiosius. Contra impij princi-  
pes regnant & florent. Hac igitur gloria in fide  
tantum est posita.

Exaltabitur

**E**xaltabitur autem Dominus solus.

*Scilicet per prædicationem & uerbum  
Euangelij.*

**Q**uia dies Domini.

*Hæc est dies noui Testamenti, Nam in Ecclesia infirma Christi passio nobilior est omnium pontificum coronis.*

**S**uper cedris Libani.

*Hæc sunt politica.*

**I**dola immutabuntur.

*Hæc sunt spiritualia. Neq; in politia neq;  
in religione quicquam erit, quod cum hac futuri  
Christi gloria comparari queat.*

**E**t introibunt in speluncas.

*Iam idem de religione dicit quod de poli-  
tia ante. Vos sancti & religiosi, confitemini uos  
quoq; omnia uestra nihil esse. Terram, inquit,  
terrebit, id est, quidquid est religionum, quas ra-  
tio inuenit, illæ quoq; faceant.*

**Q**uiescite ergo.

*Est epiphonema. Vos igitur timete Chri-  
stum, quoniam sic est uenturus, ut solus regnet.  
Plures autem eum non ferent, id quod uos non de-  
betis facere. Qui escite, habet spiritum in naribus,  
id est, est potens in ira. Sic Lucas de Paulo in-  
quit, ἀναπνεώ τὸν ὄγκον, spirans iram. To-  
tus igitur ille locus (Ingedere in petram) usq;  
in finem*

## IN ESAIAM

in finem capit is , est quædam amplificatio rhetorica . Hactenus erant multi dij & domini , nobis autem iam est futurus unus Dominus & Deus , una religio , una fides , unus baptismus . Christus enim per Euangelium regnat super omnia , Reliquæ omnia sunt nihil , siue ea sint in politia , siue in religione .

## IN CAPVT TERTIVM.

**S**uperiore capite descripsit potentiam regni Christi , Iam minatur usitatatem Iudeis , qui Christum non erant recepturi . Est igitur hic textus historicus ad Iudeos , propheticus autem ad nostra quoq; tempora contra impios uerbi & ministrorum uerbi persecutores . Erat autem ualde stulta prædicatio apud Iudeos , quoties Prophetæ minabantur uastitatem . Sic enim iactabant , Habeamus promissiones , fore ut hoc regnum & hoc sacerdotium , quod diuinitus institutum & ordinatum est , maneat , Deus non mentitur , & sicut illi apud Hieremiam dicunt , Non peribit lex a sacerdote . Et nostri hodie similia iactant de ecclesia sua , Fluctuare potest Petri nauicula , non autem submergi . Videmus autem , quam non se ferint Iudeos illæ minæ . Porro per gradus quosdam futuram

## SCHOLIA.

7.

futuram nastitatem describit, & certo predictit  
famem & seditionem futuram, quæ ambo miserri=  
me Hierosolymam, tum cum à Romanis obsidere=  
tur, afflixerunt, Sicut autor est Iosephus.

Et corruet.

Rectius sic uertitur. Exactores erunt in  
populo, uir in uirum, &c. q. d. plus habebit iu=   
ris qui plus poterit.

Tumultuabitur puer.

Significat seditionem. Cum enim à Roma=   
nis obsideretur Hierusalem, tres duces inimicissi=   
mi inter se in urbe erant, & grauius premebatur  
seditionibus ciuium, quam obsidione hostium.

Apprehendet enim uir fratrem.

Sic fit in seditione, sublatis optimis uiris,  
unusquisq; desiderabat aliquem ducem. Porro  
Esiias indicat tantam necessitatem, ut etiamsi in=   
ueniatur qui præesse norit, tamen metu seditionis  
ad magistratum pertrahi non possit.

Vestimentum habes.

Non secundum prudentiam, iustitiam, di=   
gnitatem electio fit, sed tantum secundum poten=   
tiam & uires, omni honestate contempta. Est  
pulchra imago seditionis.

Ruit enim Hierusalem.

*Id est, non est tantum in me præsidij, ut tan=*  
*tis malis mederi possim.*

Quia

IN ESAIAM

Quia lingua eorum &c.

Hoc est peccatum negati & repudiati Christi.

Agnitio uultus eorum respondebit eis.

Agnitio uultus accipitur hic passiu*c*, id est, agnita facies corum, id est, fatentur, non possunt excusare peccatum. Indicat autem peccare eos malicia, sicut uidemus in Euangelio, quamuis uerbo & miraculis uicti sint Pharise*s*, tamen non cedunt. Quia autem pars principum & Episcoporum nostrorum quoq*ue* ita manifeste peccat, possumus & contra eos prophetare futurum ut percant.

Dicite iusto, quoniam bene.

Consolatur iam pios, sicut Psal. 2. Cum exardebit ira eius. Beati autem qui sperant in eo. Sic Abraham, sic Loth, sic alij sancti seruati sunt, sic Apostoli & reliquie Iudeorum cum obseretur Hierusalem. Nouit enim Dominus eripere iustum.

Popule meus qui te beatum.

Hoc addit contra illos, qui aduersus has minas Prophet*e* populum solabantur, & dicebant. Nihil istorum fiet, Estis populus Dei. Sicut in Michea, Non stillabunt mala &c. Dicit igitur certo fient, Dominus stat, iudicabit, sicut in Psal. Arcun*s*

SCHOLIA.

8.

Arcum suum paravit, & tetendit illum &c.  
Vos enim depasti cistis uineam.

Vos non cessatis perdere & seducere. Non  
igitur longius a uobis aberit poena.

Pro eo quod eleuatæ sunt.

Comminatur iam quoq; mulierculis, sicut  
antea uiris. Reprehendit autem in eis securitatem  
ac impoenitentiam, quod dicebant, sumus filiae  
Abraham, nihil istorum quæ tu minaris patiemur.

Viri tui gladio peribunt.

Quorum scilicet praesidio tutas uos fore  
speratis.

Et mōrebunt portæ.

Sunt poetica, quasi dicat, Erit ubiq; pluri-  
ma mortis imago, Sicut ille ait.

Et apprehendent septem.

Id est, Tanta erit penuria uirorum, qui cla-  
de belli absumpti sunt, ut se mulierculæ ultro ui-  
ris offerant. Durat autem hæc vindicta adhuc ho-  
die apud Iudeos. Discamus igitur ex hoc loco,  
ne in donis Dci, siue illa spiritualia, siue corpo-  
ralia sint, superbiamus, uerum utamur illis cum  
gratiarum actione ad laudem illius, qui ea nobis  
indignis concessit.

IN CAPVT QVARTVM.

Prædixit

IN ESAIAM

**D**rædixit miserabilem calamitatem regni Iudaici, Iam rursus consolatur reliquias, & dicit, Optimam partem populi reliquam fore, quæ promissiones magnificas de regno Christi consequantur, Sicut in Hieremia quoq; ait. Reliqui mihi unum racemum, & Moses in Cantico. Placabilis est Dominus super seruos suos. Porro hoc ordine utitur.

Principio proponit regnum Christi magnificum fore & gloriosum.

Deinde exponit, quæ nam sit illa gloria, quòd scilicet Christus insignia dona sit collatus in Ecclesiam. Primo eam sanctificabit. Secundo remittet peccata, & mortificabit carnem & ueterem hominem. Tertio aderit in periculis, defendet ab iniuria, consolabitur in aduersis.

In die illa erit &c.

Germen Domini, & fructus terræ, Christus est. Is, inquit, erit in maiestate & gloria, extolletur super omnes aduersarios suos, uiuet, & abunde nobis dabit omnia. Fiumt autem hæc omnia per uerbum. Christum autem ideo Domini gerumen uocat, quòd in mundo sit infirmus, crucifigatur, contemnatur, In oculis autem Domini sit gloriosus.

Et erit omnis qui relictus.

Non solum

## S C H O L I A .

9.

Non solum Christus in sua persona talis erit, sed distribuet istas opes in reliquias populi, qui vocabuntur sancti, quod habitabit in eis Deus, eruntque mancipati diuinis usibus.

Per spiritum iudicij.

Spiritus iudicij est, quo Christus iudicium exercet, ut damnet, purget et mortificet veterem hominem. Pertinet autem spiritus iudicij ad sondas, sicut Iohannes quoque uocat spiritum arguentem. Spiritus ardoris dicitur, quod non defatigatur, sed uchementer infestet, ut de die in diem crescamus, et confirmemur. Pertinet autem spiritus ardoris ad sanguinem, hoc est, reatum sanguinis, quod immundum est cor nostrum, et quod omnes sumus homicidæ coram Deo.

Et creabit Dominus nubem per di-

Iam crucem quoque attingit. Dominus inquit, Sion, id est, Ecclesiam suam, que propter illud germen in periculo est, tuebitur ac defendet. Christus erit uera nubes, id est, refrigerabit et consolabitur suos. Et erit ignis qui lucebit in tentationibus. In eo erit robur et uirtus credentium et ceterorum.

Facit autem Propheta duplētentationem. Alteram aestus, alteram pluviae. Aestus est, cum conscientia in persecutio[n]e sentit iram Dei, et crucem accipit seu signum certum irae diuinae. Si igitur accedat ad externum malum, quo uexa-

b

murus,

## IN E S A I A M

mur, interna conscientiae tentatio, & Sathan du-  
geat desperationem, ut tam foris quam intus affli-  
gatur homo, tum deum aestus sentitur. Verum  
hic monendi sunt animi, de voluntate Dei, quod  
scilicet non ideo affligat nos Deus, ut despere-  
mus, & perdamur, sed esse paternam afflictionem  
ne superbiamus, & ut experiamur in nobis ipsis,  
et Sathan etiam uideat, quod uerbum Dei sit inui-  
ctum, & nos in quantumvis magnis malis soletur,  
liberet & seruet. Diligenter autem notabis, quod  
nulla nostra studia, meritum aut opera in tenta-  
tionibus nobis possint prodesse, sed quod omnes  
nostrae uires in solo sint Christo, qui ceu nubes  
per uerbum nos defendit.

Pluuiia sunt externi impulsus. Nemo tamen  
hec intelligit, nisi experientia doctus &c.

## IN CAPVT Q VINTVM.

**P**epetit iam comminationem  
de futura uastitate, sed sub alia figu-  
ra. Quasi dicat, Age, nihil mouentur  
his minis, ego igitur & cantilenam  
ea de re componam, an uel sic ad poenitentiam  
possint reuocari. Vinea est populus Iudaicus,  
quem sepsit lege sua Deus. Preciosae uites sunt  
sancti iudices & reges, Iosua, David &c. Tur-  
ris est

## SCHOLIA:

10.

*ris est cultus Dei & uerbum, quæ Deus de cœlo dedit. Torcular est mortificatio ueteris hominis, de qua Roma. 12. Labruscæ sunt externa illa criminis, quod fuerint raptore, adulteri, homicide, qui occiderunt sanctos Prophetas, & Christum. Ordine autem enumerat hæc omnia.*

*Principio prædicat sua beneficia, quæ in Synagogam contulit. Post dicit, quām non responderit Synagoga tantis beneficijs. Tertio minatur uastitatem. Quarto texit catalogum peccatorum, Addidit autem singulis peccatis suas pœnas. Quinto redit ad comminationem. Addit autem ad maiorem terrorē descriptionem eius populi, per quem Synagoga erat uastanda. Sunt igitur omnia longe atrociora, quām ut de captiuitate Babilonica possint intelligi.*

*Canticum patruelis mei uineæ suæ.*

*Vocat Christum patruelem. Fuit enim ex Esaias de tribu Iuda.*

*Nunc ergo habitatores Ierusalem.*

*Est quasi epiphonema. Quid potuit a me fieri amplius?*

*Auferam sepem eius.*

*Repetit pœnam de nouissima uastatione Synagogæ, fore ut auferatur sacerdotium, ut nulli usquam sint, qui doceant uerbum. Nam ministri uerbi sunt qui uincam putant & fodunt.*

b 2 Spine

## IN ESAIAM

### Spinæ.

Sunt optima in speciem opera , qualia fuerunt Pharisæorum , et apud nos Monachorum , quibus stolidum uulgas capitur .

### Nubes.

Sunt Apostoli et prædicatio Euangeli . Grauissima autem calamitas est omnium calamitatum , tollere uerbum Dei , in quo solo remissio peccatorum , fauor , et gracia Dei , et uita eterna offeruntur . Hæc igitur omnia simul cum uerbo externo auferuntur , et relinquuntur reatus et culpa irremissibilis , Ira et iudicium Dei , et tandem eterna mors . Quare orandum nobis est , ne auferatur a nobis propter ingratitudinem et peccata nostra regnum Dei , et detur genti facienti fructus eius .

### Expectaui ut faceret iudicium .

Hæc est prima labrusca , auaritia magistratus . Erat eis iudicandum iuste , sed nihil faciunt quam ut opprimant et onerent exactionibus et iniurijs subditos , neq; etiam pauperum miserentur ( Id enim uocat iusticiam )

### Decem enim iugera uinearum .

Erit summa caritas amonæ , quando uos expectatis magnum uini prouentum , sicut ut decem iugera uix unam lagunculam uini ferant . Porro notabis Deum auariciam populi caritate amonæ punire

## SCHOLIA:

11

*punire, sicut hodie etiam experimur.*

Væ qui consurgitis.

*Secunda labrusca, ebrietas. Obseruabis autem ferè eadem uicia hic recenseri, quæ Christus Matth. 23.*

Non respiciunt opus Domini.

*ab eis.* Id est, hoc quod Deus exigit & requirit

Interierunt fame.

*Est hæc famæ à Iosepho descripta.  
Et exaltabitur. Deinde.*

**Et exaltabitur Dominus.**

Hæc facit Dominus ut & impios perdat,  
Et pios seruet.

*Et pascentur agni.*

*Consolatur pios. Apostoli & reliquiae credentium illi habebunt uerbum Dei, quo abunde pascetur.*

Væ qui trahitis iniquitatem.

Tertia labrusca. Loquitur enim contra se-  
curos & pertinaces, qui populum contra has  
prophetæ minas consolabantur, carnali iusticia  
subnixi. Porro Hebraismus est, quod dicit, trahe-  
re eos iniquitatem, tanquam in plaustro, hoc est,  
pergere in iniquitate, non uelle emendari &c.  
V& qui dicitur &c.

Vx qui dicitis malum bonum,

Quarta, Contra blasphemos, qui uerbume  
Prophetæ damnabant, & sua iactabant studia ac  
b 3      doctrinas.

IN ESAIAM

doctrinas. Pertinet autem maxima ex parte ad magistros & doctores.

Vae qui sapientes estis in oculis uestris.

Tam ad doctores quam ad discipulos referri potest.

Sicut deuorat stipulam lingua eius.

Describit niniām celeritatem uastationis. Erunt omnia uestra tam infirma, quam est stipula aduersus flammarum non poteritis resistere pœnae.

Abiecerunt enim legem.

Reliquorum peccatorum tollerabiles sunt pœnae. Solam blasphemiam punit Deus grauissima uastatione, & radicitus cuerit.

Et extendit manum suam.

Sic adhuc hodie misere dispersi sunt Iudei. Eleuabit signum.

Iam populum quoq; describit, qui uastabit Iudeos. Sunt autem intelligenda omnia de Romanis.

Neq; soluitur cingulum renum eius.

Id est, sunt in continuo armorum usu, nullam deponunt gladium.

Et sonabit super eum in die illa.

Significat eiulatum iudeorum, quod deplo-  
rabunt suam calamitatem.

Aspiciemus in terram.

Id est, Erit ubiq; tristissima mortis imago,  
vbiq;

Vbiq; desperatio ac luctus, Ita ut etiam hoc ius-  
cundum cœli lumen ingratum eis sit futurum.

## IN CAPVT SEXTVM.

**F**st uisio de futuræ Synagogæ  
excidio. Mire enim copiosus Pro-  
pheta est, quare subinde eandem  
rem alijs atq; alijs uerbis exposuit.  
Quasi dicat, Prædixi futuram cala-  
nitatem uaticinio, item cantilena quadam. Iam  
uisionem eadem de re addam, si qui forte corri-  
gantur, & resipiscant. Porro prior pars uisio-  
nis tota contra iusticiam Pharisæicam & præ-  
sumptionem Iudeorum est comparata. Quia enim  
confidebant in templum & in cultum Dei quem  
habebant, Ideo terrerat eos Propheta & dicit. Ve-  
strum templum nihil est, Vidi ego Dominum se-  
dentem supra templum, Neq; est conclusus in tem-  
plum, sicut uos putatis. Vix enim templum ue-  
strum, de quo tantum præsumitis, fimbriam uestis  
eius capit. Hoc est, Summa uestra iusticia uix ex-  
rema superficies ueræ iusticiæ est. Neq; est  
etiam quod uos cultores Dei iactetis, Habet enim  
alios, quam uos estis, qui sunt Seraphim, & ardent  
amore Dei. Habent sex alas, ita ut alarum nume-  
ro uincant etiam illos Cherubim Mosi, qui duas

## IN ESAIAM

tantum habent. Est autem tanta illorum erga Deum reuerentia, ut uelent faciem, neque intueri eum ob reuerentiam audeant. Non sunt inflati fiducia aliqua iusticie et presumptione, sicut uos. Tegunt pedes quoque, non iactant ulla siue opera siue merita sua ( Ambulare enim conuersationem significat et opera ) Duabus aliis uolant, et seruit Deo, non operibus, sed sola uoce. Nihil igitur est uestra sanctitas, quam uobis arrogatis. Solus Deus est sanctus, et uerissimus Dei cultus est pura et simplex confessio. Cetera que habemus, sunt dona nobis donata, quae te genda sunt et c. ne de eis presumamus. Sic Iudeos oblique perstrinxit.

Plena est omnis terra gloria eius.

Non solum uestrum templum, sicut uos presumitis.

Quia uir pollutis labijs ego sum.

Tentatur hic Propheta de doctrina, quod non recte tractarit uerbum, et sentit se cum pseudoprophetis damnandum, sicut fit in talibus personibus et temptationibus.

Et uolauit ad me.

Confessionem sequitur remissio peccatorum. De qua ut certus esset Propheta, et signum et uerbum accipit.

Et audiui uocem Domini dicentis.

Hic et

Hic est effectus, uis & summa huius uisio-  
nis, quod pars populi induratur & abiicitur,  
Pars suscipitur & illuminatur. Quasi dicat, Do-  
ceo aliam iusticiam, quam uos habetis, Id uero  
non uultis ferre. Sic in Euangelio uidemus omnia  
Christi, tum dicta, tum facta fuisse mirabilia, quia  
tamen contra Iudeorum iusticiam docebat, non  
suscepiebant eum, sed blasphemabant.

Donec desolentur ciuitates.

Est prophetia de uastatione regni Iudaici  
per Romanos. Non prius, inquit, desistent, quam  
cuertantur & pereant.

Multiplicabitur quæ derelicta.

Reliquiae saluabuntur, & credentes Hic-  
rosolymam spiritualem habitabunt. Est promissio  
piorum.

Et adhuc in ea decimatio.

Id est, reliquiae saluabuntur.

Et erit in ostensionem Terebinthus.

Idem dicit, Maxima pars populi peribit,  
& reliquiae erunt in nouum populum & nouam  
Ecclesiam. Significat autem uim & efficaciam  
Euangelij, quod ex modica massa, ex sterili gra-  
no, ingens multitudo sit prouentura.

## IN CAPUT SEPTIMVM.

b s      Hic

I N E S A I A M

**H**ic nouam ingreditur Prophētiam Esaias , qua impium regem Achas consolatur in maximo periculo , cum duo potentissimi reges Syriae & Israel contra eum arma ferrent . Historia est . 4. Reg. 16.

Requieuit Syria super Ephraim .

Id est , Rex Syriae fiduciam suam ponit in regem Israel . Nam regnum Israel Ephraim dicebatur .

Et commotum est cor eius .

Vides insigne exemplum , quām non consistere iusticiarij & hypocritæ in temptationibus & calamitatibus possint . Achas enim maximus iusticiarius fuit , sicut ostendunt historiæ .

Et qui derelictus est a sub .

Hoc nomen Scar Iasub , si pro proprio nomine accipiatur , est fatale nomen , sicut ferē omnes magni uiri fatalia nomina habuere . Salomon à pace , David à dilectione dictus est . Significat igitur , quod iste filius gerat nomen totius populi , qui relatus est non solum à prælio , sed ab impietate . Semper enim sunt piorum reliquiae , propter quas etiam impij scruantur . Sin pro appellatio accipias , sententia hæc erit . Libenter plures tibi adaderem comites , sed omnes sunt increduli , tu cum filio tuo solus superstes & relictus es , cum adiunge tibi &c .

Noli

**Noli timere.**

Hic uides, quām longe inter se diuersa sentiant in tentatione, cor promissionibus Dei credens, & cor fidens operibus.

**Ne formides à duabus caudis tytio.**

Est insignis extenuatio. Apparebant enim hostes Iudei non tytiones, sed ardentes fornaces & ingentia incendiū esse, & tamen dicit fides. Sunt tytiones combusti, qui non ardent amplius, sed tantum fumant, ac mox in cinerem redigentur.

**Sed caput Syriæ Damascus.**

Id est, Rezin non erit, nisi rex Syriæ in Damasco. Quod sibi promittit uictoriam, nihil est.

**Si non credideritis non permanebitis,**

Insignis sententia, que generaliter est accommodanda ad omnes tentationes, quod scilicet omnia studia in tentatione nos fallent. Sola autem fides facit ut permaneamus, & fidele fit quidquid egerimus. Sic enim in Hebreo legitur.

**Et adhuc sexaginta & quinq; anni.**

Magna promissio, non tu, sed hostes tui peribunt.

**Pete tibi signum à Domino.**

Infidelis Achas amplissimas promissiones negligit & contemnit. Deus igitur, ut fidem eius prouocet, nunc etiam signum addit. Verum ne sic quidem

## IN ESAIAM

quidem quidquam promouet . Notabis autem hunc locum de usu signorum , quod non tantum sint externæ notæ sed confirmant fidem , & certam faciant conscientiam , de uoluntate Dei bona & propicia .

### Non tentabo Dominum.

Est insignis locus de iusticiarijs . Impius Achas simulat sanctimoniam , quod metu Dei nolit postulare signum . Sic hypocrite , ubi non est opus , sunt religiosissimi , rursus ubi debebant esse humiles , sunt superbissimi . At ubi Deus audere iubet , est audendum . Sic hodie sacramentarij , obsecuerentiam Dei , negant esse corpus & sanguinem Christi in pane & uino . At non est irreverentia illud credere , imo pro illo etiam mori , quod Deus loquitur .

### Dabit Dominus ipse uobis signum \*

Indignatur Propheta propter incredulitatem Achæ & aliorum . q. d. Possetis iam confirmare fidem uestram signo , quod uobis promisit Deus , ut certi de uestra salute essetis . Verum quia id non uultis , ecce dabit uobis dominus Deus signum , in quo offendamini , Christus nascetur ex uirgine , ille erit alijs salutare signum , Domui autem David erit in scandalum & ruinam .

### Butyrum & mel.

Id est , Educabitur sicut alij pueri . Est enim nihil

*nihil nisi descriptio, quod Christus fit uerus homo, Eam addidit ad obscurandam prophetiam.*

**Adducet Dominus super te dies.**

*Prædictit uastationem Babilonicam. Attrahuit autem eam Assyrijs, quod tum Chaldaeorum monarchia (que ex Assyrijs orta est) nondum fuit. Describit autem generalem uastationem.*

**Sibilabit Dominus muscæ.**

*Prædictit in genere plagar. Hoc autem malum, quod hic prædictit, successiue ab Aegyptijs est illatum. Cohærent autem hæc sic cum superioribus. Deus, inquit, illud signum certo uobis dabit, Verum priusquam uobis det, misere uexabimini, iam ab hoc, iam ab illo hoste, propter incredulitatem uestram.*

**In die illa radet Dominus.**

*Id est, principes auferentur, regnum uastabitur, populus exhaustetur. Capilli enim capitis significant principes: Pili in pedibus sunt uulgi. Barba est sacerdotium. Vocat autem regem Assiriæ conductam nouaculam, quod Deus aliquandiu eo sit abusurus, ad puniendum populum suum.*

**Nutriet homo uaccam.**

*Hic totus locus nihil est, nisi descriptio solitudinis futuræ. Rari, inquit, erunt cultores agrorum.*

IN ESAIAM  
Sume tibi librum grandem.

Alterum signum, cuius duæ sunt partes. Tabula & filius, qui gerebat personam regis Assyriorum. Est autem eadem sententia signi cum superiori prophetia. Ita uos priusquam Christus ueniat, propter incredulitatem uestram poenas dabitis. Israel peribit, & male quoq; affligetur Iuda.

Antequam sciat puer.

Exponit signum, & quid comminetur clare ostendit:

Pro eo quod abierit populus ille &c.

Hec ad Iudam pertinent. Videntur autem pugnare cum superioribus. Hic enim Assyrios socios Iudeæ dicit, quos supra hostes esse dixerat. Sed facile est respondere. Hic enim populus uacuus fidei, in calamitate omnia externa presidia questus. Cum igitur spes aliqua ab hostibus appareret, etiam cum hostibus se coniungebat, neglecto Deo & abiecta in Deum fiducia. Hic igitur minatur, neque illa auxilia quidquam profutura, sed perituros eos esse una cum auxiliis suis. Siloba uocat exilem populum in Hierusalem, qui oratione non armis pugnat. Addit autem epitheton, & uocat silentes aquas, ad significandam antithesin, quod mundus in carnalibus presidijs cum tumultu & pompa incedit. Contra populus Dei contemptus, & infirmus

**E**t infirmus in speciem est, sed gloriōsus et potens spiritu.

Visq[ue] ad collum.

Hierusalem enim, quae caput fuit, a Sennacherib non est occupata, Sicut post docebit, ex 4. Reg. 19. legimus.

Aquas fluminis.

Sic uocat Euphratem, ultra quem sita est Assyria.

## IN CAPVT OCTAVVM.

Ongregamini populi.

**C**HIC commodissime octauum caput ordiemur. Pertinet autem ex hoc ad superiora. In fine enim septimi capituli dixerat de inundatione usq[ue] ad collum. Erat autem consilium regis Assyrie non ad collum usq[ue] intrare, sed totum regnum Iuda perdere. Propheta igitur pios hic consolatur, et irridet arrogantiam et fastum Assyriorum. Congregamini, inquit, populi, et uincemini. Sic increpat hostes, et minatur eis malū, ne despiciant pīj. Totum enim caput ad consolandos et descendos pios institutū est. Debemus autē nos quoq[ue] hoc tempore, cum uarijs bellorum rumoribus tremur, et innumeris hostium Evangelij insidijs petinur,

## IN ESAIAM

petimur, huiusmodi locupletibus promissionibus consolari, quod consilia impiorum dissipabuntur, & non fiet uerbum quod loquuntur &c.

Sicut in manu fortis erudiuit.

Iam monet pios aduersus scandalum infirmitatis. Quanquam nullæ uestræ sint uires, neq; possitis tam potenti hosti resistere, tamen cauete, ne in humana auxilia & foedera fiduciam uestram collocetis, sicut impij solent. Fiducia uestra Deus sit, alias peribitis.

Timorem eius ne timeatis.

Eius, id est, Achæ & consiliariorum eius, qui populum, exaggerando pericula, & querendo externa presidia, pauefaciebant. Ne metuatis hostium uires, sicut illi, In me confidi te, me metuite, & seruabimini.

In lapidem offendionis.

Qui autem non crediderint, & confugient ad humana auxilia, illi corruent & peribunt. Sic est generalis sententia. Quamprimum à fide discessum fuerit, tum in omnibus operibus & uerbis Dei offendimur, & perimus.

Liga testimonium.

Generaliter omnia hæc accipio, quod ad omnia tempora ualeant, & ad omnes impios. Quare recte in Hebreis citatur, Impij Iudæi quia nolunt credere, ergo legem & uerbum Dei quoq; non intelligunt.

non intelligent. Sine fide enim lex intelligi non potest. Dicit igitur, *Liga testimonium, id est, remoue ab eis uerbum tuum, & serua id mihi & meis filiis, id est, credentibus.* Sic Christus in Euangeliō, *Vobis autem datum est nosse mysteria, illis autem non, Mat. 13. & in Corinthijs. 2. Cor. 3.* Idem uelamen in lectione ueteris testamenti manet &c.

### Expectabo Dominum.

Hic impingunt increduli. Vult expectari auxilium & opem, non palpari aut uideri. Contra impij non credere, sed sentire uolunt. Recte citauit is in epistola ad Hebreos. Ero fidens in eo, id est, non incedam secundum iusticiam Moysaicam.

### Pueri mei in signum & portentum.

Doctrina hæc fidei, quam trado, non est inefficax. Habeo enim discipulos, illi coram Deo sunt infantes, id est, innocentes & iucundissimum genus hominum, sed coram mundo sunt monstra, portenta & abominationes, à quibus totus mundus abhorret. Sic Christus dicit, *Sum uermis & non homo.* Et Paulus dicit, *se & omnes Christianos in hoc mundo καθάρια ιοχή περιτίματα esse.*

### Quærite à Pythonibus.

Doctrinæ fidei iam admonitionem subiicit, qualis illa Christi & Apostolorum est. Cautio à

## IN E S A I A M

pseudoprophetis. Refert enim hic ~~mutin~~<sup>multas</sup> pseuoprophetarum uoces. Vocat autem Pythones eos, qui sunt in officio docendi, sicut Annas, Cayphas &c.

### Pro uiuis ac mortuis.

Verte sic. Nunquid à mortuis potius quam à uiuis. Vocat autem mortuos eos, qui docere non possunt. Quasi dicat. Vos filij mei sollicitabimini à falsis fratribus, ut in ipsisorum incredulitate abeat, sed caute uobis & respondete eis. Viuis potius esse credendum, quam mortuis, Vos estis mortui doctores, dicite. Nos igitur uocem & uerbum Dei audire uolumus, non uos.

### Ad legem & ad testimonium.

Id est, Nisi uerbum Dei secuti fueritis, peribitis, & auferetur à uobis lux, id est, uerbum Euangelij, quo illuminantur, pacificantur, seruantur corda. Sic nos ad uerbum reuocat, ne singulares aliquas reuelationes expectemus. Sic Christus, Scrutinii scripturas. Sic Paulus, Scriptura utilis ad docendum. Sic Petrus, Habemus sermonem propheticum, cui attendamus. Verbum est, quod mutat & afficit corda. Reuelationes autem inflant & arrogantes faciunt. Quanquam autem hæc generalis sit communatio, tamen potissimum de Iudeis tempore Christi intelligitur, qui & lucem uerbi & pacem cordis amiserunt, &

runt, & excecati indignantur Christo nostro, regi suo, sunt famelici, id est, indurati auida expectatione Messiae torquentur, de die in diem ardentes, cupidiores & induratiores fiunt. Si sursum uident, clamauerunt, inquit, & ego non audiui. In terra quoq; nihil nisi tribulationes certunt. Sunt horrendae comminationes aduersus eos, qui uerbum fidei relinquunt.

Non erit eis matutina lux.

Auroram uocat doctrinam Euangeliū, quæ illuminat, serenat & consolatur mentes. Sic Petrus, uocat luciferum orientem in cordibus. Sequentes figure note sunt, quod caliginem & tenebras uocat metaphorice, angustias & calamitates.

Primo tempore alienata est.

Amplificat calamitatem hanc collatione superiorum malorum. Quasi dicat, Longe grauius affligerunt increduli Iudei, quam hactenus affliti sunt. Primum cum terra Zebulon & Nephtali leuis est facta per Tigileth Pylleser Assyrium, qui bonam partem Israelis abduxit. Deinde cum decem tribus per Salmanesser abductæ sunt, cum bona parte Iude. 4. Reg. 17. Mattheus hunc locum citauit capite. 4. ex septuaginta interpretibus. Nihil autem mutauit, quam quod generalem sententiam ex speciali fecit, & trahit hanc lucem, de

## IN ESAIAM

qua hic dicit, ad præsentiam Christi in Capernaum. Vbiq; enim Christus est, ibi lux est.

## IN CAPVT NONVM.

**H**Ic interserit Propheciam de futuro regno Christi, de infidelitate Iudeorum, & Ecclesia ex gentibus congreganda.

Populus qui ambulabat  
in tenebris.

Vno uerbo omnem iusticiam, sapientiam et potentiam mundi tollit & confundit. Si enim Iudeorum terram tenebras uocat, multo magis tenebrae sunt gentes. Porro hoc fuit meritum tam Iudeorum quam gentium, propter quod lumen hoc Euangelij & gracie regnum uiderunt, quod ambularunt in tenebris. Sic hodie nostra merita, quibus hanc Euangelij lucem meruimus, sunt infinitae ab hominibus Papatus in quibus uiximus. Adeo nulla sunt præcedentia merita, sed omnia ex gratia divina offeruntur.

Multiplicasti gentem non.

Recipiunt gentes Euangeliū, atq; sic acceditur Ecclesia accessione gentium. Sed eam felicitatem gentibus Iudei inuident. Sicut dicit, In gente stulta irritabo eos. Item, In populo non populo

pulo prouocabo eos. Atq; hoc est quod hic dicit,  
Non magnificasti l&eticiam.

Iugum humeri eius & sceptrum.

Quemadmodum Gedeon (Iud. 7.) cū trecentis  
militibus magnas Madianitarum copias fudit, Sic  
gentes sunt per Christum redemptæ, Ideo gau-  
dent & letantur. Nos enim patimur tyramidem  
legis, peccati, & mortis. Ministerium autem legis  
est sceptrum exactoris. Virga humeri est pecca-  
tum. Iugum oneris mors est. Ab his tribus sumus  
liberati omnes qui credimus in Christum, non  
quod sublata aut mutata uel lex, uel peccatum,  
uel mors sint, sed quod nos sumus mutati, & alij  
facti. Quibus enim Christus spiritum suum dona-  
uit, illi ex animo legem faciunt, & credunt re-  
missionem peccatorum. Necessario igitur lex,  
peccatum & mors cedunt & succumbunt. Fit au-  
tem hoc eo modo, quo Gedeon uicit Madianitas.  
Inflatur tuba, ea est Euangelij uox. Et lagenæ  
colliduntur, ea est passio Christi. Verbum igitur  
& spiritus in uerbo, dein Christi passio insignem  
illam uictoriam nobis pariunt sine ullo nostro stu-  
dio. Quia enim lex, peccatum & mors, Christum,  
in quem nos credimus, hostiliter tanquam reum  
inuaserunt. Christus ea in suo corpore deuicit,  
eamq; uictoriam nobis, quibus ea opus erat, dona-  
uit. Peccatum igitur, mors & lex sunt collisa in

c 3 Christi

## IN ESAIAM

Christi corpore, quia innocentem iniuderunt, non possunt credentibus amplius nocere.

Omnis uiolenta predatio.

Erit pax & charitas inter Christianos.

Paruulus enim.

Nobis qui sumus in tenebris, qui sub peccato & tyrannis corporalibus & spiritualibus sumus. natus est paruulus, non rex qui tractet arma, sed pacificus, qui nos in suum regnum pacis adserat.

Principatus eius super humeros.

Nos qui sumus principatus eius, gestamur in humeris eius. Est noster seruus, ut nos simus liberi & reges. Est angularis lapis, qui omnes reliquos lapides portat & sustinet. Vult autem ut nos reliqui lapides alter, suo exemplo, alterū portemus. Sicut Paulus ait. Alter alterum portate &c.

Mirabilis. Iam addit Christi nomina, quæ eius regnum describunt. Mirabilis dicitur, Regnum enim eius supra omnem experientiam est, quod non sentitur, sed creditur.

Confiliarius. Per uerbum suum nobis in omnibus periculis consulit.

Virtus. Qui uerbo suo sustentat exhaustos temptationibus. Consulit suis tali uerbo, quod uim habet, & est efficax.

Gygas. Qui nos defendit, & est potens contra aduersarios.

Aeternus

## SCHOLIA.

26.

Aeternus pater. Qui semper gene-  
rat, semper regnum & ecclesiam suam auget,  
Semper manet pater, non est neq; sicut aliquando  
Iudex. Est in eo paternus affectus sine fine.

Princeps pacis. Qui consolatur cor-  
da, remittit peccata &c.

Super solium David.

Hoc necessario addidit ad significandam re-  
surrectionem mortuorum et uitam aeternam. Christi  
enim regnum spirituale, est super solium David,  
hoc est, in hac corporali uita, & tamen erit aeter-  
num regnum. Necesse est igitur regem hunc De-  
um esse & hominem. Hominem, quia sedet super  
solium David. Deum autem, quia in aeternum  
regnat. Necesse quoq; est credentium corpora,  
cum hac corporali uita functi sunt, resuscitari.  
Sic obscure significant Prophetæ resurrectionem  
mortuorum, & Apostoli urgent resurrectionem  
in scripturis significatam esse. Id quod in tali  
bus locis omnibus de regno Christi cernitur.  
Quare obseruare eos studiosi sacrarum littera-  
rum, & ad hunc modum diligentius excutere de-  
bent.

Verbum misit Dominus.

Hactenus prophetauit de regno Christi. Iam  
ad corporale regnum Israel transit. Prophetæ enim  
ista duo regna, praesens corporale, et futurum spi-  
rituale

## IN ESAIAM

rituale sic solent connectere. Sicut nos in nostris  
concionibus & praesentis temporis & futuri iudicij  
mentionem facimus. Notabis hic,

Israël

Jacob

Regnum Ephraim idem esse.

Ioseph

Samariæ

Verbum misit Dominus, id est, obruit uos Deus  
uerbo suo. Vos autem illud per superbiam conte-  
mnitis. Ceciderunt lateres, dicitis, id est, exiguum  
hoc est damnum, quod per Syriae regem sumus  
passi, facile resarcietur, sumus enim populus Dei.  
Non sic, inquit Propheta, nam grauiora & atro-  
ciora sequentur. Sic militum pseudoprophe-  
tarum uoces recitat, quibus populum inflabunt.

Disperdet Dominus ab Israel caput

Propter pertinaciam uestram & spiritua-  
le & corporale regnum amittetis. Prophetas uo-  
cat caudam, Quasi dicat. Debebant esse caput &  
ducere populum, uerum cauda sunt & ipsi du-  
cuntur.

Non lætabitur Dominus super ado-

Id est, irascetur, & dabit eos in manus regis  
Babilonis.

Quia omnis hypocrita.

Tam opera quam doctrina eorum sunt ma-  
la, Successa

Succensa est quasi ignis impietas .

*Est descriptio energiae erroris. Sunt efficaces errores, inquit, & semper proficiunt in pe-  
ius. Impietas est incendium, populus est silua, ab-  
ripitur igitur erroribus ad poenam.*

Vir fratri suo non parcit.

*Seditio sequitur ubi non est uerbum, Sed-  
tionem autem sequuntur foederati, id significat cum  
dicit. Declinabit ad dextram & esuriet, id est,  
cum quacunq; parte se coniunxerit, frustrabitur,  
erunt enim infida & infelicia foedera.*

Vnusquisq; carnem .

*Id est, erunt bella & seditiones, tribus con-  
tra tribum, membrum contra corpus insurget.  
Ephraim contra Manasse, deinde coniunctae con-  
tra Iudam pugnabunt.*

## I N C A P V T D E C I M U M .

**H**actenus particulares poenas  
recensuit, seditiones, bella, famem  
uerbi &c. iam generaliter propo-  
nit ultimam poenam, fore ut rex Af-  
syriorum omnes secum auferat. Sic  
nos quoq; docemus, nostros neq; fames, neq; bella,  
nec pestis mouent. Veniet igitur Turca uel alius  
qui spiam, qui omnia euertet.

e 5      Væ qui

IN E S A I A M

Vx qui condunt leges.

Primo loco peccatum ponit Doctorum. Puto autem significari maxime eos quos Euangelion uocat scribas, sicut apud nos sunt iudices & iurisconsulti.

Quid facietis in die uisitationis.

Id est, Cum rex Assyria uos uastabit. Sic subiungit peccato pœnam.

Vbi relinquetis gloriam.

Gloriam uocat regnum, sacerdotium, sanctitatem, in summa omnia quibus fidebant.

Vx Assur. Descriptio regis Assur, qui uadatur erat Israel et Iuda. Videtur autem hic sermo pronunciatus, cum migraret populus per regem Salmanasar, qui decem tribus sub primis feré Ezechiae temporibus abegit.

In manu eius. Assyrij.

Ipse autem non sic arbitratur.

Consolatur iam pios, in quos dum seuire quoque uirga cogitat, ipsa sibi exitio est & perit.

Nunquid non principes.

Iactat suas vires contra Iuda, & recitat sex insignes uictorias, quas sibi peperit, quibus inspeciem erigitur, fore ut Hierusalem quoque occipet. Porro haec hostium iactantia uehementer afflitos animos conturbat, et est hoc loco ille affectus imprimis obseruandus. Voluit enim prosopopœiam insolentis

## SCHOLIA.

22.

infolentis & potentis uictoris facere, ut pios consolaretur. Quod quamvis aduersarij uiribus polleant & certi sint de uictoria, tamen fore ut frustrentur. Nam Salmonaffer iam decem tribus in Babilonium transtulerat, & restabat sola Iuda, omnibus destituta presidijs. De ea quoq; Senaherib certam uictoridm sibi promittebat. Canit igitur επινιον ante uictoriam. Iuda autem quia sentit, quam sit impar hosti, clamat & ipsa se perisse. Hic uerbum obijicitur desperabundo populo, & promittit, uandas Assyrii minas esse, fore ut seruentur pijs, & uictoria penes Iudam maneat. Sed graue fuit hoc credere, cum diuersum experirentur, & tamen pijs crediderunt, & secutus est felix euentus. Sic in spiritualibus temptationibus insuperabiles uires peccati & mortis esse uidentur. Desperabundum tamen animum uerbum erigit, & consolatur, Quod promittit uitam. Qui in me credit, inquit Christus, non morietur etc. Hoc uerbum fide apprehensum quantumuis trepidantem conscientiam seruat à desperatione, & letam uictoriam omnium periculorum affert.

Calne est Gene. 10.

Carchamon puto fuisse retro Babilonem.

Hamath est Antiochia.

Quomodo inuenit manus.

Sic iactat contra Iudam sex insignes uictorias.

Non

## IN E S A I A M

Non solum maiores suas uires, sed suos deos quoq;  
potentiores dicit, ut sic fiduciam in Deum &  
præsidium spirituale eis auferat.

Cum impleuerit Dominus.

Loquitur de opere iudicij, quod suos filios  
castigauerit in iudicio, & non in furore. Intel-  
ligo enim ea quæ scquuntur de fuso Sennacherib.

In fortitudine manus meæ.

Superbiam Sennacherib describit. Conso-  
lantur autem & hæc, quod Deus superbis resistat.  
Humilibus autem det graciam.

Quoniam si eleuetur uirga.

Hunc locum sic uerte. Nunquid gloriabitur  
securis contra eum, qui secat in ea? Nunquid ex-  
altabitur serra contra eum, qui agitat eam? sicut  
gloriatur leuans & agitans uirgam, & exaltans  
baculum, perinde ac si non sit lignum. Sententia  
igitur hæc est. Assyrius est serra & securis meæ,  
qua utor ad populum meum affigendum. Stulte  
igitur facit, quod iactat uires & fortunam suam,  
quasi suo consilio & non meo hæc fiant. Minore  
enim negocio talem monarcham extollo, quam  
aliquis stipulam leuarit &c.

Erit lumen Israel.

Id est, Deus in templo suo, in Hierusalem:  
Sic enim perdidit Deus Sennacherib una nocte  
per angelum.

Deuorabitur

## Deuorabitur spina.

Per contemptum sic uocat Sennacherib.  
Quasi dicat. Putas te ob multitudinem populi sal-  
tum quendam, imo Charmelum esse & incultissi-  
mum agrum, Sed falleris, es quasi spina, quam nul-  
lo negocio succendam &c.

## In die illa non adiicit.

Non solum Sennacherib percutietur, sed  
populus quoq; postquam sic castigatus fuerit,  
emendabitur & iustificabitur. Non adiicit inniti-  
eo, id est, non amplius foedera faciet, sicut Ahas  
fecit. Sed ponent fiduciam suam in Deum suum.

## Consummatio abbreviata in.

Est generalis sententia, id est, Deus semper  
sic punit, ut tamen reliquias in suo populo relin-  
quat. Consummatio est, quod suam uirgam perfic-  
it, & punit, quod uititur flagello. Inter consum-  
mandum autem abbreviat, id est, non consumit to-  
tum populum, sed tum cum simpliciter actum esse  
de nobis uidetur, fert opem, iuuat & erigit. Sic in  
ignominia, in morte, & ut summatim dicam, in  
omnibus periculis, quando consummatio uidetur  
adesse, tunc uenit abbreviatio. Sic in Hiob. Cum  
te consummatum putabis, eris tanquam lucifer.  
Paulus in Epistola ad Romanos hanc sententiam  
retinet, nisi quod ex generali particularem fecit.  
Multum autem sudat, ut ostendat abbreviationem  
factam,

## IN ESAIAM

factam, & promissiones reliquijs Israel præstis.

Quod addit, iusticia imundabit, nihil aliud est,  
quam quod reliquie saluæ fient.

Paulus septuaginta secutus, uerbum consumans  
fecit. Sed is Hebraismus rectius uerteretur, res  
consumans.

Quidam referunt consummationem abbrevia-  
tam non ad pœnam, sed ad populum, quod Deus  
populum decurset, paucos quosdam eligat, reli-  
quos abiciat, et iſ pauci inundent iusticiā, id est,  
quod Apostoli reliquie Israel uerbum Euangeliū  
essent inuulgaturi. Hæc bona quoq; sententia est,  
Sed ego malo priorem sequi.

Consummationem enim.

Est ceu proverbiū. q. d. Illud semper facit  
Deus, ut cum pœna remedium quoq; afférat. In ne-  
cessitate semper iuuat, erigit, defendit &c.

Super te in via Aegypti.

Sennacherib aliqua Iudea parte occupata, regi  
Aegyptiorum occurrit, eumq; fudit, post ad Hie-  
rusalem obsidēdam rediit, misere autem in redi-  
tu Iudeam uastauit. Dicit autem, Baculum, id est,  
uirgam, qua usus est in reditu ad marerubrum.

Iuxta plagam Madiani.

Significat exercitum Sennacherib non huma-  
nis viribus aut armis fundendum;

Iugum à facie olei.

EST

*Est Hebraismus, id est, præ pinguedine.*

*Venit in Aioth.*

*Omnia hæc sunt mimitice accipienda. Recitat enim uarios rumores de aduentu Sennacherib ad Hierusalem. Heri istic substitut, hodie erit in illo loco &c. Illis rumoribus in maiorem metum Hierosolimitani coniecti sunt, ita ut sit.*

*Ecce dominator Dominus.*

*Hic confirmat suos contra illos rumores, de aduentu Sennacherib. Sunt autem figuratae locutiones, quibus significat exercitum hostium per angelum occidendum.*

### IN CAPVT. XI.

**D**RÆCEDENTI capite descripsit casum regis Assyrii, & redemptionem Iuda. Iam nouum orditur caput, & corporali promissioni propheciams de futuro regno Christi subiicit, quale sit regnum, cuiusmodi rex, cuiusmodi ciues sint.

*Egredetur uirga de radice.*

*Hic latentem Chronographiam Prophetæ inseruit. Dicit enim Christum nasciturum ex radice Isai, id est, tum cum truncus ille seu radix illa desperata erit, regno scilicet iam amissso. Sicut est Gene. 47. Erat autem desperatus truncus, tum cum Herodes rex esset, & Romani quoq; sacerdotium*

*tunc*

## IN E S A I A M

tum uendebat. Sic utrungq; & regnum & sacerdotium, tum cum Christus natus est, amissum fuit, & reuera domus David & regnum, emortuus quidam truncus fuit. Porro hic solet operum Dei ordo esse, ut tempore desperationis sit tempus salutis, & tum credendus est proxime adesse Deus, cum longissime abesse uidetur. Sic hoc nostro tempore in summa Papæ tyrannide Euangelij lucem dedit.

Et requiesceret super eum spiritus.

Iam uires, arma, & omnem illum apparatum regium, quo paratur regnum, describit.

Spiritus Domini.

Hec sunt arma. Erit spirituale regnum, per solum Spiritum sanctum administrabit, operabitur omnia. Subiicit autem, quis sit spiritus & qualis. Est spiritus sapientie, qui docet cognitionem Dei & uniuersæ pietatis. Ea enim est sapientia nostra. Intelligentia autem est iudicium, quod ex illa sapientia oritur, ut animaduertamus que cum pietate pugnant, & possimus iudicare de falsis doctrinis, de Sathanæ infidijs &c.

Spiritus consilij.

Hoc iam ad crucem & ad tempus tribulationis pertinet, quod consulat, consoletur, erigit afflictos.

Spiritus potentiarum.

Qui dat

SCHOLIA:

25.

Qui dat uictoriam & effectum istis consilijs,  
ut consolatio firmiter in animo hæreat.

Spiritus scientiæ.

Scientia pertinet ad communem usum uitæ  
inter fratres, ut se unusquisq; illorum moribus ac=  
commodet, cum quibus uiuit, & sic omnia uitæ  
scandala. Coniungit autem scientiam cum timore  
(Interpres fecit spiritū pictatis, sed debet uerti tū  
moris) quia scientia per se inflat. Atq; hec est  
descriptio regni Christi, quo nam modo surculus  
huius regni propagetur. Spiritus sapientiæ & in=  
telligentiæ pertinet ad uerbum fidei retinendum,  
spiritus consilij & potentiae ad crucem, Spiritus  
scientientiæ & timoris ad usum uitæ inter fratres.

Replebit eum spiritu timoris.

Christus non speciem aut opera in iudicando  
sequetur, sed sicut in Psalmo est. Beneplacitum  
est ei super timentes eum.

In iusticia iudicabit tenues.

Sicut in Euangeliō. Sitizen̄ iusticiam fa=  
turabuntur. Sic describit regnum Christi, quod  
habeat talē doctrinā, quæ alienam iusticiam  
doceat, quæ iusticia confertur de cœlo ijs qui iu=  
sticiam non habent, tenuibus, pauperibus, qui ur=  
gentur peccatis & mala conscientia, & habent  
opus remissione peccatorum.

Et percutiet terram uirga.

d

Nos

## IN E S A I A M

Non conseruatur hoc regnum armis, sed uirute spiritus sancti. Baculus significat uerbum uocale, Euangeliū, quod procedit de ore omnium qui pure docent. Id non est inefficax, sed est καρπόφορον, iustificat pios, impios perdit.

Et erit iusticia uincitura lumborum eius.

Noſtri Christi arma ſunt, non gladij, ſed iuſticia & fides. Quia enim in eius iuſticia heremus, facile conſcientiam & peccata uincimus. Et fide quoq; pugnamus. Oratio enim fidei opus eſt, quo uincuntur omnes terrores & omnia mala, iuxta illud, Quicquid in nomine meo petieritis, hoc dabit uobis pater meus &c.

Et morabitur.

Enumerat etiam fructus uerbi. Sunt autem allegoriae, quibus significat, quod Tyranni, iuſtiarij, & potentes mundi conuertentur & recipiuntur in Eccleſiam.

Et delectabitur infant.

Significat audaciam infantium. Quamuis autem haec etiam ad literam impleta ſint, ſicut habemus in historijs, quod sancti patres diſruperunt ſerpentes, tamen malo allegoriam ſequi, ut fit ſententia. Delectabitur infans, ut extrahat uitperam, hoc eſt, contempti in mundo, infirmi & ſimplices predicatores uerbi, diabolum habitantem in

tem in hominum cordibus, exturbabunt. Non me-  
tuent basiliscos, id est, hereticos, qui aspectu eti-  
am auditores inficiunt. Occident eos cum gaudio,  
id est, eximent illas virulentas opiniones e cordi-  
bus hominum, & haec omnia per uerbum Euange-  
lij prædicatum uocaliter. Quare summa impietas  
est, & bis Sathanicus error, quod multi hodie  
etiam ex ijs, qui doctrinam aliquam sibi uendi-  
cant, externam uerbi prædicationem contemnunt  
tanquam inefficacem.

Non nocebunt.

Erit summa pax in Ecclesia, erit concordia  
que etiam discordes congreget.

Erit in die illa.

Est insignis locus de uocatione gentium, &  
de uerbo in gentes uulgando. Ac principio omni-  
um ex hoc textu colligitur, si debent gentes con-  
corporales esse Iudeis. Ergo necesse erit, totum  
ritum Iudaicum aboleri. Sic destruit, quicquid est  
fiduciae in iusticiam Mosaiam, & omnia merita  
operum. Atq; hic locus obseruandus est diligen-  
ter, ut ubi cunq; de uocatione gentium legis, statim  
hoc consequens addas. Ergo necesse est legem  
abrogari, & totum illum cultum, sic etiam in  
Psalmo abrogatio legis significatur. Laudate do-  
minus omnes gentes. Neq; hoc tantum, sed si-  
gnificatur etiam gratuita iusticia, que contingat

## IN ESAIAM

nullis bonis operibus precedentibus. Gentes enim sunt populus sine lege Dei, omni genere peccatorum contaminatus.

Item quod addit, gentes quæsturas hanc radicem, sequitur, quod non amplius quæsturæ sunt Mosen. Item, quod non satis fuerunt nec lex, nec Moses, nec Leuitæ, nec Prophetæ ad iusticiam. Sic in uerbo querent est sita uis & usus regni Christi. Quod omnia ad se trahet cum exaltatus fuerit. Querent radicem, ergo damnabunt omnia sua tam Iudei, quam gentes, ergo nulla alia iusticia ualeat, quam iusticia Christi, ergo nulla sunt opera, meritum, & quicquid non est Christus, hoc est damnatum & prorsus ad iusticiam inutile.

Querer signifikat credere, curare, sollicitum esse, ut retineatur Christus & iusticia eius. Iam personæ descriptionem addit.

Qui stat in signum populorum.

Proprijs studijs quæri Christus non potest, sed exaltatio signi commouet gentes, ut eum querant. Eleuatur signum per prædicationem Euangelij. Proponitur enim Christus per uerbum stans oculis mentis. Ideo autem uocat signum belli, quod Christus uersetur & sit efficax in temptationibus.

Reuies eius erit gloria.

sic

Sic enim malo uerti quām sepulchrum. Hie addit quomodo sit paratus regnum. Vocat autem requiem mortem, quod Christus post mortem regnum suum incipiet, & tum gloriosus erit, cum ab omnibus mortuis putabitur.

Porro obseruabis in his locis de regno Christi, diuinitatem & humanitatem Christi descriptam. Vocat Christum radicem Iesu, ergo erit naturalis filius Ibai, & purus ac uerus homo, habens corpus & animam. Quod gentes eum querent, est diuinitas, illa enim fides non debetur nisi Deo, sicut supra in 8. cap. Et redimere, liberare, iuuare, sunt opera diuina, quae non possunt tribui nisi Deo. Additur quoq; quod sit filius virginis futurus. Si enim gentes liberabit, necesse est, esse cum sine peccato, ergo non nascetur ex carne peccati, ergo sine patre carnali nascetur ex uirgine. Porro passionem & mortem Christi clare dicit, si quidem dicit fore, ut requiescat in sepulchro. Resurrectio quoq; addita est, quod dicit, Requies eius erit gloria, id est, post mortem gloriose reagabit.

Et erit in die illa, adiicit.

Nihil potuit amplius de regno Christi dici. Addit igitur iam figuræ, & quod ante simpliciter dixerat, iam figurate effert. Sicut mos huius Prophetæ est. Quasi dicat, illa demum erit uera

## IN ESAIAM

reductio ex terra Aegypti , cum sic in unam ecclasiam , tam Iudæi quam gentes colligimur . Phæthros puto esse Cyreneos aut uicinos Cyreneorum , Elamitæ sunt Persiae , Sennaar est ubi Babilo sita fuit , Hamath est Antiochia . Insulae maris sunt ad occidentem in mari mediterraneo .

Signum in nationes .

Non in Hierusalem , ergo non erit corporalis reductio .

Et uolabunt Philistijm .

Sunt allegorica omnia , quibus mirabiliter uerbi successum significat . Quasi dicat . Tunc erunt præclaræ uictoriae , omnia cedent Euangelio .

Ammon , Moab , Edom , Cedar , sunt Arabiae Petreae partes . Lingua autem Arabum generali uocabulo Cedar est appellata . Significat igitur , quod illis populis iniçient Apostoli manus , et quod erunt obedientes Euangelio .

Desolabit Dominus linguam maris

Sic Hebrei ostia fluminum , item sinus circumscribunt . Significat autem hic Nilum , quod Aegyptus quoque sit Euangelio creditura .

Et leuabit super flumen .

Flumen absolute positum significat Euphratem . Exiccati flumen est , quod Euangelio cedat , ut libere possit prædicari .

IN CAPVT

## IN CAPVT. XII.

**A**m subiicit canticum, in quo describit, que nam sit noui Testamenti prædicatio. Est autem ceu occulta antithesis contra cultum ueteris Testamenti. Quasi dicat. In ueteri Testamento erat uarius cultus, In nouo erit ille unusius cultus uice omnium, sacrificium laudis, confessio & gratiarum actio. In ueteri Testamento iactabantur pecudes, In nouo iugulantur sapientiae, studia, opera, merita nostra, Mortificatur uetus homo. Qui enim Deum ex animo laudat, eiq[ue] agit gratias, si fatetur se omnia à Deo accepisse, fuisse se damnatum, reprobum ad omne opus bonum &c.

Quoniam iratus fuisti.

Agit gratias Deo de ablata ira. Ira autem non solum mortificatio est, sed ea ira, quam lex operatur, pauor mortis & stimulus mortis.

Ecce Deus salutis.

Est descriptio pacis cordis. Qui credunt, habent Deum salutis. Increduli uero sunt prostrati, & omnibus Sathanæ infidijs expositi.

Si quid ergo adhuc in nobis reliquum est timoris, ea aut Sathanæ tentatio est, aut reliquiæ ueteris hominis. In Christo enim non potest esse nisi

d + summa

## IN E S A I A M'

Summa securitas et gaudium, sicut Roma. 5. dicit.  
Iustificati fide pacem habemus erga Dcum.

### Psalmus meus.

Id est, materia psalmi, iactando ipsum, canta-  
ndo & predicando ipsum uincimus. Ideo subi-  
cit salutem.

Porro quia salutis mentionem facit. Significa-  
tur etiam Crux & insidiæ Sathanæ & mundi, à  
quibus tuti erimus, quando uerbum Christi in cor-  
de habemus. Verbo enim uincendum est, cogita-  
tionibus nunquam uincemus. Imò perniciossissi-  
mum est cogitationibus indulgere, & cum Sa-  
than disputare, cum tentatio adest.

### Haurietis aquas.

Scripsit prædicationem per uerbum uoca-  
le, quo celebramus Christum. Quando autem hoc  
uerbum prædicatur, tunc sequitur diffusio spiri-  
tus sancti. Dicit igitur, haurietis aquas, sicut Io-  
han. 6. id est, uirtutem, & efficaciam, & consola-  
tionem spiritus sancti.

### Confitemini.

Est de propagatione Euangeliij. Dimanabit  
ista aqua in reliquos quoq; Erunt alij quoq; par-  
ticipes sacrificij & spiritus Dei.

### Quia superbe fecit.

Id est, gloriose uicit sua resurrectione pec-  
atum, mortem & Sathanam.

Exulta

Exulta Zion.

Habes remissionem peccatorum, pacem, spiritum sanctum. Lætare igitur, & sacrificia Deo sacrificium laudis &c.

IN CAPVT. XIII.

**E**A quæ hactenus à Prophetā tractata sunt, proprie ad Iudaicum populum pertinent. Dixit enim & de præsenti Iudeorum regno, & de futuro regno Christi. Non autem incepit fecerimus, si hic secundum librum ordiamur. Transit enim Prophetā à Iudeis, & prophetat vicinis gentibus futuram uastitatem. Porro historiæ series hic errorem parit, quod sub Acha contra Babilonem prophetet, cum tamen monarchia penes Babilonios tum non fuerit, sed aliquanto post eò sit translata ab Assyrijs. Ego sic sentio. Cum uerisimile sit hos sermones non à Prophetā editos, sed à scribis exceptos esse, nullam seriem historiæ ab iis esse obseruatam. Sic Hieremias prophetiam ab alijs exceptam apparet, & nominatur quoq; istic scriba. Et Psalterium quoq; sic congregatum est, ut nullus Psalmorum sit ordo. Siue igitur hanc prophetiam uel ab ipso Prophetā, uel à scribis auditam habemus, certum est, quod d s per

## IN E S A I A M

per anticipationem ea sub Achæ temporibus recitat, quæ ad Ezæchiae tempora pertinent. Id quod ab alijs Prophetis quoq; est factum. Sic in duodecimo Hieremias et narrantur, quæ erant ad caput. 25. rescrivanda. Ita etiam hic per anticipationem ea de Babilone dicuntur, quæ oportuit secundum ordinem historiæ post quadragesimum caput sub Ezæchia dici. Atq; hoc quidem primum sit, quod ad ordinem Prophetæ et grammaticam serè pertinet.

Secundo, hoc quoq; monendum est, Prophetas, cum de Deo loquuntur, non de Deo maiestatis loqui, sed de Deo qui habitat in tabernaculo foedoris. Quemadmodum nostra religio in incarnatum et crucifixum Christum refertur, non in maiestatis Deum extra Christum. Sic Iudæorum religio erat non in glorioso Deo, sed in Deo super Cherubim. Quia enim de maiestate cogitare nemo tuto potest, et gloriosus Deus ab humana mente comprehendendi nequit. Ideo scilicet Deus tam Iudæis quam nobis non gloriosum, sed infirmum et in infirma specie proposuit. Cum igitur Prophetæ hunc infirmum Deum, inclusum in certum locum, iactarent, et minarentur eius potentiam formidandam maximo regno, quod tum erat, sunt irrisi et prostultis habiti a gentibus. Quemadmodum adhuc hodie ridentur apud Iudæos et Turcos, qui Christum cruci-

## SCHOLIA.

30.

stum crucifixum iactant. Voluit autem Deus ideo  
in infirma specie cognosci, ut humanam sapienti-  
am confunderet. Hæc enim summa sapientia est, in  
illa infirma Christi crucifixi specie hærcere et non  
offendi, ut nihil aliud de Deo sciamus aut cogite-  
mus, quam quod sit crucifixus. Maiestatis cogita-  
tio periculosisima est. Potest enim malus spiritus  
se in maiestatis speciem transfigurare, in speciem  
crucis transfigurare se non potest. In illa enim ui-  
ctus & prostratus est, quare etiam infensissime  
eum odit. Intelligamus igitur hanc propheciam  
irrisam, & stultam ab omnibus iudicatam esse,  
qua potentissimæ Babiloniorum monarchie uasti-  
tatem minatur. Porro Onus significat prophe-  
ciam, quæ calamitatem denunciat.

## Signum supra montem.

Est hypotyposis, qua rcm sic describit, ut agi  
uideatur, ad maiorem fidem sibi faciendam. Porro  
intelligit montes uicinos Babiloni. Quasi dicat.  
Tam prope sunt hostes, ut à Babilone in montibus  
confici queant.

## Portas principum.

In Babilone.

## Ego mandaui sanctificatis.

Ego scilicet infirmus Deus, qui habito super  
Cherubim, & qui contemnor. Sanctificatos autem  
uocat Persas & Medos, qui parati sunt ad opus,  
& mini-

IN E S A I A M

**E**r ministerium Dei, et deputati ad perdendos  
Babilonios, Id enim significat sanctificatus.

Vox multitudinis.

Vox fremitus seu tumultus: Pergit in hy= potyposi.

A summitate cœli.

A finibus cœli, id est, à longinquο. Est enim Hebraismus. Cœlum enim Hebrei dicunt, quantum oculis prospici potest, quod nos ferè Horizōntem dicimus.

Vasa furoris eius.

Medi et Persæ.

Vlulate.

Quasi dicat. Exultatis iam et letamini, Venerum futurum est, ut ululetis. Hostis breui aderit, est enim in propinquο. Tanta autem eius potentia est, ut illi resistere non possitis. Sic Babilonios pavoribus replet. E contra Persas animat ad audendum. Deus enim uictoriae est arbiter.

Quasi parturientes angustia.

Est grandis figura, que coniicit eos in presentem mortem, unde non sit certus exitus.

Facies combustæ.

Verte sic. Quia facies flamarum sunt ultus eorum, id est, rubent facies præ nimio metu.

Quoniam stellæ cœli.

Describit affectum eorum, qui insigni aliquæ calamitate

*et calamitate premuntur, ijs enim etiam hoc gratissimum cœli lumen, triste & obscurum uidetur.*

**Super orbis mala.**

Dicit de Babilonio tantum orbe, Hebraico more. Sicut Euanglista quoq; fecit, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur orbis, hoc est, orbis Augusti.

**Preciosior erit uir auro.**

Erit maxima hominum penuria ex illa clade:  
**Super hoc cœlum turbabo.**

Sic loquitur scriptura, quando significat mutationem aliquam fore. Est autem insignis extenuatio, quod tantum regnum fugatæ damulæ confert. Et describitur simul crudelissima uictoria Medorum.

**Nec ponet ibi tentoria.**

Significat extremam uastationem & solitudinem. Arabes in nullo certo loco habitant, sed uchuntur tabernaculis suis sicut latrones, curant pecora.

**Requiescent ibi bestiæ.**

Hebraica uox Zihim est, quam puto significare in genere omnes rapaces aves, quales sunt uultures, accipitres, corui, aquilæ &c.

**Draconibus.**

Hebraice est Ohim, id quod puto generale nomen esse omnium quadrupedum, ferarum & siluestrium

IN ESAIAM  
Silvestrium , quales sunt lupi , uulpes &c.  
Pilosæ.

Ii sunt , quos nos dicimus Siluanos & Satyros . Sic enim existimo Sathanam ea specie gentibus sepe apparuisse , ut eas ad idolatriam provocaret . Hinc uenit cultus Panos &c.

ALLEGORIA:

**E**go simplices historias maximi facio , allegorias non ualde probo . Allegoriae enim ceu ornamenta & amplificationes adhiberi debent . Historiae autem quia semper seruatissimæ Dei , aut promissiones testantur , tum fidem , tum timorem Dei alunt in cordibus . Sic promittit hæc historia pijs liberationem , quod quemadmodum Iudei a potentissimo & superbissimo domino sunt liberati , Sic nos quoq; seruabimur perditis nostris inimicis . Valet quoq; hæc Babilonis calamitas ad terrendos tyrannos , & omnes illos , qui uel potentia , uel sapientia , uel opibus , uel gloria abutuntur ad suam libidinem . Hic historiarum quantumvis simplicium , & quas plerique negligunt , usus esse debet .

Si quis tamen allegorijs quoq; ludere uoleat , commodissime id faciet , si eas ad legem & ad Euangeliū referat . Lex igitur sit Cyrus & potentia illa Babilonis , contra superbam conscientiam

entiam iusticiariorum. Ea damnat quicquid est operum, & arguit sibi nondum esse satisfactum. Sequuntur igitur confusio, tortiones, & parturientis dolores, pudefunt homines, & cessat illa fiducia operum, & sunt ea quæ hodie uideamus, qui hactenus fiducia iusticie in monasterio uixit, deserit monasticam uitam, omnem gloriam operum in cinerem abiicit, & spectat gratuitam Christi iusticiam & meritum, Atq; ea est uastatio Babilonis. Struthiones & pilosi qui remanent, sunt Eccius, Coelius, Latomus, & alij qui non pertinent ad istam partem legis. Vllulant non loquuntur humana uoce, nullam afflictam conscientiam sua doctrina erigere & consolari possunt. Solus Iacob & Israel liberantur, uexate conscientiae eriguntur, illæ norunt Papæ tyrannidem, reliqui tanquam monarcham Babilonis cum co-lunt.

Huiusmodi allegoriae meæ sunt, quas ego probo, quæ scilicet naturam legis & Euangeliū nobis adumbrant.

Miserebitur enim Dominus Iacob.

Consolatur suos Propheta. Fiet aliquando, inquit, ut Babilonij captiuos uos abducant, ne desperatis tum, certo enim restituemini, & miserebitur uestri Deus, dabuntq; uobis uicissim Babilonij penas pro iniurijs quas uobis attulerunt, et seruient uobis.

CAPUT

IN ESAIAM  
CAPVT. XLI.



T erit in die illa, num requiem dederit tibi Deus.

Est idem argumentum cum superiori capite. Quia enim Propheta praeuidebat futurum, quod Babiloniis Iudeos in seruitutem redigerent, & grauissime affligerent.. Item quod suis nihil, quam desperatio in summa calamitate esset relictā. Ideo ad maiorem confirmationem fidei in suo populo, de futura Babilonis uastatione ceu de praesenti loquitur, & omni genere figurarum utitur ad confirmandos & consolandos suos. Difficillimum enim est a desperatione in summis calamitatibus ad fidem animos reuocare, ut credant Deo promittenti liberationem. Nam caro futurum auxilium animo concipere non potest, praesensu praesentis calamitatis.

A labore tuo.

In captiuitate Babilonica:

Baculum.

Sunt figuratae appellationes saui & crudelis regni. Porro exprobationes istae grauiter dolectent electis illis principibus. Sicut quoq; multum consolantur eos, qui passi sunt tyrannidem.

Infernus subter te.

Est elegans

*Est elegans & plane poeticum ornamenti  
tum, quo Propheta securissimo spiritu regi illu-  
dit, singit enim theatrum apud inferos, quomodo  
ab alijs regibus istuc accipiatur rex Babilonis, &  
quod istuc quoque sint qui arrogantiam & crudeli-  
tatem ei obiectant, & exprobrent. Quod enim di-  
cit, Infernus conturbatus est, est ironicum, perinde  
ac si nos diceremus. Ei wol furcht sich der Kir-  
choff so seet fur dir. Porro Hebraice uocatur in-  
fernus, locus in quem corpus & anima post mortem  
deferuntur, maxime autem in quem corpus defertur.*

### Concidit cadauer tuum.

*Cum sonitu cythararum tuarum, est Hebrai-  
smus, id est, tu deturbaris ad inferos cum potentia  
& deliciis tuis.*

### Quomodo cecidisti de cœlo.

*Quia ignari homines artium dicendi fuerunt,  
de casu Luciferi angeli haec intellexerunt, cum  
sit figuratum ornamentum. Quod mors regis Ba-  
bilonis sit perinde, atque si Hesperus stella de cœlo  
caderet, et aurora obscuraretur. Sic illudit se Pro-  
pheta. Observabis autem, nihil haec prophecia stu-  
tius tum apud Babilones, tum etiam apud Iudeos fu-  
isse, cum adhuc floreret monarchia Babiloniorum:*

### In cœlum ascendant.

*Tu contempsti Iudaicum populum pre-  
te, una cum Deo ipsorum, qui est in tabernaculo,*

e Atqui

## IN ESAIAM

Atqui cum Deum contemnere, perinde est ac si supra cœlos descendere præsumas, quod tamen fieri non est possibile. Sic poetica figura cogitationes regis exponit. Perinde atq; si dicam, Papam tam superbum & præsumptuosum esse, ut ausit etiam Deo leges præscribere. Cum tamen Papa se hoc uelle neget, quamuis dum conscientias regit, id facit.

### Omnes reges gentium.

Ad augendam calamitatem confert cum cum alijs regibus. Alij sunt sepulti in suis regnis, tu in tanto imperio non habes tantum spacij, quo recordaris, sed iaces sicut unus ē uulgo inhumatus.

### Fundamenta laci.

Sic uocat calculosa seu arenosa loca. Balasar autem est in lecto à Medis occisus.

### Præparato filios eius occisioni.

Homo debet tantum punire cum qui peccat. Deus autem punit etiam in tertiam generationem.

### Vt conteram Assyrium.

Redit hic ad Assyrium Sennacherib, de quo supra. 10. cap. Neq; enim ordinis rationem in digiendo propheta scribæ habuerunt. Est enim hactenus expaciatus per digressionem ad monarchiam Babilonis, que nondum erat. Iam redit ad præsentem monarchiam Assyriorum. Sic si dicarem,

Papa

Papa regnum peritum, liceret expediari, quod  
Deus omnes impios esset perditurus. Deinde com-  
mode redirem ad institutum, Deus hunc quoq;  
præsentem Papam perdet &c. Porro Assyriorum  
& Babilonis monarchia una eademq; monarchia  
fuit. Ideo tamen distinguitur, quod regni sedes  
Primo in Assyria, post in Babilone fuerit.

## CAPVT. XV.

**N** anno quo mortuus est  
rex Achas.

Inepte distincta sunt capita, qua-  
re nos initia capitum paululum im-  
mutabimus.

Supra de Sennacherib dicit, Ea historia  
gesta est anno quindecimo uel sedecimo Ezechie.  
Nunc ad primum annum Ezechiae redit, & pro-  
phetat contra Palestinos, qui ob Achae mortem lca-  
tabantur. Is enim formidabilis eis fuerat ob Assy-  
riorum societatem.

**Q**uoniam baculus fractus est.

**I**d est, Achas est mortuus potentissimus  
rex.

**N**am de radice serpentis.

**E**s proverbialis gnome. Acham uocat ser-  
pentem, & Ezechiam uocat Basiliscum, tanquam  
e z multo

## IN ESAIAM

multo grauiorem Philistinis , quam Achas fuerit.  
Is enim percussit Philistinos usq; ad Gazes , sicut  
est in .4. Regum. Verum queritur hic , quare bonus  
rex Basiliscus uocetur. Respondeo. Sic Christus se  
mortem , & pestem mortis in Prophet:i appellat.

Et pascentur primogenita.

Iudei sunt tanquam parvus quidam grex  
& pauper, Philistini sunt potentes. Iudei tamen  
hoc habent , quod sunt primogeniti , id est , dilecti  
& delecti Deo , qui sicut peculium Dei quan-  
tumvis pauperes , requiescent in spe .

Ab Aquilone uenit eis fumus .

Est descriptio exercitus Assyriorum. Sole-  
mus autem in germanico quoq; ignem figurate  
pro calamitate accipere .

Zion fundauit Dominus.

Est magna consolatio afflitti regni Iudee,  
quod potentissimus hostis perendus , ipsi autem  
seruandi essent. Dum enim uicinis populis malum  
prædictit , non tam hoc agit , ut illos terreat , quam  
ut suum populum consoletur & erigat contra  
suos hostes , quibus erat circumseptus .

## CAPVT. XVI.

{Propheticus}

SCHOLIA.

35.

**P**Rophecia contra Moab. Sicut  
autem Palestini cupiditatem uindi-  
ctæ tribuit. Ita Moabitis tribuit ar-  
rogantiam. Fuit enim ualde super-  
bus populus ob ea dona que habuit.

Nocte uenit uastatio.

Loquitur ccu de re præsentि. Tam facile  
uastabitur, inquit, atq; si quis occupet ciuitatem  
sepultam somno & uino. Significat simul nomine  
noctis præsumptionem & securitatem.

Ar. Est quam Græci Ariopolin dixer-  
unt.

Murus Moab.

Accipio Kir pro proprio nomine ciuitatis.  
Ascendit ad excelsa.

Qui in successu efferuntur, illi etiam ad le-  
uia mala sic franguntur & metuunt, ut erigi non  
possint. Sic de Moabitis hic dicit. Porro Neba  
& Mebda ciuitates fuerunt in Gad & Ruben.  
Aut igitur eas Moabitæ denuo occuparunt, aut  
alijs urbis eadem nomina imposuerunt.

In omnibus capitibus.

Sunt signa magni luctus pro more illius po-  
puli.

Hesbon. Ciuitas Ruben.

Gaza. In finibus Ruben quoq; est.

e 3 Cor

IN ESAIAM  
Cor meum ad Moab.

Hic locus male est uersus, debet igitur sic reddi. Cor meum ad Moab clamabit, fugientes uitule illius trimæ usq; ad Zoar, scilicet, fugiunt. Accipio autem hæc in persona Prophetæ, quasi insultet Moab, quod adeo sit fractus & conterratus. Porro uocat Moab uitulam trimam, prouerbialiter, propter ubertatem pascuorum, & alia commoda, quibus ea terra abundabat, sicut trima uitula fœcunda est & abundans lactis, sic in Ozea Ephraim dicitur uitulus declinans.

Luhith.      Hæc loca ignoramus.  
Aquæ Nimron.

Puto Prophetam figurate loqui, quod illæ loca deserta sint cultoribus & habitatoribus,  
Super flumen Arabum.

Libenter intelligerem torrentem Gabboth,  
ultra torrentem Salicum.

Quoniam circumit.      Id est,  
Vbiq; est ululatus.

Ponam super Dimon.

Leones Moab uocat optimates Moab. q.d. &  
optimatum et uulgi reliquæ grauius affligentur.  
Emitte agnum Domine.

Verte sic. Vos principes terræ, emittite  
agnos ex Sela ex deserto. Hieronymus male  
ad beatam virginam, dctorquet, & ego Iudeo-

tum sententiam quoq; non sequar, quod existimem  
Moabitas tum sub Ezechiae imperio non fuisse.  
Mea sententia igitur hæc est, ut sit ironia, Mitti=  
te nunc uictimas ad templum Domini, an forte de=  
pellere à uobis imminens malum possitis. Vnde  
hec repentina in uos religio incesit? Sed nihil ea  
uobis religio proderit, nullis hostijs calamitas  
hæc in uos ingruens procurari poterit.

Et erit sicut avis fugiens.

Bona pictura est. Sicut avis ē nido, sic uos ē  
regno fugabimini.

Arnon.

Quid sit nescio, puto tamen esse terminum  
Moabiticæ regionis, & aptum latronibus locum.

Ini confilium.

Id est, Est tibi simpliciter fugiendum, utere  
ergo iam sapientia tua, para tibi umbram contra  
estum, id est, para tibi munimentum & præsidium  
aliquid aduersus hanc calamitatem. Sic est per=  
petua ironia & insultatio.

Absconde fugientes. Age, absconde miser=  
ros homines sub ista umbra, ut lateant. q.d. Nulla  
ratione tueri eos, aut subuenire eis poteris.

Tunc finietur exactor.

Sunt meræ ironiæ. Sine dubio tantum in te  
erit præsidij, ut tantam calamitatem auertere, ex  
subuenire miseris tuis ciuibus queas. Quod miser=

IN E S A I A M  
rum uertit, tu uerte uastatorem.

Præparabitur in misericordia.

Redit hic ad suos, & consolatur suos.  
Moab, quantumuis superbus, peribit. Nos autem  
manebimus, & manebimus in regno, in quo non  
erit furor, sed misericordia, non hypocrisis, sed  
ueritas. Significat autem Ezechie regnum.

Audiuiimus superbiam Moab.

Est nota huius Thrasonis, *superbia, inquit,*  
& tamen peribit.

Moab ad Moab.

Moabita ad Moabitam.

Super fundamenta ciuitatis Kir-

Scilicet, ullulabunt, id est, uulgi deplora-  
bit miserabilem suorum principum casum. Clat-  
dos uocat uulgi fecem.

Flagella eius.

Est figurate dictum, id est, Assyrii omnem  
Moabitarum iuuentutem transferent in suam ter-  
ram.

Plorabo in fletu meo.

Loquitur Propheta in persona Moab.

Quoniam super uindemiam tuam.

In uindemia & messe gaudent & letantur  
agricole. Est autem hic ironia, qua uictis insul-  
tat uictor. Hostium tuorum clamor in uindemia  
eua auditur, id est, tuis laboribus alius fruitur. Sic  
enim

enim impijs accidit, cum sunt in vindemia, alius metit. Sic iusticiarij, in periculo mortis nullum suæ iusticiæ fructum percipiunt.

### Vinum in torculari.

Significat his figuris simpliciter destruendos & vastandos esse.

### Super hoc uenter meus sonabit.

Est quoq; mimiticum, id est, dolebit uenter præ gemitu & dolore.

### Et apparebit, quod Moab.

Irridet quoq; Deum & religionem Moabitarum, Vbi nunc sunt dij tui. Sicut Moses Deuter. 33. Surgant & opitulentur tibi dij tui. Sic qui habent falsam religionem, tempore periculi & à deo suo, & ab hominibus deseruntur.

### Anni mercenarij.

Quasi ad certum tempus, certo precio sint conducti, quod ubi præterierit, tum eijulantur ē domo.

### Gloria Moab.

Regnum, religio, potentia, leges, populi, iuuentus &c. Sic continent sacræ literæ ceu nubes exemplorum, quibus docemur, quod Deus resistat superbis, & det humilibus graciam, paululum tantum expectemus, & sustineamus aduersa, & videbimus quoq; hoc tempore retributionem peccatorum, imo magna ex parte uidimus.

IN ESAIAM  
IN CAPVT. XVII.

**P**Rophetauit haec tenus aduersus eos, qui sunt ad Orientem & Occidentem, iam ad Septentrionem uertitur, & prophetat contra Damascum, quæ fuit caput regni Syriae. Inuoluit autem simul captiuitatem regni Israel. Idq; hanc ob causam. Accusatur Israel ubiq; propter hanc perfidiam, quod arma contra Iudam moueat, & se cum externis potius coniungat: Quia autem unâ cum Syriae rege se coniunxerat, & Iudam uastauerat, ideo coniunguntur quoq; in pœna, & prædictitur ambobus, quod sint perdendi & uastandi à rege Assyriorum. Videtur autem dicta esse hæc prophecia sub Achas.

Aroer.

Est nomen ciuitatis, que ponitur in Ruben, & pertinebat ad regnum Iuda. Hic autem accipio pro nomine appellatiuo. quasi dicat. Die sicut auff der heiden. Ciuitates que sunt in campistribus, illæ omnes sic desolabuntur, ut greges ibi pascant. Ut significet Aroer campum, in quo crescunt myricæ.

Adiutorium ab Ephraim.

Verte, præsidium Ephraim. Sic autem uocat regnum Syriae, propterea quod regnum Israel cum Syriae se coniunxerat, & fidebat auxilijs Syrorum.

Sicut

SCHOLIA.

33.

Sicut gloria Istaet.

Id est, Ambo destruentur, & Syri & Israel.  
Et erit sicut congregans in.

Est horrenda similitudo. Describit regem  
Assyrium tanquam messorem, qui messis tempore  
in uallem Rephaim irruat ( ea uicina Hierusalem  
est uersus Occidentem ) id est, in regnum Israel  
opulentum, idq; sic demetat, ut ablatis principi-  
bus & optimatibus, in opem plebeculam tantum  
& fecem uulgi relinquat.

In die illa inclinabitur homo.

Sic calamitas eos coget, ut ad regnum Iudee,  
a diis a se factis, configuant ad Deum qui fecit  
ipos. Erat quidem templum Salomonis quoq; ma-  
nibus hominum factum. Sed hic est canon Theolo-  
gicus, quod in omni opere spectandum sit uerbum  
Dei. Quæ igitur opera mandante Deo sunt, ea  
non sunt nostra uoluntate, sed Dei, nos instrumenta  
tantum sumus. Sicut opera legis, ea dicuntur quæ  
sunt iubente lege. Quæ autem opera sunt non man-  
dante Deo, ea sunt opera manuum nostrarum, et  
quia sunt sine uerbo Dei, sunt impia & damnata,  
presertim si ad ea iusticiæ opinio accedat, quare  
etiam hic reprehenduntur.

Ciuitates fortitudinis eius.

Incertum est an ciuitates fortitudinis, pro-  
pter armorum & munitionum apparatum vocet,  
an propter

## IN E S A I A M

an propter religionem & cultum idolorum, in  
quæ fidebant. Ego tamen malo de religione acci-  
pere, ut significet eas ciuitates, in quibus idola  
singulari studio coluerunt.

Quæ derelictæ sunt à facie.

Est similitudo. Quemadmodum populus Is-  
ral cum primum terram Chananæam occuparet  
omnia ferro igniq; uastabat, ut pauculi quidam  
rami & frondes, id est, reliquæ populi relin-  
quentur. Sic nunc siet à rege Assyriorum, adeo  
omnia uastabit.

Propterea plantabis plantationem.

Perstat in fiducia religionis. Sunt igitur de-  
cipienda hæc de plantis non temporalis sed spiri-  
tualis regni, hoc est, de religione, ut plantæ sine  
instituti discipuli ad hypocrisin, quales apud nos  
fuerunt Monachi & totus Papatus.

Vt mane semen tuum germinet.

Significat studium hypocritarum & hære-  
ticorum, illi diligenter plantant discipulos, co-  
gunt & urgent, ut sua germinent & florent, &  
omnino feruentiores & magis seduli sunt in suis  
erroribus propagandis, quam pijs in uero uerbi  
ministerio. Et hoc ideo, quod pijs obſiftit Sathan.  
Sectarios autem & hæreticos non ſolum non im-  
pedit Sathan, ſed promouet etiam & incitat.

Ablata eſt melliſis.

Hunc

Hunc totum locum sic uerte. Iucundas plantationes plantabis, & palmites externis (id est hostibus) seminabis. In die plantationis tuae magnum studium, ut mane semen tuum germinet, uerum aerius messis in die hereditatis erit dolor afflictus &c.

Hic est euentus studiorum impietatis, Sicut in Psalmo dicitur, quod in corruptione metent. Sic accipio hunc locum de studijs religionis seu idolatriæ. Potest autem intelligi quoq; de politia, de legibus, & opibus, & terreno cultu, Sed nescio ultra sit historica sententia.

### Vx multitudini populorum.

Hic addit promissionem & consolationem pro populo Iuda, ne metuant Assyrium, fore enim ut pereat, sicut supra. Notæ autem sunt figuræ, quod per flumina, montes, arbores &c. principes significantur.

Increpabit eum,

Historia infra capite: 37. de Sennacherib narrabitur.

### In tempore uesperi.

Loquitur de re futura ceu de præsenti. Neq; enim satis erigi possunt territæ mentes. Durabit metus ille, inquit, a uesperi usq; mane, tum aderit liberatio & salus. Sed non possunt hæc à turbatis mentibus credi. Sensus enim turbationis est æternus, & omnis tentatio in affectu nostro perpetua est. Neq;

## IN E S A I A M

est. Neq; quisquam est, qui finem temptationis uideat, tum cum in paroxismo temptationis est. Discamus igitur ne ex sensu, sed ex uerbo Dei, tum cum tentamur, iudicemus, Quod uerbum promittit, omnem temptationem tempus uesteri tantum esse, quod consequatur matutinum tempus, id est, solacium. Sed caro diuersum facit, & neglecto uerbo, tantum in presentem sensum afflictionis intenta est, & ex sensu iudicat, Quare etiam nullum temptationis finem animo concipere potest. Athanasius igitur recte fecit, is cum accepisset sibi insidias a Iuliano strui, respondit. Iulianus est parua nubecula, qua cito euanescent. Huius exemplum nos in nostris quoq; malis sequamur, & experiemur, uerbum Dei uerax esse, quod nos non falleret. Et haec quidem consolatio Esaie, non ad Ezechiam tantum, sed ad nos quoq; pertinet, qui iisdem hostibus, iisdem temptationibus, iisdem insidijs petimur et oppugnamur. Tentari igitur possumus, uinci autem non possumus, si uerbum retinerimus. Sumus enim fundati supra petram Christum, Quare etiam si ingruat tentatio, non erit diuturna, sed erit uestera, quam breui consequitur, latum dici lumen.

C A P V T . X V I I I .

Loquitur

S C H O L I A:

40.

**I** Oquitur de populis, qui sunt  
ad littus maris rubri, ut sunt Tro-  
glodytæ, Arabes, Aegyptij, Ismae-  
litæ &c. qui ex præda uiuunt, &  
magnum nauigationis & nauium  
usum habent. His primo, bellum post famem præ-  
dicit.

Væ terræ umbrarum.

Id est, Væ illi terræ, quæ habet umbras al-  
rum, id est, quæ habet multos portus sive naues.  
Alæ enim nauis, sunt uela nauium. Umbra autem  
significant portus. Præterea quod umbras dicit,  
significat quoq; fiduciam, quod confidant in na-  
ues.

Quæ mittit in maria.

Significat studia ipsorum, quod negotiantur.  
Ite nuncij.

Communatio Prophetæ. Est autem figurata  
oratio. quasi dicat. Veniet ad eos rumor de rege  
Assyriorum, qui uastabit eos.

Gentem tractam & direptam.

Id est, quæ omnia ad se rapit, & diripit o-  
mnia. Quidales hodie dicuntur, aut Turcæ, aut Tar-  
tari esse, qui uiuunt tantum ex rapto.

Ad gentem expectantem.

Verte. Ad gentem mensuratam sive dimen-  
sam, id est, Das sich allenhalben ein teilt / vnd  
widdetumb

## IN ESAIAM

widderumb allenthalben berupft wird , Gens que  
ubiq; latrocinatur , qui & uicinos & se inuicem  
diripiunt.

Cuius terram flumina diripiunt.

Flumina,id est, uicini populi , qui habitant  
ad flumina Aethiopie.

Ad montem.

Non est in Hebreo .

Habitatores orbis .

Id est,Eius partis quam ipsi habitant.Sicut  
nos alium orbem habemus, quam Itali . Atq; hic  
prædictit bellum.

Quiescam & considerabo .

Prædictit famem . Ego sic affligam terram,  
ut in medio germine,nimio æstu omnia adurantur  
& pereant.Quiescam,id est, non effundam pluui  
am,cessabo benedicere, permittam eos suis consi-  
lijs . Non tamen displaceat mihi allegoria, ut per  
æstum regem Assyriorum intelligas , qui floren-  
tiuentutis sit perditurus. Vtra sententia historica  
sit,nescio,Ambæ tamen sunt bona.

In tempore illo deferetur.

Est consolatio addita . Reliquæ illius po-  
puli conuertentur aliquando ad Christum . Sic lea-  
gimus in Actis de regina Aethiopum , & de alijs.  
Multi quoq; sancti uiri post in illis locis latue-  
runt, & uidetur liber de Vitis patrum maxime ex-  
eo angulo eritus.

IN CAPUT

## IN CAPVT. XIX.



Rophetat iam Aegyptijs quoq;  
malum. Rex enim Assyriorum tunc  
commune flagellum fuit omnium ui-  
cinarum gentium, sicut hodie Turca.

Dominus super nubem uelocem.

*Id est, Deus immittit Aegyptijs regem Af-  
syriorum ceu uelocem nubem, Sic & subitum ho-  
stis aduentum, & facilem uictoriam significat.*

Et mouebuntur simulachra.

*Simulachra Aegypti, non sunt argenteæ &  
lapideæ imagines, sed religio & cultus Ηγύη σε-  
βασμάτω, illa commouebuntur. Hypocrisis  
enim & idolatria, flagellum & iram Dei non su-  
stinent, quia carent uerbo, & uera opinione de  
Deo. Sola pietas subsistere in afflictione potest,  
quia habet uerbum & nititur uerbo. Est igitur  
hic Theologicus locus.*

Cor Aegyptiorum tabescet.

*Sublata fiducia religionis, sequitur trepi-  
datio & inquietudo cordis.*

Et concurrere faciam Aegyp.

*Confusam fiduciam religionis necessario sc-  
quuntur seditiones & discordiae.*

Et dirumpetur spiritus.

*Verte. Et deficiet spiritus, id est, deerit eis  
f animus*

## IN ESAIAM

animus. Sic solet Deus pugnare contra hostes <sup>suo</sup> os, primo cor & animum ab eis aufert.

Et interrogabunt simulachra.

Penuria consiliorum confugient ad idola.  
Sic nunc instituunt processiones seu supplicatio-  
nes cum imminent pericula.

In manum dominorum crudelium.

In manus Assyriorum.

Et arescet aqua de mari.

Aegyptij sunt celebres piscatura, Descri-  
bit igitur eorum calamitatem similitudine a pi-  
scatoribus sumpta. Arescet aqua, id est, Rex As-  
syriorum spoliabit habitantes ad aquas istas.

Fluuius.

Nilus, id est, qui ad Nilum habitant.

Riu aggerum.

Sunt meræ allegoriae, id est, ciuks exhauri-  
entur in urbibus.

M cerebunt piscatores.

Aegyptij non amplius negociabuntur. Per-  
seuerat in allegoria de piscatoribus.

Stulti principes Zolan.

Propheta hic insultat Aegyptijs. Quasi di-  
cat. Vos Aegyptij gloriamenti de magna sapien-  
tia, quod sitis antiquissimi, et habeatis reipublicæ  
formam uetustissimam. Qui ergo fit, quod hec  
ignoratis? quod tantam calamitatem non prævi-  
detis?

Filius

Filius sapiens sum ego.

Sic prædicabatur tum Aegyptus. Est autem hic canon Theologicus, quod impij omnes, tum cum perituri sunt, habent hoc ingenium, quod hic describitur, ut indurentur, superbiant, & pertinaciores fiant, ac sine ullo Dei timore uiuant, & dicant, Pax. Pax. Porro Zoan est una ex nobilissimis Aegypti ciuitatibus. Puto autem usu pronunciationis Zoan, in thoom mutatum.

Deceperunt Aegyptum cum angulo.

Angulum populorum ipsum regem Aegypti uocat.

Dominus miscuit in medio eius.

Deus inebriat eos, ut errant & seducantur in omnibus operibus suis. Christianorum autem hac est gloria, quod habent quidem calicem (id est, crucem) sed tamen non inebriantur, sicut impij, quibus ad calamitatem hoc etiā accedit, ut non habeant consilium euadendi, Carent enim uerbo, quod in medijs afflictionibus erigit & consolatur, quare ad desperationem tandem adigantur, necesse est. Nec docere aut erigere alios possunt, sed uomunt. Omnia ipsorum consilia sunt, uomitus & sordes.

Et non erit Aegypto.

Et magistratus subditis & doctores discipulis carebunt.

f. 2. Et erit

## IN ESAIAM

Et erit terra Iuda Aegypto in.

Quasi dicat. Rident iam me, nec credunt  
mihi talia predicenti. Verum fiet tum, cum hec  
complebuntur, ut etiam ad nomen eius terre, in  
qua habitavi, expauescant.

In die illa erunt quinque ciuitates.

Hactenus calamitatem prædictum, iam addit  
promissionem. Semper enim vindicta diuina ali-  
quas reliquias seruat, præterquam in Sodoma &  
Gomorra, quas posuit in exemplum impiorum, in  
ultimo die iudicij. Quia autem Aegypti po-  
pulo Israel magis fauerunt, quam reliquæ gen-  
tes, ideo tam magnificam promissionem hic addit,  
fore ut conuertantur ad Christum. Intelligo enim  
Prophetam de propagato Euangelio, non de lege  
propagata ante Christum, sicut dicunt de atra in  
Aegypto extracta &c.

Quinque ciuitates.

Id est, aliquot, non omnes, ut significantur  
alii credentes, alii resistentes fidei.

Et iurantes per Dominum.

Iurare, est uocere, laudare, confiteri, colere,  
adorare Deum. Lingua Canaan est Hebræa ling-  
ua, qua sunt usi sancti Patriarchæ.

Ciuitas Solis.

Dicunt Heliopolin esse.

Erit altare Domino.

Dicit

Dicit de altari, quod sit in medio Aegypti, & in finibus Aegypti. Non potest ergo intelligi de corporali ara. Sed significat, quod Christus ubiq; coletur, & quod ubiq; uerbum prædicabitur.

Et erit in signum & testimonium.

Dicit hoc per comparationem contra Iudeos, non erit altare illud in ritum aut in pompa, sicut apud Iudeos, Sed in signum & testimonium, id est, ad docendum uerbum.

Et mittet eis Magistrum liberatorem.

Id est, dabit eis Doctores, qui possint eos uerbo saluare & docere.

Et colent eum in hostijs.

Dixit ante constitutam aram ad docendum, non ad sacrificandum. Sunt igitur que hic de hostijs dicit, ex superioribus interpretanda. Semper enim posterior uerbum ex priore est interpretandum. Sic in libris Regum, quia dictum est Samuel mortuum, cum post à Phytonissa eius imagine producitur, credere debemus phantasticum illud, non uerum Samuels corpus fuisse. Accipienda igitur haec sunt de hostijs & sacrificijs spiritualibus. Sicut Paulus docet ad Roma. 12. Exhibe te corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, complacentem Deo &c.

Vota uouebunt.

Vota Christianorum sunt, gratias agere, beat

f 5 nedicere

## IN ESAIAM

nedicere, laudare Deum, non vanæ illæ nugæ <sup>no-</sup>  
torum monasticorum.

Et percutiet Dominus Aegyptum.

Christus suos exercebit per crucem, & <sup>cōdō</sup>  
stigabit, aliás fierent negligentes.

In die illa erit uia.

Est promissio de Euangelio, sicut dixi. Vbiq;  
erunt Christiani, & in Assyria & in Aegypto,  
erit unitas fidei &c.

Erit Israel tertius.

Est apertissimus textus, quod Israel equa-  
bitur gentibus, & gentes Israeli.

## IN CAPVT. XX.



Rophetat contra Aethiopes & Ae-  
gyptios simul, & damnat fiduciant  
fœderum inter eos.

Vade & solue saccum.

Ecce signum uerbo additum, non ut nota  
quædam inter Aegyptios & Aethiopes esset, qua  
cognoscerentur. Sed ad incutiendum eis terro-  
rem, sic signa ad animos aut confirmandos aut  
terrendos faciunt, & ad prouocandum uel ti-  
morem uel fidem.

Tribus annis.

Hoc signum intra tres annos complebitur.  
*Nudus*

**Nudus & discalciatus.**

Vestitum esse significat esse potentem, opulentum. Calciatum uero esse significat habere regnum, administrationem, doctores, discipulos.

**Discooperitis natibus.**

Reuelare pudenda, est confundere & afferre gloriam. Gloria autem principis est in multitudine populi. Est igitur ignominia Aegypti, quod non habebit populum.

**Et confundentur ab Aethiopibus.**

Notat quod mutuis foederibus confidebant. Sic ubiq; sacræ literæ docent tum timorem, tum fidem. Deus enim omnia potest tollerare, fiduciam autem simpliciter in nihilum redigit. Ad reliquias peccati conniuet, caput autem serpentis conterit, ut stet illa gloria, Beneplacitum est Domino super timentes eum. Id quod in omnibus eius dictis, factis & signis apparet. Quare discamus Deum timere, & abiisciamus omnem de nostris uitribus & sapientia nostra fiduciam.

**Huius insulæ.**

Aegypti & Aethiopiæ.

**Quam pulchre effugimus.**

Est ironia, Quasi dicat, Nihil nobis nostre foedera profuerunt.

**IN CAPVT. XXI.**

f 4      Predicit

IN ESAIAM

**I**Rædicit onus Babyloni. Propheta enim grauissime Babylonios odit, quod uastauerint etiam reliquias populi Iudeæ, & templum, id quod Assyrij nunquam fecerant.

Desertum maris.

Non est intelligendum nomen hoc de topographia, sed de officio & opere, ut accipiatur desertum actiue, quod faciat deserta, sicut mare inundans, id est, quod sit denuoratrix mundi & regnum.

Sicut turbines ab Africo.

Crudelitatem tuam crudelitate puniam. Significat autem Medos & Persas, per quos hoc sit facturus.

Elam. Sunt Persæ.

Omnem gemitum eius cessare faciam.

Gemitum intellige sicut supra desertum, id est, quo alias gentes gemere Babylon fecit. Compescam, inquit, eam, ne sic alios affligat & cruciet porro. Sic etiam gentium gemitum Deus exaudit, quanto magis suorum clamores exaudiet?

Repleti sunt lumbi mei dolore.

Sunt propheticæ Mimeses. Loquitur enim in persona Babyloniorum. Queruntur autem de lumbis potissimum, in quibus generandi uis est. Quasi dicat. neque uim, neque successum, uel augendi, uel

*di uel retinendi imperij amplius esse.*

**Babylon dilecta mea.**

*Verte. Dilecta nox posita est mihi in tene-  
rem, Die liebe nacht.*

**Pone mensam.**

*Sunt ironica. Babylon est capta sicut Ver-  
gilius de Troia dicit. Inuadunt urbem somno ui-  
noq; sepultam. Ridet igitur hanc securitatem  
Propheta. Quasi dicat. Commessamini iam in sum-  
ma securitate, Sed erit cum Babylonij seruos suos  
non mensam parare, sed clypeum arripere iube-  
bunt. Quare pro conuiuijs speculatores consti-  
tuere, pro compotationibus arma ad bellum para-  
re conueniebat.*

**Vade & pone speculatorem.**

*Ad confirmationem prædictæ calamitatis  
sequentia ceu signum addit. Quasi dicat. Dum uos  
commessamini, ecce seruus meus, quem speculato-  
rem constitui, uidet aduenientes hostes in curri-  
bus.*

**Et clamauit leo.**

*Puto hæc accipienda de speculatore.  
Cecidit Babel.*

*Dicuntur omnia ista in consolationem Iudeo-  
rum, an ad Babylonios. Ego tamen de Babylonij*

*f s intelligo,*

## IN E S A I A M

intelligo, quod sint tritura Dei, quos fit concedat  
caturus & perditurus Deus. Filius areae dicitur  
quicquid in area est, frumentum, seges &c.

Onus Duma ad me clamat.

Est obscurus locus. Quidam dicunt Duma  
ciuitatis nomen esse. Ego autem existimo Du-  
mam regionis nomen esse, & intelligo Prophetam  
loqui contra magnam Ismaelitarum partem, qui  
in Arabia petrea sunt. Est & hoc incertum, que-  
nam ea calamitas sit, quam prædictit, sicut ne à Ba-  
bilonijs an ab Assyriis uastati. Mihi ucrisimilli-  
num uidetur esse, eos ab Idumæis uistatos.

Ad me clamat ex Seyr.

Seyr & Idumæa sunt unum. Perfertur ad  
me Dumam, tristis uox ex Seyr. Hac coniectura  
ductus, ab Idumæis uistatos censco.

Custos quid de nocte.

Id est, quantum de nocte superest. Sunt enim mi-  
nitæ uoces, quibus significat anxietatem obces-  
orum sperantium diem, & liberationem. Dicunt  
enim, quantum de nocte restat ut redcat dies, id  
est, quem finem calamitatis speremus?

Venit mane & nox.

Fingit respondere eustodem desperatis ci-  
uibus, & augere dolorem. Etiam si dies ueniat, tam  
men sequetur alia nox, id est, nullus est calamitatis  
finis. Significat igitur extremam desperationem  
hac Mimesi.

Si queritis

**Si quæritis,**

**Verte. Si quæritis, queretis, reuertimini. & uenietis.**

Dixi esse mimitica, imitatur enim obfessorum uoces. Quasi dicat. Nulla consolatione potestis erigi, etiam si dixero uobis, quod illucescet, non contenti statim reditis, & denuo de eadem re interrogatis. Sic non possunt impij erigi, quia non habent uerbum, cui tuto inniti queant.

**Onus in Arabia.**

Hic prophetat contra alium filium Kedar,  
Gene. 25. Est autem Kedar celebris natio inter Ismaelitas.

**In saltu in Arabia habitabitis.**

Id est, tantus erit hostium exercitus, ut rume more tantum exciti, omnibus relicti, in solitudines profugiat. Dedanim dicunt ciuitatem Arabiae, sed nescio.

**Occurrentes sitienti.**

Ironica insultatio. Vos uicini, quæso, exhibete miseris hominibus & exhaustis iam fuga, aquam qua se recrecent.

**Qui habitatis terram Austri.**

Hebrei. Qui habitatis Theman, quæ sic dicitur est à filio Ismaelis.

CAPVT. XXII.

Prophetat

IN E S A I A M

**P**Ropherat calamitatem ipsi Hierusalem, et potissimum eius praefecto Sebna. Dubitatur autem quae nam hæc calamitas fuerit. Ego sentio priorem illam Babyloniam fuisse sub Ioidachim, qua principes tantum Babyloniam sunt translati. Vocat autem Hierusalem uallem uisionis, quod multos Prophetas, quos uidentes uocabant, habuerit. Nomen quoq; uallis tacitam obiurgationem continet. Quasi dicat. Tu Hierusalem, que hactenus, cum floreret pietas, mons celeberrimus fuisti, humiliaberis, & ex monte in ualem redigeris.

Quia ascendisti in tecta.

Vel metu hostium, ut uos abscondatis, uel ut defendatis uos contra hostes. Est autem construatio hic inuertenda. Vrbs plena clamoris, populosa & exultans ( scilicet, hactenus tempore pacis ) quid est tibi ? &c.

Recedite à me, amare flebo.

Propheta hic inducit affectum plorantis, & lugentis populi, de accepta clade à Nabuchodonosor.

A Domino.

Hoc addit ut & suos ad poenitentiam uocet, & uictoriæ gloriam Babylonij adimat.

A fodiendo pariete.

Id est,

SCHOLIA.

47.

*Id est, Ideo est dies interfectionis, quia mu-  
rus subruitur, & hostes monti imminent. Obser-  
sam enim Hierusalem, nisi se dedidissent, uastare  
decreuerant.*

**Et reuelabitur operimentum Iudeæ.**

*Quicquid absconditarum opum habent, il-  
lud prometur, & auferetur ab hostibus.*

**Domus saltus.**

*Quia multa ligna ad ædificium illud conue-  
cta erant. Porro fuit ea domus, in qua aurea sup-  
pellex asseruabatur ut patet ex Paralip.*

**Domos numerabitis.**

*Id est, censebitis, exigetis pecuniam per sin-  
gulas domos, propterea quod ad summam paupe-  
riem ab hoste redacti estis.*

**Et non uidebitis.**

*Deus ista facit, sed uos non cogitatis, uos  
eam calamitatem meruisse. Sic solet omnis im-  
pius, pœnam pro cruce & martyrio interpreta-  
tur.*

**Et uocabit Dominus.**

*Sub illam calamitatem erunt Prophetæ, qui  
uos hortabuntur ad pœnitentiam, sed nihil pro-  
mouebunt.*

**Concedamus &c.**

*Sunt uoces contemptorum, & irridentium  
Prophetam, qui contemnunt iudicium Dei. Agite  
ille*

## IN ESAIAM

ille prædictit nobis mala, At nos interim commes-  
sabimur & agitabimus coniuia, priusquam p<sup>a</sup>-  
tiamur ista. Quasi dicant. Nihil istorum fiet.

Quid tibi hic.

Fuit hic præcipuus vir in aula, & quantum  
apparet insignis hypocrita, quem nemo iudicare  
potuit, præter Esaiam. Porro hic iterum confun-  
ditur ordo.

Ibi erit currus gloriæ:

Notat fiduciam huius Sebnæ in opes & di-  
gnitatem suam.

Ecce Dominus.

Verte sic. Ecce Dominus proieciet te, sicut  
proiecit gygas, & operiet te, & circumagitabit  
te sicut globum in terra spacioſa. Id est, postquam  
fueris proiectus, & ueneris in Babilonem, ibi ia-  
ctaberis sursum ac deorsum, sicut globus. Nulla ti-  
bi neq; corporis neq; animi quies continget. Por-  
ro dicuntur haec ad illos quoq; terrendos, quibus  
hic Sebna autor fuit uerbi contempnendi.

Domus dominorum tuorum.

Est hic diuinandum, qui nam sint illi domi-  
ni. Videtur superstes post Ezechiam fuisse sub  
Manasse, qui quoq; est captiuus abductus.

Vocabo seruum meum Eliakim.

Verisimile est Eliakim & Sebnam aduersa-  
rios fuisse, quod hic contempserit uerbum, ille co-  
luerit & crediderit.

Et dabo

**Et dabo clauem.**

Dixit de more illius gentis. Suspendebant enim claves ex humeris. Significat autem illum præficiendum thesauris regijs.

**Et figam eum sicut paxillum.**

Est insignis commendatio boni & pij magistratus, quod sit Deo gratus, quod Deus eum tucatur & figat sicut clavum, ne possit commucri.

**In domo patris.**

Ista enim gloria redundat ad parentes.

**Vasorum diuersa genera.**

Suspendam in istum uirum omnes ministros, id est, gubernabit totam politiam. Sunt enim allegoria. Vasa parua significant pauperes. Vasa craterarum sunt necessaria officia in Republica, ut sunt lanij, pistores &c. Vasa musicorum sunt officia que ad ornatum pertinent, ut mercatores &c.

**In die illa auferetur.**

Benedictio diuina est habere tonos magistratus, Sed fieri, inquit, ob peccata populi, ut dominus, & paxillum, & obedientes subditos tollat. Accipio enim hec non de Sebna, sed de Eliakim sub Iosia.

IN CAPVT. XXIII.

Hacenus

## IN ESAIAM

**H**actenus Propheta futuram calamitatem prædictum, ipsi Hierusalem & vicinis gentibus ferè omnibus. Restant Tyrus & Sydon, de quibus hoc capite agit. Quia autem Tyrus bis capta & uastata est. Primo à Nabuchodonosor, sicut est Ezech. 26. Deinde ab Alessandro, Puto eum de posteriore captiuitate per Alexandrum facta, loqui.

### Naues Tharsis.

Naues maris. Fuit enim Tyrus maritima, & clara mercimonij.

### Terra Chitim.

Hoc nomine non Macedoniam tantum, sed totam Europam appellasse Iudei uidentur. Conuenit tamen nomen, cum nomine Macedonia, in qua Alexander regnauit. Atq; hic locus facit, ut non de Nabuchodonosor, sed de Alessandro hoc caput accipiam.

### Negociatio Sydonis.

Ab Aquilone Sydonij, à Meridie Aegyptius, conuehebant Tyrum merces.

### Mare, fortitudo maris.

Sic appellat Tyrum, quod mari fuerit potentissima.

Non parturio. Sum sterilis, spoliata ciuitibus, & uastata. Minatur eandem uastitatem Sydoni.

Nunquid

Nunquid non uestra.

Insultat fiduciæ potentissimæ ciuitatis, quæ non nisi per monarchas potuit expugnari. Secura igitur huic prophœcia non prius credidit, quam re ipsa experiretur.

Transi terram tuam quasi flumen.

Insignis figura, qua dispersionem futuram significat. Sicut flumen prono cursu rapitur, omnia post se relinquens. Sic uos uestras sedes, ciuitatem uestram abacti relinquetis.

Non est cingulum ultra.

Cingulum uocat politium, imperium, regnum. Sicut Iob. 12. Baltheum regum dissoluit.

Manum suam extendit.

Facit sibi fidem Propheta, Non uana sunt quæ prædico, quanquam tu, fiducia uirium et opum tuarum inflata, impossibilia esse sentias. Is enim qui Pharaonem et Aegyptum, item terram Chanaan domuit, te quoq; domabit.

Filia Sydonis in Chitim.

Id est, Sydon uastata a Macedonibus.

Ecce terra Chaldæorum.

Est obscura sententia, quæ si actiue accipiantur, de uastitate Chaldaica est intelligenda. Ego autem passiuæ accipio, ut sit sententia. Non poteris resistere Alexandro, qui te expugnabit. Is enim Babilonem quoq; ubi nondum populus est,

g id est,

## IN E S A I A M

(id est, ubi nondum monarchia est) euertet. Sententia Hebreæ sic ferè reddi potest. Ecce terra Chaldaeorum, in qua nondum populus, quam Assur fundauit, ut nauigari possit, & crexit turres, & extruxit palatia, & tamen posita est in ruinam.

Et erit in die illa.

Annum numerus cum Babilonica captiuitate quidem conuenit. Sed nos de Macedonibus accipimus. Dicit autem futurum ut restituatur Tyrus, & res florescat post. 70. annos. & celebretur in literis. Id enim significat per cytharam. Vocat meretricem ab idolorum cultu.

Et erunt negotiatores eius &c.

Ego intelligo de futuro regno Christi, quod & ipsa Tyrus conuertenda est ad Dominum. Dicit igitur, postquam reuersa fuerit, ad suas negociações imminebit regnum Christi, quod Tyrus quoq; amplectetur. Sicut testatur Lucas Act. 21.

Vt manducarit ad saturitatem.

Non abutuntur opibus ad pompam & ad luxum, sicut antea, Sed ad necessitatem & ad usum. Alent & iuuabunt sanctos. Est magna commendatio Tyri.

CAPVT. XXIII.

Prophetæ

SCHOLIA:

50.

**P**Ropheta postquam per uici  
nas nationes, & gentes dispaciatus  
est, Redit tandem ad suum populum.  
Atq; hic oritur questio, de qua uasta-  
tione dicat, Quidam generaliter accipiunt de  
extremo iudicio, ut sit cœu conclusio particularis  
comminationis, quam hactenus tractauit. Verum  
ego puto eum loqui de uastatione, quæ erit circa  
tempus fidelis Tyri, Hoc est, de uastatione Syna-  
goge & populi illius, de qua Christus Matth. 24.

Quia Dominus locutus est.

Hanc clausulam addit contra presumptio-  
nem Iudeorum, qui secuti contemnebant has mi-  
nas, quod & sancta & bene munita ciuitas esset.  
Dominus dixit, inquit, & necessario fiet.

Defluxit terra.

Terra significat Iudeorum terram, à Iun-  
deis habitatam.

Languet altitudo populi terræ.

Diserte dicit altitudo, ut significet reliquias  
saluandas. Distinguit enim altos ab humilibus,  
quare non intelligi potest de extremo die.

Et terra prophanata est.

Hactenus de poena, nunc de culpa, quam tri-  
plicem fuisse dicit. Primo, quod prophanauerint  
terram, hypocrisi, & zelo qui non erat secundum  
scientiam. Secundo, quod peccarint in legem,

g 2 per opera

## IN ESAIAM

per opera manifeste contraria, eamq; deprauauerint, sicut est Matth. 5. Tertio, quod promissionibus de Christo non crediderint, ipsum uenientem non receperint &c. Hoc quoq; postremum membrum arguit de Iudeorum tantum uastatione intelligendum Prophetam esse. Neq; enim gentes habuerunt fœdus cum Deo.

Ideo uorabit terram maledictio.

Respicit Propheta ad maledictiones, Delta tero. 28. Est copiosa & figurata descriptio.

Vastæ portæ.

Nullus Senatus, nullum forum ibi est, nulla exercecentur iudicia.

Quoniam sic erit in medio terræ.

Hunc locum sic uerte. Quia sic erit in medio terræ, in medio populorum, sicut cum deciduntur oiuæ, et sicut racematio, cum finita est uim demia. Allegoria autem hæc est. Vinea est terra Iudæa. Botri sunt tam proceres, quam plebs. Vindemiatores sunt Romani. Quemadmodum autem dum colliguntur botri, quedam uiuæ per negligentiam uindemiorum relinquentur, sic uastabitur Iudæa. Supererunt tamen reliquæ quedam, que seruabuntur, & colligentur in ecclesiæ fidelium. Reliquæ istæ sunt Apostoli, qui leuabunt uocem, id est, annunciant Euangelium, & laudabunt misericordiam & gratiam Christi

Christi, & iubilabunt in superbia Domini, non in suis operibus, aut legis iusticia. Est autem superbia Domini, uictoria Christi, per quam factus est Dominus omnium, & conculcauit diabolum, peccatum, mortem & mundum. Sicut tractat hunc locum Paulus in Epistola ad Colloſſenses. Hec iubilatio non in angulo Iudaico, sed a mari audiatur, id est, spargetur paſsim in gentes, et peruadet totum orbem. Intelligit autem mare mediterraneum, per quod Pauli cursus fuit, ut est in Actis.

Ideo in doctrinis laudate Dominum.

Significat Euangelion esse καρπόφορον, & non fruſtra prædicari, Gentes enim credent, & laudabunt Deum. Porro quod uertit, in doctrinis, tu uerte, in uallibus.

Laudes audimus à finibus terræ.

Est querimonia, qua deplorat populi sui infidelitatem. Gentes aude Christum excipiunt, ineum credunt, et latantur. In me autem mira macilentia est, id est, pauci ex Iudeis hunc Christum suscipiunt, maxima pars contemnit & odit eum, sicut Iohannes dicit. Venit in propria, & sui eum non receperunt &c.

A finibus terræ.

Significat efficaciam & cursum Euangelij. Hactenus in templo solum cantari Psalmi sunt soliti, nunc auditur carmen de gloria iustorum à

## IN ESAIAM

mari (malo enim pluralem numerum) id est, de iucundissima & suauissima iusticia, qua suos Christus ornat, quod remissio peccatorum, victoria Sathanæ, peccati, mortis & mundi, nobis donata est per Christum, sine ullo nostro merito, gratis. Latinus interpres errauit, quod translulit Secretum meum mihi, Nomen enim macilentiam significat, non secretum.

### Formido & laqueus & fouea super te.

Formido est, quod timent ubi nullus est timor, Impia enim doctrina inquietum cor facit. Laqueus & fouea possunt uel ad doctrinam uel ad calamitatem referri, quod de errore in errorem, de calamitate in calamitatem ruant.

### Quia cataractæ de excelsis apertæ.

Ratio, quia diluuium ira oppressit eos.  
Sicut ebrius.

Non poterit resistere calamitati, nec pax, nec certa sedes erit. Sic adhuc hodie uagi sunt Iudei.

### Visitabit Dominus super militiam coeli.

Varie expositus est hic locus, plerique cum accipiunt de dæmonibus. Ego, saluo aliorum iudicio, non discedo ab argumento de uastatione Synagogæ. Militiam enim coeli et reges terræ uocat populum Iudaicum, qui solus habebat cultum Dei,

Dei, & militabat Deo. Minatur igitur fore, ut tandem illa militia cœli & reges terræ, hoc est, sacerdotium & politia, diuinitus instituta, pereant. Utitur autem magnificis his nominibus, Militia cœli, & reges terræ, ad notandam præsumptionem, & superbiam huius populi.

Et congregabuntur in congregatio.

Est ambigua sententia, quæ potest accipi de mortuis, & de uiuentibus. Ego malo intelligere de mortuis, ut sit sententia, quod omnes congregabuntur ceu in unum fascem, & seruabuntur ad futurum iudicium. Ideo enim addit, post multis dies. Si de uiuentibus accipiatur, haec erit sententia, quod Iudei congregantur hodie in unum fascem, id est, in eandem perfidiam & incredulitatem, & reseruantur ad iudicium &c.

Et erubescet luna.

Cum Christus regnabit per prædicationem Apostolorum (hi enim scilicet sunt) tunc erunt impisi Iudeorum reliquijs & sol & luna obscurati, hoc est, in tanta afflictione, tristitia, dolore, angustia erunt, ut etiam hoc cœli lumen ingratum eis sit. Sic enim accidit turbatis mentibus, omnia quæ offeruntur, tristia & turbata esse uidentur. Hunc affectum mœsti & uarie turbati animi Prophetæ hic describit.

IN ESAIAM

CAPVT. XXV.

**A**RGUMENTVM idem est cum  
superiore capite , nisi quod hic alijs  
uerbis alijsq; figuris uastationem de=   
scribit . Orditur à gratiarum actio=   
ne, sub persona eorum, qui remanse=   
runt ex uastatione .

Cogitationes antiquas .

Mirabilia, & cogitationes, sunt promissio=   
nes ex prophetiae factæ patribus , de futuro regno  
Christi.

Vrbem fortēm.

Hierusalem sic nominat propter presiam=   
ptionem de templo, lege, & cultu Dei.

Pallatia alienorum.

Vocat alienos propter infidelitatem . Sic Pli=   
nius lib:5. cap. 14. dicit , Hierosolimam omnium  
Orientis ciuitatum clariſſimam fuisse.

Super hoc laudabit te.

Hactenus te parvus & pertinax populus in  
angulo Iudeæ coluit , illius loco habebis amplum  
& potentissimum populum, omnes gentes scilicet.

Es fortitudo humilium .

Venite ad me omnes qui laboratis . Pauperi=   
bus Euangelizare misit me &c . sunt insignes  
consolationes.

Sicut

Sicut æstus in siti &c.

Christiani uincent, non resistendo, sed pa=tiendo. Dicit enim, quod ipse Dominus exiccat. Hoc exicare fit, quando cessat benedicere.

Et faciet Dominus omnibus popu.

De mactatione impiorum dicit. Dominus pa=rabit conuiuum in monte hoc, id est, totum popu=lum congregabit in Hierusalem, ibi eos sinet per Romanos mactari. Pingues sunt diuites, Medulla enim significat quicquid est tenerrimum. Sic me=dulla tritici, id est, optimum triticum.

Vindemiæ defecatæ,

Verte. Fecium expressarum, id est, ita dele=bit ut ne feces quidem relinquantur.

Et præcipitabit. Verte sic:

Et deuorabitur in monte isto facies singulorum inuolutorum.

Id est, inuolucrum perdet, quo omnes sunt inuoluti. Vocat autem faciem inuolutorum mor=tem & peccatum, quibus omnes homines sunt in=uoluti. Est enim mors coram Deo ceu inuolu=crum, quo totus mundus inuolitus est. Hoc inuo=lcum in monte Zion, id est, in Ecclesia, auferet=tur a pijs. Hic enim Euangeli fructus est, & effi=cacia, ut mortuos uiuificet, & mortem tollat. Di=cit igitur Propheta. Impij Iudæi mactabuntur, sed credentes, quanquam sint inuoluti multis malis,

g s seruabuntur,

IN ESAIAM

Seruabuntur. Christus enim mortem ducit, ut nullum in credentes ius habeat. Vocat faciem ad significandam facilitatem destruendae mortis.

Et auferet Dominus lachrimam.

Christiani infinitis afflictionibus exercentur, ea sunt eis opercula, quibus nos mors imolutos tenet. Sed Dominus, inquit, opercula ista auferet.

Opprobrium populi sui:

Nihil enim contemptius est, quam Christiani. Sunt enim καθίσματα κοινωνία περιήσματα, sicut Paulus ait. Hoc operculum quoque auferet Christus.

Et dicent in die illa, ecce Deus noster.

Hæc est prædicatio Christianorum, et unus noni Testamenti cultus.

Manus Domini in monte isto.

Virtus et potestas Dei morabitur in Ecclesia, quia liberat et latificat eam. Sed contrarium apparet tum, cum in tribulatione est. Videtur enim manus diaboli premi.

Moab triturabitur.

Metonymia est. Moab pro Synagoga incredula, que non conuertitur. Ea parabitur ad trituram, id est, erit abiectissima, conculcabitur passim in toto orbe.

Et extendet manus suas sub eo.

Quemadmodum

Quenadmodum premit aquam qui natat,  
Sic Dominus premet & persequetur Iudeos, quo-  
cumq; se contulerint.

## IN CAPVT. XXVI.



Actenus Synagogæ & regni  
Iudaici uastationem descripsit.  
Non potest igitur Canticum hoc  
quod sequitur de terrena Hierusa-  
lem intelligi, Sed de Ecclesia est  
accipiendum.

Vrbs fortitudinis.

Habemus nunc aliam urbem, in qua est fa-  
cerdotium & regnum Christi, Cuius muri sunt  
salus & uictoria, etiam contra portas inferi.

Aperite portas.

Est descriptio ciuium, Ecclesia patet omni-  
bus uolentibus intrare.

Tu seruas pacem.

De capite & rege huius ciuitatis dicit,  
quod pacem seruet undiq;, foris contra mundum,  
carnem & Sathanam, Intus contra conscientiam:  
Sed hæc pax non retinetur nisi per spem, id quod  
diligenter est obseruandum. Qui enim non fidei  
in Christum, nunquam quietus erit. Fidere autem  
ideo difficile est, quia caro semper querit aliquid  
quo

## IN ESAIAM

quo tuto nisi possit, nec potest rebus non apparentibus fidere.]

Sperate in Domino in eternum.

Nolite deficere in temptationibus, semper sperate. Non frangitur Deus tandem iuuandi, modo nos non frangamus tandem sperandi & iuuocandi.

Est autem haec ualde necessaria admonitio. Sathan enim ab initio mundi iam exercitatus est, & quotidiano usu factus callidior. Ille si magnitudine temptationū uincere nos non potest, assiduitate uult uincere, donec despatiget. Sepe igitur cupientibus mori, non permittit ut occiduntur, ut uel tandem uincat, quando ui et astu uincere non potest. Atq[ue] haec summa Sathanæ nequitia est, ad quam superandam, his & alijs scripturæ sanctæ locis confirmandus animus est, ut quemadmodum ipse non despatigatur impugnando, Sic nos assiduitate precandi & sperandi non fatigemur, donec uincamus. Quia dominus Deus est petra æterna ( inquit Propheta hic ) Maior est qui in nobis est, quam qui in mundo est, quantum istic doli est, tantum hic fortitudinis. Sperate igitur, & nolite frangi &c.

Quia incuruabit habitantes.

Hæc pertinent contra præsumptionem, sicut superiora contra desperationem. Est enim perpetua antithesis ad finem usq[ue], quod impij peribunt, pijs seruabuntur. Ciuitatem altam vocat Hierusalem. Concubabit

Couculabit eam pes.

Descriptio ciuitatis iacentis in ruina. Quasi  
dicat. Muri & aggeres tui aequabuntur solo, ut  
pedes transire possit.

Semita iusti recta est.

Id est, p[ro]ij prospere agunt, habent bonam con-  
scientiam &c. Manent in simplicitate fidei &  
uerbi. Sicut Paulus quoq[ue] dicit Gala. 6. Quicunq[ue]  
hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.

In semita iudiciorum tuorum.

Quia in magno usu uerbi sumus, ideo in uer-  
ra doctrina & spe manemus.

Memoriale tuum.

Memoria significat prædicationem benefi-  
ciorum Christi. Et dicit quoq[ue], nomen tuum, non  
noscum.

Cum feceris iudicia tua in terra.

Est insignis locus de prædicatione uerbi ex-  
terna, quod nō debeat redire sine fructu. Vocat iu-  
dicia, quia Euangelion damnat omnium hominum  
opera & studia, & Christi tantum merita offert,  
quibus nitamur. Absentibus his iudicijs, seducuntur  
homines, & impietas discitur sub specie iusticie,  
Ergo ubi cunq[ue] non est uerbum Dei, ibi nec iusti-  
cia est. Ergo totus Papatus est mera iniusticia,  
quia uerbum Dei persequitur.

Misereamur,

## IN ESAIAM

Est occupatio. Impius etiam si offeratur ei  
gracia per uerbum, tamen non dicit iusticiam.  
Sed debet nos contra hoc scandalum superior sen-  
tentia consolari, ut quanquam nos nullum, uel  
modicum admodum uerbi profectum uideamus, tan-  
men non cessemus a docendo. Neque enim ideo, quia  
impij non conuertuntur, cessandum est ab officio  
docendi. Semper enim sunt aliqui, qui cupiunt  
doceri. Tum si nihil aliud sit, occupatur tamen lo-  
cus, ne Sathan possit suas pestilentias docere, &  
spargere in homines. Non igitur doctrinae, sed ho-  
minum uicium est, quod non omnes conuertuntur.  
Id prædictit spiritus sanctus, ne offendamur &  
ideo cessemus a docendo.

In terra sanctorum iniqua gessit.

Quemadmodum in corpore humano sterlus,  
sic etiam in Ecclesia impij sunt, quam & tyranni  
& falsi fratres exercent. Oculi habent sordes  
suas, habent & aures, sic inter doctores in Eccle-  
sia, & inter auditores, necesse est quosdam malos  
esse.

Non uidebit gloriam Domini.

Deus Ecclesiæ suæ dedit summa bona, suum  
filium Christum, fidem, quæ omnia pericula um-  
cit, uera bona opera, spiritum sanctum, intellectum  
scripturae, pacem conscientie &c. Sunt autem hec  
summa bona recta, & latet gloria Domini sub  
paupertate

paupertate, ignominia, infirmitatibus, et alijs mai-  
lis, quibus Ecclesia à Sathanā & mundo oppres-  
sat. Impij igitur tantum in illam externam fa-  
ciem intuentur. Ea bona quæ dixi, non uident. Hoe  
autem periude est, atq; si quis non faciem homi-  
nis, sed turpiores tantum corporis partes con-  
templari & iudicare uellet. Ob leue erratum sta-  
tim exclamat. Ecce Euangelij, quod docent, fru-  
ctus. Quod autem per Euangelion à tyrannide  
Pape, à purgatorio, à confessione & ab innume-  
ris alijs oneribus liberati sint, non uident. Multo  
minus uident remissionem peccatorum, quietas  
conscientias, uitæ æternæ certam spem, Mortis  
& omnium calamitatum uictoriam &c.

Domine exaltata est manus tua.

In medijs istis infirmitatibus & laboribus  
Ecclesiæ manus tua est exaltata, quia Christiani  
quotidie in peccatis iustificantur, in morte ui-  
nunt, in ignominia laudantur & gloriösi sunt, hoc  
impij non uident, quia iudicant tantum secundum  
externam speciem, & secundum stercora. Sic  
cum Iohannem Huss exurerent, non uiderunt ma-  
num Domini extentam.

Videbunt & confundentur.

Cum uidebunt manum extentam, quod non  
possint opprimere Ecclesiam, ex gentibus confa-  
tam, irritabuntur donec percam. Videmus hanc  
pœnam adhuc in Iudeis.

Domine

## IN E S A I A M

Domine dabis pacem.

Quia Ecclesia omnia quae habet, à Christo  
habet, & omnia quae facit, Christo operante facit,  
et quia robur, sapientia, iusticia &c. quam habet,  
Christi est, Ideo stabit in aeternum tuta, Rursus  
quia aduersariorum iusticia, potentia, opera &c.  
ipsorum propria sunt, ideo peribunt.

Possederunt nos domini absq; te,

Hic describit speciem & stercus Ecclesie,  
quod scilicet iacet oppressa à mundo, non regit,  
non iudicat, sed regitur & iudicatur. Secundum  
illud, Maior seruiet minori. Item, In mundo  
pressuram &c.

Morientes non uiuant.

Nos oppressi recordamur nominis tui, &  
licet uideamur morti traditi, tamen consolamur  
nos, quia scimus quod aduersarij, qui nobis domi-  
nantur, morientur, & non uiuent, hoc est, non  
habebunt spem uite in morte, quam nos habemus.

Indulxisti genti.

Cum Iudei noluissent credere, conuersus es  
ad gentes, in quas sparisti uerbum & regnum tu-  
um. Sic aduersarij uerbi corruent, Verbum autem  
Domini manet in eternum. Porro sic uertes hunc  
uersum. Adiecisti genti Domine, adiecisti genti,  
glorificatus es, & prolongasti usq; ad fines ter-  
rae.

Domine

**Domine in angustia requisierunt te.**

Sicut ferrum splendescit usu, sic Christianus temptationibus eruditur. Neque enim uerbum uitatem suam exercere potest, nisi in temptatione. Ruten macht frome kinder.

**Sicut prægnans.**

Omnis tribulatio piorum est partus, quo nouus homo paritur, & uetus moritur, quo fides & autoritas uerbi augescit. Quod Latinus fecit, peperimus spiritum salutis, sic uerte. Et angimur ut uix spiritum trahere possimus.

**Salutes non fecimus in terra.**

Quanquam anxie laboremus, tamen nihil neque prædicando, neque comminando, nec mala perferendo apud impios proficimus, manent exæcati in sensu & corde suo.

**Viuent mortui tui.**

Sicut Paulus. 2. Corin. 6. Ecce morientes & uiuimus. Christiani quando mori putantur uiuunt. In me pacem habebitis, inquit Christus.

**Experciscimini.**

Est promissio Christianorum in hac uita. Vos qui estis morti expositi, nolite deficere. Iubilate qui sedetis in puluere, id est, qui iudicamini ab impijs mortui esse.

**Quia ros pratorum ros tuus.**

Gigantes peribunt, Christiani autem uiuent, h & uiuent

## IN ESAIAM

¶ uiuent sine opere humano, Sicut ros sine opere  
humano desuper depluit. Præterea sanguis Chri-  
stianorum cū ros est, quo Ecclesia rigatur, &  
tyranni subiguntur.

Vade populus meus.

Est idem cum Fsal.4. Ira scimini & nolite pec-  
care. Hoc est, sustinet manum Domini, & pati-  
mini. Momentum est, & ecce salus aderit. Est au-  
tem insignis consolatio, Sic Christus in Euange-  
lio tempus afflictionis modicum appellat.

Ecce Dominus.

Inimici tui dabunt poenas, non enim manebit  
sanguis iste occultus &c.

## CAPVT. XXVII.

**H**oc capite significat fore, ut  
sub aduentum Christi uisitetur Domi-  
nus per Romanorum gladium Aegy-  
ptios, Assyrios, & Iudeos, & omnia  
alia mundi regna, ut ita pax in toto  
orbe paretur, & Evangelion tuto per Apostolos  
in omnes terras spargi possit. Deinde ad Eccle-  
siam suam redit.

Gladio duro.

Sic uocat Romanos, qui à Daniele quoq;  
ferrei dicuntur.

Leviathan

## Leuiathan.

Scriptura allegorice mundum, maris, & principes mundi, magnorum piscium nomine uocat. Sic Ezechiel regem Aegypti uocat Draconem in flumine. Ita hic Leuiathan, id est, cete, uocat tam Aegyptium quam Assyrium, quorum alter ad Eu-phratem, alter ad Nilum imperabat. Tortuosum Leuiathan uocat quietum imperium. Rectum autem uocat bellicosum. Sicque omnia regna comple-xus est. q. d. Et illa regna, que sunt in assiduo belli usu, & que sunt quieta, omnia à Romanis debella-buntur, ut sic pax paretur Euangelio. Coetum enim seu Draconem posuit pro plurali, quasi dicat. Quicquid ubique est imperiorum, & regno-rum & principum.

## In die illa uinea meri &amp;c.

Subiugatis istis regibus tum cantabitur de uinea electa, hoc est, de Ecclesia sancta, quam op-ponit uince, de qua est supra capite. s.

## Ego Dominus custos eius.

Non amplius Moses, & serui mercenarij, sed Dominus erit Magister, pater, Episcopus, Rex, Sacerdos &c.

## Propinabo.

Subito irrigabo eam, adero in consolandis pusillanimibus, & ita praesens adero, ut ne folium quidem decidat.

b = Quis

## IN ESAIAM

**Q**uis dabit me spinam.

Hæc dicit contra nostras cogitationes, quæ caro & Sathan in temptationibus suggesterunt. Sic enim tum solemus, custodiam profurore, uirgam pro ira interpretamur. Obiurgat igitur nos, & dicit, ne ueniat tibi in mentem me spinam & uesper esse, quod contra te instituam pugnam, quod te conculcare & succendere uelim. Sathan has cogitationes tibi immittit, quæ contra fidem & impia sunt. Quare eijce eas, & caue a Sathana, qui se in imaginem meam transfigurat, ut ignis & spina esse uidcar, qui sum consolator & redemptor &c.

**Q**uis tenebit fortitudinem meam.

Quis est qui me impedit, quo minus uineam meam colam & defendam. Sic uidemus offendit Christum ijs cogitationibus, quæ ex redemptore & fratre, cum nobis iudicem & inimicum faciunt.

**F**aciem pacem mihi.

Nemo mihi resistet, quo minus defendam, & consoler Ecclesiam meam, quæ habebit pacem etiam in prælio, habebit consolationem etiam in afflictionibus.

**E**t implebit faciem terræ fructibus.

Ecclesia mea quanto magis tribulatur, tanto plus crescit. Verte sic. Veniunt dies, quibus radicabit

SCHOLIA.

59.

radicabit Iacob, & fructificabit Israel & implebunt &c.

Nunquid percutitur eodem modo.

Deus amice flagellat Ecclesiam suam, ut saluet, non ut perdat, sicut hostes solent percutere.

Ideo in hoc propiciabitur peccatum Iacob.

Hic totus locus de afflictionibus tractatur diligenter & copiose à Propheta. Hactenus enim animum castigantis & modum afflictionis descripsit. Hic etiam utilitatem & necessitatem ostendet. Pertinet, inquit, crux ad remissionem peccatorum, hoc est, ad reliquias peccati mortificandas. Nisi enim interdum cruce exercecerit nos Deus, securi facile à Sathanā subuerteremur, Sic Paulus quoq; profuisse sibi stimulum suum dicit, ne extolleretur. Sic non solum utilis, sed etiam necessaria crux est.

Cum posuerit omnes lapides.

Deus sua castigatione efficit, ut omnes lapides altaris conterantur, hoc est, tollit omnem idolatriam. Idolatria autem summa est, præsumptio & fiducia in nostras vires, ea cum securi sumus crescit, cum autem affligimur perit. Et hoc est quod dicit, propiciari peccatum cruce.

Civitas munita desolata erit.

h 3

Est

## IN ESAIAM

Est anthitesis. Pij cruce mortificantur & salui fiunt. Impij autem crucem fugiunt, & per-  
gunt in præsumptione sua, ergo funditus perden-  
tur. Quod autem dicit, Munita ciuitas, tangit fa-  
duciam Iudeorum, qui in templum & cultum  
suum confidebant, securi de omnibus periculis.  
Sicut nunc Papistæ Ecclesiam ubiq; iactant, quod  
non obructur penitus, quamvis periclitetur alia-  
quandiu.

Ibi cubabit uitulus.

Desribit futuram uastitatem & solitudi-  
nem. Si quis allegoriam spæctet, ita plerunq; fit, ut  
ubi noluerunt sanctos pascere, pascant post dia-  
bolum & impios doctores. Fiet igitur, ut tan-  
quam paleæ comburantur.

Et erit in die illa, excutiet &c.

Indurati contemnunt uerbum, & pereunt,  
Nihilominus tamen reliquæ undecunq; per præ-  
dicationem Apostolorum colligentur. Euangelion  
enim curret ab Euphrate usq; ad Aegyptum.

In die illa buccina magna.

Buccina est Euangelion, id non consistet in-  
tra illa duo flumina, sed etiam amplius spargetur,  
ut reliquæ ad Ecclesiam colligantur. Hanc enim  
consolationem necessario addidit. Durum enim  
erat dicere, totum hunc populum abiectum esse.

CAPUT

## SCHOLIA.

60.

## CAPVT. XXVIII.

**E**st hic insignis confusio ordinis, quod posteriore loco, sicut plerique solent Prophetæ, priora describit. Intelligo enim priorem huius capitatis partem, de regno Israel, quod præsuperbia Iudam contemnebat. Prædictit igitur Israeli futurum, ut à Salmonaffer, & Sennacherib, Assyrijs misere uastetur. Qui de Iuda intelligere uolunt, illi accipient Ephraim metonymice pro Iuda. Superbam coronam eborum, uocat regnum Israel, ut notet confidentiam, & præsumptionem in opes, potentiam, sanctitatem, sapientiam &c.

In uertice uallis pinguis.

Samariam dicit, quæ fuit in ualle fœcundissima sita. Vnde regnum Israel regnum Samarie dictum est.

Ecce ualidus & fortis Dominus.

Regem Assyriorum significat. Utitur autem hic similitudinibus, quibus significat, tantam fore vim hostium, ut resistere aut sustinere eam non possint.

Quasi temporaneum ante matu. et.

Israel tum erit ceu fructus, qui ante astatem maturuit, & perit adhuc pendens in ramo. Est

b. & insignis

## IN ESAIAM

in signis figura, Quod impij in medio consiliorum cum iam iam uictoram sibi pollicentur, percunt, neq; dimidiant dies suos. Ratio est, quod impij successu inflantur. Inflati autem ruunt & percunt.

In die illa erit Dominus.

Hæc particula commodius uidetur referri posse ad regnum Iudeæ, ut sit sententia, Cum sic uastata fuerit Iudea, & translata in Babylonem, reliquæ seruabuntur & reducentur, sicut dixi superiora etiam de Iudea accipi posse, si Ephraim per metonymiam pro Iudea accipias, que fuit corona, id est, gloriosum regnum, & ideo presumptuosum & superbum. Eius regni caput fuit Hierusalem in monte sita, & habuit fœcundas ualles mare uersus. Mihi tamen simplicior uidetur sententia, sicut dixi, ut superiora simpliciter de regno Israel accipiamus. Quare hæc quoq; intelligo de reliquijs Israel, qui transierunt ad tribum Iuda. Sicut in lib. Reg. legitur.

Spiritus iudicij sedenti.

Id est, Haurient ab ipso Domino spiritum iudicij, ut recte iudicent, & faciant officium suum.

Reuertentibus ad portam.

Id est, Reuertentibus ad pacem finito bello, si de Iudea accipias. Si de Israel, clara ea quoq; sententia est, Multi enim sub Ezechia ad tribum Iudea sunt reducti.

verum

Verum hi quoqp prex uino &c.

Hec coginur de regno Iuda accipere. Verum hi, inquit, qui audiunt tantam Ephraimitarum calamitatem, nihil inde fiunt meliores, non mouentur exemplo &c. sed & ipsi peccant.

Sacerdos & Propheta.

Spiritualis hec ebrietas est, quod sunt ebrij impijs opinionibus, persuasione, & fiducia iusticie, sapientiae &c. Hoc necesse est fieri apud eos, qui non habent uerbum.

Omnis enim mensae repletæ sunt.

Insignis hec est figura. Quod quicquid preter uerbum docetur, sit uomitus, quod qui uerbum non pure docent, non loquantur, sed uomant. Mensa significat suggestum, seu locum e quo docetur.

Quem docebit scientiam.

Omnis sunt ebrij, inquit. Verbo Dei igitur nullus locus est, nisi apud ablactatos, id est, simplices & afflictos, quibus subtraxit Deus aliquantisper consolationem. Sic Christus dicit. Pauperes Euangelizantur, Alij omnes fastidiunt, rident & contemnunt uerbum. Porro sapientia & scientia sic differunt. Sapientia est ipsa fides in Christum. Scientia autem est hoc iudicium seu cognitio illa, quæ ex fide proficiuntur, & iudicat quid cum fide conueniat, quid non &c.

Manda, remanda.

## IN ESAIAM

Hac est uox impiorum , ridentium & sub-  
fannantium Prophetam docentem. Nam hic omni-  
um Prophetarum, et hodie noster quoq; in docen-  
do est ordo. Primo lex docetur, quæ mandat: De-  
inde adduntur promissiones de Christo , qui legi  
satisfecit pro nobis , tum de uita æterna , de iusti-  
cia &c. He promissiones, quia non possunt per-  
fecte, dum in hac carne sumus, apprehendi, sed ex-  
pectandæ sunt fide, & caro nostra semper contra  
fidem pugnat, & mauult uti suis , hoc est, presen-  
tibus præsidij. Ideo opus est crebris exhortatio-  
nibus ad fidem , & consolationibus, ne succumbam-  
us, ne fide deficiamus, certo fore , ut accipiamus  
quæ promittuntur, modo perduremus, & expecta-  
mus certa spē iusticiam , uitam &c. Ut sic omnis  
nostra doctrina consistat in his duobus, in prædi-  
catione legis, quæ docet bona opera, & prædica-  
tione Euangeli, quæ docet fidem . Tertium est,  
quod spargi debent in utrung; doctrinæ genus  
crebræ consolationes . Sed impij hec rident &  
contemnunt. Manda, inquiunt, remanda. Expecta,  
reexpecta. Quasi dicant. Tu nihil docere potes,  
nisi ut hoc & illud faciamus , & remittis nos ad  
nescio quas promissiones, quas expectemus . Satius  
est mundum sequi, qui uiuit ut uult, & habet cer-  
ta præsidia, quibus inniti potest &c. Sicut nunc  
etiam dicunt. Lutherani nihil sciunt docere,  
quam

q̄m fidem & Catechismum. Quando autem con-  
solamur afflictos, fore ut breui liberentur, Rident  
hoc quoq;. Modicum ibi, modicum ibi, dicunt.  
Neq; enim caro sibi persuadere potest, quod mode-  
cum sit tempus crucis, Sed quia secundum sensum,  
posthabito uerbo iudicat, aeternam esse tentatio-  
nem sentit. Restit igitur, & ad carnalia praesi-  
dia se recipit, neq; uult doctrinam fidei ample-  
cti, que consistit non in sentiendo, sed extra o-  
mnem sensum, tantum in expectando.

Subsannatorijs labijs aliquando lo-  
quebar.

Latinus fecit in loquela labij &c. Commu-  
natur subsannatoribus illis. Docebo aliquando per  
Apostolos uerbum Euangelijs, quo irridebo uni-  
uersam iusticiam & legem uestram. Imo abrogar-  
bo eam plane, & in uestrum locum accipiam gen-  
tes, quæ credent mihi, & erunt populus meus, ut  
uos offendamini, & pereatis in aeternum. Obserua  
nomen hoc quo impij Euangelion appellant, Vo-  
cant enim linguam alienam, & subsannatoriam  
doctrinam, non Euangelijs uicio, sed ipsorum ui-  
cio. Nobis autem est uerbum uitæ, illis autem uer-  
bum mortis & scandali &c.

Hæc est requies.

Hæc est prædicatio promissionum, gracie  
& fidei, quam supra uocauit doctrinam expectan-  
tiois. Hæc

## IN ESAIAM

tam. Hæc sola quietam & securam conscientiam reddit, quia exhibet nobis Christum, eumq; nobis donat, cum omnibus suis meritis, iusticia, sanctitate &c.

Et erit eis uerbum Domini.

Riserunt prædicationem legis & promissio-  
num. Riserunt quoq; consolationes. Fiet igitur in  
pœnam, ut ipsi se lege onerent, & operibus defa-  
tigent, ut sibi promissiones somnient & fingant,  
& ut se mutuo consolentur. Verum hæc omnia  
frustra. Sic uidemus nunc in Iudeis hanc pœnam,  
frustra se defatigant operibus, frustra expectant  
Messiam, frustra se consolantur, fore ut liberen-  
tur &c. Sunt horrendæ communiones, quarum  
exempla adhuc hodie in Iudeis uidemus, et tamen  
pauci sunt, qui cum reuerentia uerbum Dei com-  
pletantur, eiq; credant. Eis nimirum similis poena  
manet. Rident nos Papistæ, quod fidem docemus. In  
pœnam igitur ipsi quoq; credunt, non uerbo Dei,  
sed suis idolis, operibus, studijs, traditionibus &c:

Vt cadant retrosum.

Ipsorum ambulare non est proficere, sed de  
errore in errorem cadere.

Conterantur.

Crittione cordis & corporis, qui se suis  
operibus & studijs affligunt, & tamen perpetuo  
laborant è conscientia.

Illaquecentur

Illaqueentur.

Sic implicentur erroribus, ut in uiam reduci nequeant. Sicut Iudei sunt pertinacissimi.

Capiantur.

Sic illaqueati teneantur captivi ad obscurum diaboli.

Audite uerbum Domini.

Vult eos præmonere, ne illaqueentur & perirent.

Percussimus fœdus cum morte.

Est descriptio securitatis, que perpetuo committitur impictatem. Huius securitatis argumentum est summa pertinacia, quam hodie & in Iudeis, & in Papistis esse uidemus, Nisi enim persuasi essent, se tutos esse à morte & inferno, non sic pertinaciter adfenderent sua. Sunt autem omnina mimitice accipienda in persona impiorum, qui dicunt. Sumus tuti à periculis &c.

Quia posuimus mendacium.

Propheta & spiritus sanctus appellant mendacium, ipsorum præsidia. Verum impij sentiunt, ea non mendacia, sed firmissimas petras & rupes esse.

Ecce ego mittam in fundamentis.

Antequam exitium minetur impijs contemptoribus, consolatur & confirmat pios Christum, inquit, mittam, is erit lapis angularis, huius tantum iusticia

## IN ESAIAM

iusticia ex meritum nalebit. Alij qui sua ex non  
huius Lapidis iusticia erunt subnixi, damnabuntur  
& peribunt. Christus est fundamentum, & caput  
Ecclesiae, qui totum ædificium sustinet. Similiter au-  
tem hoc Propheta significat, cum dicit, Fundabo  
lapidem, fore ut certæ sint conscientiæ, Certo sta-  
tuentes se huius lapidis iusticia iustos esse &c.

## Probatum.

Ego malo uertere probatorem, ut intelli-  
gas Christum talem lapidem esse, ad cuius formam  
omnes alij probentur, ut nos quoq; per crucem  
conformes fiamus imagini eius.

## Angularēm.

Includit uocationem gentium. Christus enim  
coniunxit duos parietes, & ex Iudeis & genti-  
bus unam fecit Ecclesiam.

## Precioſum.

In mundo quidem contemptus est Christus,  
sed in cordibus credentium est electissimus lapis,  
quo nihil habent pijs preciosius.

## In fundamento fundatum.

Sic firmum, ut stet contra portas inferi, &  
omnes omnium minas. Qui igitur in Christum credit,  
habet fundamentum, quod non mouebitur in eter-  
num. Est ergo securus, & in quantumvis magnis  
periculis, nihil timet, propter hunc lapidem fun-  
datum, fundatum.

Qui

**Qui crediderit, non festinet.**

Describit fidei uirtutem collatione impiorum. Mala conscientia, qualis in incredulis est, festinat, non potest consistere, sed ad minimos terrors, et ad sonitum folij fugit. Qui autem in hoc lapide nititur, non festinat, non trepidat, non fugit, sed consistit. Nouit enim Christum esse dominum mortis, et uite, et peccati &c. Haec fidei uirtus est, quae in Christo nititur, non in nobis, ideo non fallit nos, sed seruat nos in omnibus periculis. Contra qui operibus nituntur, ne quidem in leuissimis malis consistere possunt.

**Et ponam in mensura iudicium.**

Hic comminatur impijs, qui hunc lapidem reprobant. Iudicabo. sed cum mensura. Non perdam impium cum sancto sine discrimine. Mensura autem et regula iudicij mei erit lapis ille, Christus, in quem qui non credunt, eos perdam, reliquos seruabo. Sic sola fidei iusticia subsistit et seruat.

**Flagellum inundans cum transierit.**

Exaggerat calamitatem, si possit eos persuadere, et retrahere a presumptione propriæ iusticie. Calamitas undecunq; uenerit, inquit, imperatos opprimat uos, quia non estis fundati super lapidem &c.

**Vexatio dat intellectum.**

Dum pace et securitate homines fruuntur,  
contemnunt

## IN ESAIAM

contemnunt & negligunt uerbum. Cum autem tentatio uenit, tum demum credunt esse uera ea de quibus antea per uerbum sunt admoniti. Sic etiam pij non sentiunt uim & fructum uerbi, nisi in temptatione.

**Q** uia angustum est stratum.

Vexatio seu crux perinde est atq; breuis letus, in quo contrahendum est corpus, nisi algere uelimus. Hoc est, solus uerbi auditus retinendus et sequendus est. Tribulatio autem continet nos cœu in breui lecto, nec sinit nos euagari in nostra studia.

Sicut enim ia monte Prazim stabit.

Pergit comminando. Cogitur Dominus facere iudicium, quia uos non creditis. Proprium quidem eius officium est, benefacere, & seruare. Verum cum uos beneficijs illius abutamini, cogitur per poenas uos continere, Sic alienum facit opus, punit & damnat, ut seruentur alij. Sic uideamus Iudeos repulso, & nos gentes susceptas esse. Mons Prazim dicitur mōs diuisionis uel diremptionis, quod ibi David diremptus est a suis hostibus, 1. Para. 14. Sic Ecclesia est mons diremptionis, in quo Ihesus Christus stat. Iudei autem offenduntur in eo, quare se dirinunt ab Ecclesia. Cogitur autem hoc alienum opus facere Christus, ut damnet iusticiam legis, ne gentium hoc est, fidei iusticia, sine operibus legis, irrita fieret. Sic uallis Gibeon

in Iosua,

in Iosua, ubi grandine & tempestate de cœlo hostes fusi sunt, Iosue. 10. Hac grando est Euangelion, quod arguit mundum de peccato, & denunciat iudicium & eternam mortem ijs, qui non credunt in hunc lapidem &c.

Etnunc nolite illudere.

Nolite Euangelion & uerbum habere pro fabula, alioqui fieri, ut magis constringamini, & implicemini efficacioribus erroribus, ut siatis reprobri ad omne bonum opus, Sicut qui uinctus est, est inceptus ad omnes actiones, Minatur enim eis extremam cæcitatem, ni resipiscant.

Consummationem enim & abbreviuationem &c.

Vult impios minis ad uerbum Euangelijs scipiendum mouere. Dominus, inquit, consummationem, hoc est, perditionem præfiniuit, quæ tamen abbreviabitur propter reliquias piorum scrupulorum.

Auribus percipite & audite uocem meam.

Hæc est consolatio eorum, qui hanc consummationem in populo erant uisuri. Exponit enim quomodo sit consummatus & abbreviatur Dominus &c. Utitur optima similitudine. Ager proscissus uidetur in speciem uastatus esse. Ea est consummatio, quod Synagogam repudiat,

i & gentes

## IN E S A I A M

¶ gentes vocat. Atqui non uastatur , sed paratur ager, sic ut melius proueniant fruges. Ad eundem modum consummatur populus , ut reliquæ salvant, non ut totus populus abiiciatur, sicut in speciem apparent. Gramen agri, hoc est , operum iustitia , quæ in illo populo erat , per Euangelion proscinditur , hoc est, damnatur, & dicitur esse iniusticia, ut uera & perfecta iusticia , quæ est fides in Christum, uberioris proueniat &c.

Erudiet illum Dominus.

Hic est finis consummationis, ut populus eruditatur ad consummationem, non ut pereat totus.

Quoniam non in cratibus triturantur uiciae.

Hæc similitudo obscurior est propter rationem triturationis nobis ignotam. Sententia autem facilis est . Trituratione queritur hoc, ut panis fiat, non ut conculcentur grana . Sic Deus querit salutem reliquiarum , cum consummationem immittit impijs. Sunt insignes consolationes in cruce, quæ ideo magis feriunt animum , quod sic illustres sunt, & nota omnibus. Sine dubio Paulo hic locus fuit commendatissimus, propterea quod ipse quoq; non parum sudat in scandalo repudiare Synagogæ remouendo. Nec potuerunt se alia ratione sancti erigere , quam his Prophetæ consolationibus, quod hoc repudium fiat, ad separandas pa-  
leas à

leas à tritico, ut impij percant, pijs autem seruenatur.

Etiā hoc à Domino Deo egreditur.

Mirabilis hec ratio & immensa sapientia est, quam ratio nunquam assequitur, quod Deus sic nobiscum agit, ut secundum opus odisse nos videatur, Secundum uoluntatem autem ardentissime amet nos &c.

### IN CAPVT. XXIX.

Ae Ariel Ariel.

**V**sque in fine præcedentis capitulis abbreviationem descripsit, et consolatus est pios, sic hic describit consummationem, et minatur impijs gladium Romanorum, Sicut Christus Matth. 24. qui uidetur etiam uerba quedam hinc sumpsisse. In fine tamen redit ad præmissionem Euangeli. Vocat autem Hierusalem Ariel, id est, leonem Dei, et castrum Dauid, ut significet præsumptionem eorum. Ideo enim securi erant, et contemnabant minas Prophetarum, quod regnum Dauidi eiusq; semini erat promissum, et quod haberent politiam et sacerdotium diuinitus institutum.

Additis annum ad annum.

Nihil proderint uobis annua uestra sacrificia. Abrogat enim uniuersum cultum Mosaicum.

i 2 Et crit

## IN ESAIAM

Et erit mihi uerus Ariel.

Id est, uerus Leo Dei, contra quem ego per Romanos pugnabo. Ante actum posuit iconem Dei uincitum per Deum. Nunc passus, uictum per Deum.

De terra loqueris.

Auferetur uerbum Dei, ut nihil doceas propter humanas traditiones. Hoc uidemus hodie in Iudeis aperte, quod tantum in angulis murmurarent.

Et erit sicut puluis tenuis.

Hostes tui erunt sicut arcna maris.

A Domino exercituum uisitaberis.

Est ceu Epiphonema. Omni genere tempestatum & calamitatum obrueris.

Et erit sicut somnium uisionis.

Minatur etiam Romanis, fare ut pereant, quod nullum statuant irae sue modum, sed etiam in Zion, id est, pios sauviant. Peribunt, inquit, ceu somnium.

Sicut somniat esuriens.

Plena consolationis similitudo est. Romani & omnes aduersarij Ecclesiæ sunt famelici & siti bundi, sitiunt cruentum piorum, & uidentur sibi eos posse uincere, imo uicisse, sed somniant tantum, & pereunt ipsi.

Obstupescite.

Hic

Hic incipit nouus locus de cæcitate & uastitate Iudeorum, quod indurabuntur ut ad insaniam usq; contra Christum furiant. Videtur eum Paulus Actuum ultimo allegasse. Utitur horrendis uerbis. Primo, obstupescite, tanquam attoniti, ut surdis narrari uideatur fabula, cum uobis prædicatur Christus. Secundo, Claudite oculos, ut odio & malicia excæcati, non uideatis. Tertio, sitis ebrij, hoc est, immersi uestris opinionibus & studijs. Quarto, sitis nutantes, id est, docentes inconstancia, quæ non possunt certam facere conscientiam.

Hic querat aliquis, quare sic præcipiat? Respondeo, Non est præceptum, sed amara concessio, & ceu imprecatio, procedens ex indignatione animi. Siquidem non uultis uerbum amplecti, ruite igitur cæci in uestra studia &c.

Quoniam miscuit uobis Dominus spiritum soporis.

Dominus miscuit, inquit, non quod ipse sic doceat, sed permittit ista sic fieri, quando subtrahit suum spiritum, quem nolebant accipere. Sic dicit. Clausit oculos uestros. Adempto enim lumine (quod reiiciunt) necesse est remanere tenebras. Ut intelligas Deum non effectiue, sed priuatiue excæcare.

Prophetas & principes.

Sunt horrendæ comminctiones, quod neq; in  
i; politia

IN ESAIAM

politia, nec in sacerdotio quisquam sit, qui non sit  
involutus erroribus & mendacijs.

Et erit uobis uisio.

Onnium uisio, hoc est, omnium propheticæ,  
de quibus gloriarni, erunt ceu liber obsignatus,  
id est, per uestram impietatem hoc efficiens, ut  
uobis claudatis totam scripturam. Sicut uidemus  
in Iudeis hodie.

Et quod appropinquat.

Quia estis hypocritæ, ego ista externæ ope-  
ra, illamq; sanctitatis speciem nihil morabor, Lut= =  
ditis me potius, quam ut colatis. Ludam igitur uos  
uicissim. Notabis autem quantum tribuat hypo-  
critis, quod appropinquant ad Deum. Habent ze-  
lum, & serio cogitant de cultu Dei. Item glorifi-  
cant Deum, quia tamen eorū est sine fide, ideo sum= =  
mum cultum reiicit & damnat.

Peribit enim sapientia.

Sapientia est noticia Dei & religionis. In=  
telligentia est iudicium, quod uidemus qua pte-  
gnent cum religione, & cultu Dei. Hec duo si tol-  
las, quid reliquum erit præter mendacia, errores,  
& idolatrias? &c.

Væ qui profundi estis corde.

Hactenus de cæcitate & pœna impietatis  
dixit, nunc hoc etiam addit, quod errores & men-  
dacia ista defendant. Profundi corde sunt, inquit,  
& dicunt,

**E**t dicunt, quis uidet nos? Sentient enim se specie religionis et iusticie tutos fore etiam apud Deum.

Peruersa est cogitatio hæc.

Est uehemens obiurgatio hypocitarum, qui securi sunt fiducia suorum operum: Nullum opus ad factorem suum dicit, Non fecisti me, et uos ad me dicitis. Minatur igitur, quod uelit auferre ab eis regnum Dei, et dare genti facienti fructus eius, Matth. 8. Sicut alibi dicit, Prouocabo te in populo non populo et c. Libanus, hoc est, Hierusalem, quæ habet sacerdotium et regnum, seu arbores, conuertetur in agrum, et ager, hoc est, populus Euangelij in Libanum.

Et audient in die illa surdi.

Regnum Dei et prædicatio Euangelij erexit Iudeis, et in gentes peccatores sparsa est. Pauperes euangelizantur, qui agnoscunt se esse cacos et surdos et c.

Quoniam defecit qui præualebat.

Cum hæc fient, tum passim cessabunt tyranii conscientiarum, qui traditionibus humanis conscientias onerant. Cessabunt quoq; impij contemnptores, et qui uigilant ad dolorem, hoc est, ad iusticiam operum. Notat autem uerbo uigilandi zelum iusticiariorum.

Peccare faciebant homines in uerbo.

Impic tractando et exponendo uerbum Dei,  
i + statuunt

## IN ESAIAM

statuunt & defendunt iusticiam suam contra ueram iusticiam. In porta, id est, in publico officio.

### Declinant iustum.

Assueccendum est ad huiusmodi phrases spiritus sancti. Vocat enim spiritus sanctus iustum, quem mundus hereticum dicit. Sic supra idem spiritus sanctus uocat uomitum, impiorum doctrinas, quas ipsi uerbum Dei, & sanctam religionis doctrinam uocant. Quare non prodest solum, sed & necesse est, diligenter in sacris literis antitheses querere & tractare.

### Propter hoc dicit Dominus.

Cum impij doctores sic fuerint electi, ut libertas Euangeli passim auditur, tum sequetur fructus uerbi. Pauperes exultabunt & sperabunt in Dominum. Non temere autem addit, Deus qui redemit Abram. Quasi dicat. Impij doctores hactenus alium Deum docuerunt, Idolum scilicet cordis sui. Sicut uidemus quod Monachus fingit sibi Deum cucullatum & rasum, hoc est, Deum qui cucullum & rasuram probat. Hanc imaginem cordis sequitur deinde opere externo &c.

### Nunc non confundetur Iacob:

Bona antithesis. Hactenus sub impijs doctribus confusus erat populus. Nunc autem cum prædicetur, non nostra, sed Christi iusticia & meritum, eriguntur animi, Roma. 5. Iustificati per fidem

*fidem pacem habemus erga Deum :*

*Cum uiderit filios suos , sanctifica-  
bunt nomen meum .*

*Opera manuum suarum credentes uocat,  
quia , Nemo uenit ad Christum , nisi quem pater  
traxerit , illi sanctificabunt nomen eius , non suum  
nomen , gratias agent pro beneficiis Dei , prædica-  
bunt gratiam per Christum mundo ostensam . Se-  
parauit , sanctum Iacob , & Deum Israel . Occulce  
enim per sanctum Iacob Christum ostendit , in quo  
sanctificatur semen Abrahæ , id est , credentes .*

*Sitient errantes spiritu intellectum .*

*Non solum populus seductus conuertetur ,  
sed etiam pars eorum qui seducebant , & perse-  
quabantur uerbum . Sic Paulus conuersus est , &  
musitatores discent doctrinam , id est , qui prom-  
pti sunt ad docendum , id quod proprium est omni-  
um impiorum doctorum .*

### CAPVT. XXX.

Ae filijs desertoribus .

Hic incipit nouus sermo . Redit  
enim Propheta ad populum suum &  
tempora sua , hortaturq; ad fidem &  
timorem Dei . Imminebat enim Assy-  
rius Sennacherib , qui decem tribus Israel abduxerat .

i s r a t .

## IN ESAIAM

rat. Perculsi igitur timore principes Iudee (de principibus enim solum, non de rege dicit Esaias) ad auxilia Aegypti confugerunt, omnem spem de auxilio Dei, sicut solet caro, abiicientes. Propheta igitur hoc capite, primo incredulitatem principum & populi accusat, et minatur eis, fore ut ista auxilia nihil eis profint. Deinde conatur eos reuocare promissionibus ad fidem, et ut confirmaret piorum animos, describit illam mirabilem cladem regis Assyrii, sicut supra cap. 10. In hac argumento uersatur ferè usq; ad caput. 33.

### Vx desertoribus.

Sic obiurgat consiliarios & principes regis, quod sint desertores, & Dei, & regis sui, qui aliena auxilia querant, ut Deum magis irritent. Quod Latinus uerit, Ordiremini telam. Sententia Hebrei frē est, Quæritis præsidia sine spiritu meo.

### Erit uobis fortitudo Pharaonis.

Hæc debet esse generalis sententia, qui confisus fuerit in hominem, corrupt.

### Vsq; ad Zoan principes eorum.

Zoan Aegypti ciuitas & regia sedes fuit: Thanes nusquam alibi legitur. Ego puto eandem esse cum Zoan, & in alia lingua aliud habuisse nomen, Sicut Belgradum & Kriechisch weissenburg, eadem ciuitas est &c. Misisti legatos nostros ad

Iros ad regem Aegypti, inquit, sed nihil efficien-  
tis.

### Onus iumentorum Austri.

Onus accipe sicut supra pro propria fia-  
turi mali. Amplificat enim propheticam communi-  
cationibus. Videt enim paratos camelos, & alia ani-  
malia ad munera regi Aegypti offerenda. Pro-  
phetat igitur contra illas bestias & earum ducto-  
res, quod nihil efficient. Terram tribulationis  
uocat Iudeam, cui imminebat Assyrius. Leana &  
leo inter ca,dicit, Quæ est acerbissima obiurgatio.  
Via ex Iudea in Aegyptum est uasta solitu-  
do, quæ abundat omni genere bestiarum, serpenti-  
bus, leonibus &c. Propheta igitur alludit ad eam  
niam. Vere, inquit, uos legati, una cum bestijs,  
quas numeribus onustas duecitis per serpentum &  
leonum solitudinem iter facitis. Ipsi enim estis diri-  
lli leones, & uenenati serpentes, qui inficitis po-  
pulum meum spe humanorum auxiliorum, ut à fide  
discendant, ut deserant Deum suum, & confugiant  
ad humana auxilia. Porro sententia sic redi po-  
test. Onus iumentorum ad Austrum euntium, Inter  
que sunt in terra angustie & necessitatis, Leo &  
leana, Basiliscus & Draco uolans. Portant super  
umeros iumentorum &c.

Superbia tantum est, quiesce.

Hieronymus uertit appellatum pro pro-  
prio,

## IN ESAIAM

prio, debet autem uerti. Raab. ipsa quiescet. Raab autem est Aegyptus, sicut in Psal. Memor ero Rahab & Babylonis. Habet nomen à superbia & præsumptione. Quasi dicat. Rahab, de cuius auxilijs magnifica uobis promittitis, fallet uos, non poterit uos iuuare.

Nunc ergo ingressus scribe ei.

Addit iam signum suæ propheciæ, sicut supra. 8. capit. fecit. Obiurgauit enim eos, quod à Deo ad auxilia humana configurerent. Idem nunc scribi publice in tabula iubet, ut nullus excusationi locus pateat. Scriptura tabula est quod sequitur. Populus ad iracundiam provocans &c. Vertere sic. Quoniam populus inobediebat & filij mendaces, nolentes audire legem Domini &c. Est uchemens obiurgatio. q.d. Debebant colere deum, sed irritant, Debebant Deum confiteri sed negant. Nolunt uerbum Dei audire, ea autem audire uolunt, quæ ipsis placent. Sic Papiste nunc se doceri uelle dicunt, Sed ita, si dicantur ea quæ ipsi probant, sicut sequitur.

Qui dicunt uidentibus, nolite uidere.

Videntes uocat Prophetas, & uidere uocat docere uerbum Dei. Hic iterum obseruabis, quod Spiritus sanctus uocat recta, quæ ipsis dicunt heretica, & errores uocat, quæ ipsis dicunt ueritatem. Prædictate nobis errores, id est, humana præsidia,

SCHOLIA.

71.

fida, & nolite aspicere recta, id est, nolite nobis multa de fide & timore Dei dicere.

Cesset à nobis Israel.

Dic nobis de rege Aegypti, qui habet curas & equos &c.

Propterea hæc dicit sanctus Israel.

Comminatur eis illam pœnam, quæ omnes impios sequitur, quod subito sint perituri. Ista iniqitas, inquit, id est, doctrina præsumptionis in uires humanas, crit ceu ruptura muri, quæ ruinam secum trahet, & omnes uos subito & insperato conteret.

In silentio & spe erit fortitudo uestra.

Varie uersat auditorum animos, adhortando, comminando & promittendo, ut à spe & fiducia humanorum præsidiorum eos abducat. Est igitur hæc insignis promissio, ut in spe expectemus diuinum auxilium, & cessemus à nostris consilijs, tum certo fore ut seruemur.

Huius sententiae cum multa paſſim in sacris literis exempla extant, tum etiam nostra hodierna experientia abunde testatur, optimum & certissimum modum esse, quo omnia mala superantur, si quieti & securi Deo omnia commendemus. Quæ enim alia causa fuit, quod tot iam annis perpetua pace fruimur, in tanta mundi & principum insanis & furore? Non consilia nostra hoc  
ocium

## IN ESAIAM

ocium & hanc securitatem pepererunt , sed  
silentium & spes , sicut Propheta hic dicit , hoc  
est , quod simplici fide , nos & causam nostram ,  
Deo commendauimus , & assiduis orationibus ( hæc  
enim sola arma habemus contra Sathanam ) nos  
defendimus . Sed & ante hæc tempora multa huius  
sententiae insignia exempla extitere . Fuit enim  
ante aliquot annos Magdenburgensis Episcopus  
comes à Bichingen , Is cum uī à collegio ad Epi-  
scopatum pertractus esset , forte accidit , ut Saxo-  
niæ dux ob simultatem aliquam , bellum ei inferre  
pararet . Id cum resciuisset Episcopus , tanquam  
altum somnum dormiens , non contra parare vim  
& arma , sed curare Ecclesiæ suas , in ijs frequens  
esse , uicia earum corrigere , lectioni & orationi  
incumbere , perinde atq; si nullus usquam belli es-  
set metus . Cum autem ducis Saxoniæ speculator  
in aula Episcopi esset , & forte nuiciaretur , Sa-  
xoniæ ducem iam suscepisse expeditionem . Ibi  
Episcopus , Bene est , inquit , Ego curabo meas Ec-  
clesias , Deus autem pro me pugnabit . Hanc uo-  
cem exceptit speculator , eamq; ad Saxoniæ ducem  
detulit . Statim igitur ab optimo principe inter-  
missa expeditio , & dimissi milites sunt . Ita enim  
respondit . Se longe inferiorem esse , quam ut con-  
tra eum pugnet , qui socium pugnæ habeat Deum .  
Ad eo non fallit spes in diuinum auxilium . Neq; in  
religione

religione solum ualeat hic locus, sed etiam in politia. Sic enim ferè accidit, præcipitia consilia fallunt. Ideo laudant Romani cunctatorem Fabium, qui cunctando restituit rem. Semper enim fallit præsumptio de nostris uiribus. Bene igitur dictum est illud, patiens terit omnia uirtus. Et Paulus, uincere in bono malum. Hos euentus mundus cernit, causam non cernit, quam solæ diuinæ literæ nobis ostendunt. Porro causa huius promissionis est posita in primo precepto, Vbi Deus promittit se fore protectorem piorum. Rursus se in impios exceptiturum poenas. Impossibile est igitur pios nos seruari, & impios non perire. Neq; enim uerbula Dei potest fallere, In eo solum à nobis erratur, quod non possumus eum articulum temporis experiri, quo nos seruabimur, et impij punientur. Deus autem longanimus est, nec cito punit, quo auxilium segnius punire incipit, eò cum cœperit perseverantius affligit. Verum quia natura hanc mortalem impatienter fert, ideo erigendus huiusmodi locis animus est, & assuefiendæ sunt mentes ad omnia incommoda, in spe futurae liberationis, perferenda. Sicut Christus etiam monet, cum dicit. Possidete animas uestras in patientia &c. Non enim possunt durare impij, & est uerissimum quod dicitur, Malum destruit seipsum. Simus igitur quieti & commendemus

## IN ESAIAM

mondemus omnia manibus Dei . Deinde etiam speremus futuram liberationem , & experiemur quod spes non confundit nos , sed confundentur aduersarij nostri , qui impictatis causam contra Christum defendendam suscepserunt.

Mille homines à facie terroris unius.

Vnus hostium mille uestrum fugabit , ut omnes disperganimi , & nihil r eliquum sit de uestro exercitu , quam militare signum . Vocat enim hic malum metaphorice hastam , ē qua uexillum pendet .

Propterea expectat Dominus .

Redit ad promissiones , si eos reuocare possit à presumptione humanarum uirium .

Quia Deus iudicij .

Castigat in iudicio et mensura , id est , modice , non perdit omnino . Quare expectate ab eo consilium .

Populus in Zion habitabit .

Sunt insignes promissiones , quibus erigit Ezechiam & pios , ne desperarent . Primo promittit fauentem & propitium Deum . Secundo tutam Hierusalem & ciues . Tertio , commeatum , ne fame aut siti laborent obsecssi . Quarto , etiam uerbum Dei , quo erigantur , doceantur &c . Audient uerbum monentis à tergo , inquit , Quemadmodum pastores ouium sequuntur gregem , sic doctores tui sequentur te , & docebunt te regiam uiam &c .

Dabit tibi Dominus panem artum .

Verba sic .

S C H O L I A.

73.

Verte sic. Dabit tibi Dominus panem in tribulatione, & aquam in angustia.

Et contaminabis laminas.

Post fiet, inquit, ut purgemini ab omni Idolatria. Audita enim uera doctrina ruit & perit operum fiducia, & omnis Idolatria.

Et erunt super omnem montem.

Si credideris Domino Deo, beneficio obrueris. In montibus, ubi alioqui dominatur sterilitas, summa erit fœcunditas. Cum ceciderint turres, id est principes Assyriorum. Necesse est magnam in Ezechia fidem fuisse, qui huic propheciæ credit, cum iam omnia hostili exercitu plena essent, & Hierusalem durissima obsidione premeretur.

Et erit lux lunæ sicut lux solis.

Est exaggeratio lœticiae, secundum affectum piorum, qui subito ex præsentissima morte sunt liberati. Nam sicut ante etiam ostendimus, tristibus animis omnia uidentur tristia, Rursus lœtis, omnia ridere & lœtari uidentur. Dicit igitur, Ezechias & alij, liberati obsidione, cum uidebunt hostium stragem, sic gaudebunt, ut lumen solis & lunæ præ nimia lœtitia multo quam ante suauius & amoenius eis uideatur esse. Sentient omnes creaturas unâ lœtari & ridere &c.

Ecce nomen Domini uenit.

Postquam Propheta pios consolatus est, &

k

impios

## IN ESAIAM

Impios multis rationibus à præsumptione humana  
narum uirium reuocauit. Transit iam à populo  
suo ad Assyrium, & minatur ei exitium. Assyrius  
uenit, inquit, uenit & noster Deus plenus ira con-  
tra illum. Dicit autem Dominum uenire de lon-  
ginquo, ut scilicet exprimat affectum expectan-  
tium manum Domini. Videtur enim Deus differre  
auxilium, & sero nos respicere. Est autem gran-  
dis descriptio, quam requirebat summum pericu-  
lum piorum.

Canticum erit uobis.

Post hanc ruinam turrium ibitis letantes  
& cantantes per urbem cum gratiarum actione.

Dominus auditam faciet gloriam.

Describit iam modum interfectionis & ce-  
dis. Tonitru & fulmine perdet Assyrium Domi-  
nus. Tonitrua uocat uocem Domini, tympana &  
cytharas.

Præparata est enim ab heri Tophet.

Exposuerunt hunc locum de inferno, id  
quod fieri potest, si quis allegoriam sequatur. Sed  
nisi uidetur esse historica sententia. Tophet uo-  
cat mactationem & uictimationem Assyrijs pa-  
ratam, quam non possint effugere. Ut sit sententia,  
Dominus mactabit Assyrios, faciet holocaustum,  
ad quod ignis ex ligna parata sunt. Restat anhelis-  
tus qui succendat, id est fulmen. Alludit enim ad  
interitum Sodomorum.

CAPVT

## CAPVT. XXXI.

**E**st idem argumentum cum priori capite. Varie enim adhortatur Propheta suos, et minis et promissionibus, ut a fiducia humanorum praesidiorum eos abducatur. Apparet autem Prophetam plures de hoc arguento habuisse sermones. Nobis quia extra periculum sumus, ad fastidium usq; eandem rem uidetur repetere. Sed p[ro]ij animi in paroxysmo temptationum non possunt satiari uerbo Dei, ibi nihil est nimium.

Ipse autem est sapiens.

Vos habetis me et Deum meum pro fatuo, sentietis autem cum abunde sapientem esse. Sic accusamur et nos a Papistis haeretici et seditiosi. Possimus igitur exemplo Prophetae dicere, quod tempus ueniet, cum nimium Catholici et pacifici Papistis erimus. Sed ista non creduntur, priusquam eu[n]iant.

Contra auxilium operantium ini.

Auxilium passiu[m] accipiendum est, quod petunt Iudei operantes iniquitatem.

Aegyptus homo & non deus.

Nota hanc consequentiam, quam nos docet Dialectica spiritus sancti. Homo est, ergo non est fidendum, ergo non potest iuuare. Item caro est,

k = ergo

## IN ESAIAM

ergo non est ei fidendum, ergo non potest iuuare.  
Applicanda enim est ad omnia studia, opera, con-  
filia, & praesidia humana, quæ sine timore Dei  
suscipiuntur.

**Quomodo si rugiat leo,**

Dominus pro erigendis infirmis se compa-  
rat leoni, qui cum prædam noctus est, rugit, nec  
moratur multitudinem aut clamorem pastorum.  
Vos, inquit, estis præda mea, quam mihi Assyrius  
non eripiet.

**Conuertimini :**

Scilicet, de fiducia carnis ad Dominum, qui  
hec promittit. Hoc enim est quod dicit, Conuerti-  
mini qui nimium receperistis, scilicet à Deo ad fidu-  
ciam hominum.

**Vectigales erunt.**

Puto proverbialiter accipiendum esse. Vo-  
lunt uobis dominari, sed succumbent, & uincen-  
tur.

**Fortitudo eius.**

Id est, principes Assyriorum cum rege Sena-  
nacherib.

**Cuius lux est in Zion.**

Ego œconomice intelligo, pro eo, quod ha-  
bitet Dominus in Hierusalem, & sit istuc pater fa-  
miliæ, habeat istuc fœcum tanquam ciuiis aliquis.  
Est suauis figura, quæ ualeat ad erigendos animos.  
Idem

Idem dixit sine figura , Nume. 35. Ne polluatis  
terram in qua habitatis, in qua ego inter uos ha-  
bito. Ego enim sum Dominus, qui habito inter fi-  
lios Israel.

## CAPVT. XXXII.

**P**riorem huius capitinis partem  
duco connectendam cum superiori-  
bus. Ut sit sententia, Quantumuis fu-  
riat Assyrius contra Iudam, tamen  
ipso inuito & furiente, manebit & stabit regnum  
& quidem florentissimum, contra quam cogitat  
Sennacherib . Rex regnabit in iusticia, inquit,  
Dabo iustum regem Ezechiam & alios post eum.  
Obseruabis autem ordinem, quod primo dat iu-  
stum caput, ex illo sequuntur etiam principes iu-  
sti, & alia membra politica.

Et erit uir sicut qui absconditur .

Obserua hic insignem commendationem Ma-  
gistratus, quod sit ceu murus, qui defendat a ui-  
uentorum & pluiae . Item quod sit ceu riuus in  
arido loco, & petra umbrae . Has similitudines di-  
ligenter considera, & uidebis, quam magnifica-  
res sit magistratum esse, ut recte a Christo ευεργε-  
ται sint dicti. Hac autem omnia maiora uide-  
buntur, si circumstantias omnes expendas. Si enim  
k 3 magistratus

## IN E S A I A M

magistratus officium est, ut sit honori bono operi,  
& timori malo operi, necesse est ut in se Satanam,  
cum omnibus membris suis concitet. In his autem  
consistere, & non frangi animo, diuina uirtus est.  
Merito igitur gestant coronas tanquam uictores  
omnium malorum, Sathanæ, & mundi.

Non caligabunt oculi uidentium.

Erunt quoq; piij doctores & discipuli. Atq;  
hic uide, quod bonus magistratus & pax publica  
seruat religioni & Euangelio, ut latius spargi  
possit.

Aures audientium.

Promissio, quod uerbum Dei non frustra doc-  
etur.

Cor stultorum intelliget.

Quando uerbum pure docetur, tunc extir-  
pantur mali doctores. Et semper prædicationem  
Euangeliū sequitur reformatio impiæ doctrinæ  
& uitæ que præcessit. Præcipites corde uocat  
promptos ad docendum, quod commune uicium  
est pseudoapostolorum. Blæsi lingua, sunt iniutiles  
doctores, qui cum docere nesciant, tamen docent,  
Sicut totus Papatus facit.

Non uocabitur quoq; is.

Reformatio Politiae quoq; sequitur. Stultus  
non uocabitur amplius princeps, id est, Qui male  
alijs præsunt, siue in politia, siue in officio uerbi,  
ijs abrogabitur imperium

Fraudu-

## Fraudulenti uasa pessima sunt.

Nos uertimus. Auari marsupium malignum est, id est, nulli beneficit, tantum quæ sua sunt quærit. Ut sit ceu prouerbium, quo describit malum magistratum, siue politicum, siue ecclesiasticum. Vtriq; enim cum sua querunt, & nemini prosunt, sunt auari. Malus doctor abutitur scientia, iudicio, cognitione linguarum, & alijs donis, quæ habet, ad suum commodum. Sic etiam qui in aulis principum sunt.

## Cum loqueretur pauper iudicium:

Est ambiguum. Prior sententia est, & quæ mihi magis conuenire uidetur. Quando debet loqui ut consoletur, aut defendat pauperem, tunc uititur mendacio, ut cum decipiat. Altera autem hæc est. Pauper recte quidem dicit, sed opprimitur a Tyranno &c. Hanc non sequor.

## Mulieres opulentæ surgite.

Hic nouum caput incipit. Quasi dicat. Bene habent iam omnia. Restituta est religio & politia. Sed nostra ingratitudo & securitas faciet, ut recidamus aliquando in ueterem impictatem, & cumulemus nobis iram & poenam, donec prorsus hoc regnum destruatur. Id quod sub Christi passionem, post uulgatum per Apostolos Euangelion factum est. Neq; enim solum captiuitatem Babyloniam hic significat, sed omnes alias calamis-

## IN ESAIAM

tates usq; ad Christi aduentum , qui spiritum suum effundet in corda credentium &c. Mulieres uocat ciuitates & respuplicas securas.

Post dies & annum.

Significat uastitatem futuram per Chaldeos, in quam includit omnia alia mala usq; ad Christum .

Exuite.

Imminet ut exuamini regno , & pace politica, & opibus &c. & ut nudemini, id est, ut redigamini ad miseram uastitatem, & accingamini, scilicet sacco.

Donec effundatur super uos spiritus.

Ingratitudo nostra merebitur, ut ciuitas & totum hoc regnum redigatur ad nihilum , donec ueniat omnium malorum finis, Christus, & effundatur spiritus eius super nos, scilicet , in die Pentecostes, Actu. 2.

Et erit desertum in Carmelo.

Desertum , id est , reliquiae Iudeorum , & gentes erunt, ceu cultissimus ager, Ferent uberrimos fructus, in fide Christi. Et Charmel, id est, Synagoga quæ nunc floret , redigetur in saltum, & desolabitur.

Et erit opus iusticiæ pax

Est notus Hebraismus . Triticum est opus agri, id est, ager profert triticum, ut sit opus pro fructu,

fructu. Enumerat autem hic opus fidei, pacem conscientiae, sicut ad Rom. 5. Iustificati per fidem pacem habemus &c. Hæc non sunt sub Cyro post captiuitatem Babyloniam impleta. Coactus igitur sum ad Euangelij tempora referre. Est autem Emphasis in pronomine, Populus meus, significat enim nouum populum fore.

### Grando autem in descensione saltus.

Vocat Hierusalem saltum, quod ē lignis Libani esset edificata. Declivem autem saltum uocat propter situm. Erat enim declivis ad Aquilonem. Quasi dicat: Perturbatio conscientiarum erit in incredula Hierusalem, quæ declivis est, & suo situ futuram ruinam & casum significat.

Beati uos seminantes.

Synagoga respuit Euangelium. Beati igitur uos Apostoli, qui seminatis, id est, prædicatis uerbum passim iuxta aquas, id est, in omnibus gentibus, ubi immittitis tam boues quam asinos pro pascuis ( Ad aquas enim fœcunda & pascuis comoda loca sunt ) id est, docetis, exerceatis, instruitis, tam perfectos doctores quam infirmos & imperfectos discipulos.

IN CAPVT. XXXIII.

k s vae qui

IN E S A I A M.

Ae qui prædaris.



Redit ad institutum locum de Asyrio, & ut consoletur suos, prophetat ei futuram cladem. Væ uastator qui non uastaris. Sic censeo uertendum, ut respiciat oblique ad illorum uoces, qui populum metu Assyrij terrebant. Quasi dicat. Scio cum esse uastatorem, & à nemine uastatum esse, nihil est quod infirmos his uocibus terreatis.

Cum consummaueris deprædationē.

Est insignis & plane Theologicus locus. Quod Deus tum suos eripit, cum uidentur profus perdit, & tum destruit impios, cum iam in manu se habere uictoriam putant. Ideo dicitur in Psal. 10. Adiutor in opportunitate Sperant igitur pi contra spem, & credunt cum desperata sunt omnia, & sic liberantur.

Domine miserere nostri.

Postquam populum prædicione sua confirmauit Propheta, etiam orat. His enim duobus, uerbo & oratione pugnamus, & alimus fidem. Verbum enim alit fidem, & Oratio uincit ac triumphat etiam contra portas inferorum.

Esto brachium eorum.

Id est, populi mei sic trepidantis. Est breuis oratio, sed potens. Sicut concio, quam premit, breuis est, sed mirum in modum uehemens est.

Sicut

Sicut colligitur brucus.

Nos similitudinem sumemus à nostris auicenis. Assyriorum rex ecu brucus cum suo exercitu, omnia arrodit & perdit, sed fact ut disiiciatur & dissipetur, improviso, Sicut dissipantur passeris ab area. Quod autem Latinus fecit. Velut cum fossæ plene &c. Sic uerte. Et sicut disperguntur locustæ, cum quis inter eas uagatur.

Magnificatus est Dominus.

Causa cur tam potens rex sit periturus. Quia, inquit, Dominus est ciuis Zion &c. Dedit nobis uerbum suum. Omnia igitur sunt plena iudicio & iusticia. Qui enim credunt huic uerbo (sicut necessè est aliquos saltem credere) penes illos est dominium, satus, sapientia, prudentia & timor Domini. His armis uincetur Sennaherib. Est autem emphaticum quod dicit. Temporibus tuis, Quasi insultet Assyrio, hec dona in his misericordiis sunt, quos tu obſidione cinxisti &c.

Ecce angeli eorum.

Est confutatio illorum rumorum, quos sparsgebant increduli, quibus plebeculam terrebant. Sunt enim multas accipiente uoces, quæ sequuntur, Dissipatae sunt uiae &c. Nuncios autem pacis appellat ironice eos, qui cum deberent populum consolari & extenuare uires Sennaherib, augebant terrores, & populum suo tristi nuncio ad desperationem adigebant

Confusus

IN E S A I A M  
Confusus est Libanus.

Quidam allegoriam hic sequuntur, Ego accipio per metonymiam pro ipsa Hierusalem, quasi dicant nuncij malorum rumorum, qui Assyrii potentiam iactabant. Videor mihi uidere Hierusalem, quæ est ceu Libanus & Saron &c. in cineres ab Assyrio redactum.

Nunc surgam, dicit Dominus.

Insignis consolatio piorum, fore ut pereat Sennacherib, & Hierusalem intacta maneat. Diligenter autem notabis fidei uocem, quod Sennacherib cum suo exercitu stipulam esse dicit. Perinde atq; si Turcam in Viennensi obsidione stipulam appellarem. Hæc fides uicit & fudit exercitum Assyriorum, Nos autem debemus eam transferre etiam ad priuatas nostras tentationes. Si quem premit paupertas, is eam sentit ceu armatum virum saeire, Fides autem in Dominum Hic sunt sentit eam non armatum virum, sed stipulam esse. Sic peccatum est sicut magnus Goliad, & oppugnat omnibus viribus conscientiam, sed si credas in Dominum Hic sum, pro te mortuum, senties peccatum stipula esse leuius & infirmius. Ad hunc modum erigendæ sunt conscientiae, ut nulla tanta tempestas sit, quæ non, per fidem uicta, stipula esse sentiat. Porro sic uerte hunc locum. Grauidi estis stramine, parietis stipulam, ignis deuorabit uos & spiritum uestrum,

Audite

Audite qui longe estis.

Pergit Propheta consolari suos & confundere impios, qui tristibus rumoribus pauorem populi augebant. Recitat autem & hic uoces impiorum. Quis nostrum habitare poterit ad ignem dolorantem &c. Quasi dicant. Futurum est ut inflammetur Hierusalem ab Assyrio, quis igitur hic maneat? Respondet Propheta & Spiritus sanctus. Pij manebunt, & manebunt in summa felicitate & abundantia omnium rerum. Vos autem impij una cum Assyrijs hostibus peribitis. Significat autem Propheta obscure huiusmodi concionibus, contra se docuisse quosdam aulicos regis, ad concitandum uulgas, & perterrefacendum.

Observa sententiam. Conterriti sunt in Zion peccatores, & possedit tremor hypocritas. Hoc enim hominum genus in secundis rebus est secundum, rursus in asperis rebus est desperatum.

Vbi est literatus.

Videtur significare hoc nomen eum, qui habet peritiam linguarum, quales sunt in aulis, qui sunt principibus & consiliis.

Ponderator.

Ego pro questore accipio, qui curat census, & est a pecuniis.

Doctor

IN ESAIAM  
Doctor paruulorum.

Hunc accipio pro Cancellario, qui scribit edicta, componit causas &c. Quasi dicat. Omnes eruditi, potentes, sapientes, qui cum Sennacherib sunt, fugabuntur et peribunt. Populum profundi labij, seu alti sermonis uocat Assyrios tanquam Barbaros.

Vide Zion.

Pergit in promissionibus futuræ liberationis, & comparat Hierusalem firmo tabernaculo. Quæ de riuis seu fossis aquarum dicit, allegorica non historica sunt, & ipse exponit allegoriam, & dicit cuiusmodi sint fossæ, scilicet, Dominus Iudeus noster &c.

Laxati sunt funiculi.

Ad maiorem consolationem instituit collationem, & confert tabernaculum Hierusalem cum tabernaculis Assyriorum. q. d. Assyrij quoq; habent fixa tabernacula, sed neq; clavi nec funes firmi satis sunt, corruent igitur. Malum uocat, unde signum suspenditur. Sic trepidi aufugietis, ut non sit spacium, neq; animus ad explicanda signa seu uexilla, sed alius hac, alius illac fugiet.

Auferetur ab eo iniquitas.

Quia habet pius populus propitium Deum, condonabuntur eis peccata, & habebunt fœlicissimam & opulentissimam uictoriam.

CAPUT

## CAPUT. XXXII.

**S**equentia duo capita uarie à ua-  
rijs accipiuntur. Maior pars ad ex-  
tremum dicm refert. Ego, saluo alio-  
rum iudicio, existimo Prophetam lo-  
qui de postrema Synagoge uastatione, qua trans-  
latum est regnum & sacerdotium huius populi  
ad ecclesiam per Apostolos constitutam, Sicut  
Christus quoq; minatur. Auferetur regnum à uo-  
bis, & dabitur genti facienti fructum eius. Inuol-  
nitur autem simul perditio gentium, quæ non con-  
tentæ uastatione Synagogæ, etiam in Apostolos  
& sanctos sciebant. Cobæret fortasse durius cum  
superioribus. Sed nos uidemus ferè eum morem es-  
se Prophetarum, ut à præsenti regno in futurum  
Christi regnum excurrant, partim ad consolatio-  
nem piorum, partim ad terrendos impios, qui am-  
plis promissionibus inflati, secure præsumebant.  
Id quod Iohannes quoq; reprehendit, Matth. 3. Ne  
dixeritis in cordibus uestris, patrem habemus  
Abraham &c.

Accedite gentes.

Est generalis commonitio, quæ primum ad  
Iudeos, deinde ad gentes pertinet. Ideo autem tam  
magnifice præfatur, quia loquitur contra præsum-  
ptuosos & securos. Horrenda audietis, inquit, Do-  
minus stringet gladium. Militia

## IN ESAIAM

### Militia.

Hoc nomen saepe in Prophetis occurrit. Significat autem non solum bellum, sed est generale nomen omnibus humanis studijs. Sic Iudeorum religio militia dicitur.

Interfecit eos.

Primum de Iudeis dicit, qui per Romanos uastati sunt.

Omnis militia celorum.

Sic appellat religionem Iudeorum, quod habent cultum diuinitus institutum. Ceterarum gentium cultus & religio ac studia, erant solum terrestris militia, quia non habebant uerbum.

Et celum complicabitur sicut liber.

Celum quod modo expansum est, conuoluetur, hoc est, sacerdotium, quod iam in magno usu, & ampla dignitate est, omnino abolebitur, neque erit eius tum usus. Id quod hodie in Iudeis hiedemus.

Inebriatus in celo gladius meus.

Id est, Synagogam gladius Romanorum tollet, & euertet simul Edom. Sic enim legimus in historia, quod Edumaei ferè tertia suarum copiarum parte adiuuerint Iudeos. Sunt autem una cum Iudeis cæsi per Romanos. Alij malunt Edom per metonymiam accipere, ut celum significet sacerdotium, & ecclesiasticum magistratum. Edom autem politiam.

Gladius

**Gladius Domini impletus est pinguedine.**

*Significat maximam factam stragem processum & optimatum in populo.*

**Victoria Domini in Bosra.**

*Est nobilissima ciuitas Arabiae in Idumaea. Puto autem Edom pro Iudea, & Bosra pro Hierusalem per metonymiam accipienda, & hoc facit allegoria. Bosra munitionem significat. Tangit igitur hoc nomine presumptionem huius populi, qui confidebat in regno & sacerdotio diuinitus instituto. Edom autem rubeum & sanguineum significat, & notat saeviciem Iudeorum, sicut alio loco. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem &c.*

**Et descendenter unicernes cum eis.**

*Vnicernes uocat pontifices, qui tum erant, illi una cum Idumaeis peribunt. Tauri sunt potentes.*

**Annus retributionis.**

*Deus uult vindicare Zion, id est, ecclesiam, que non degenerauit in Edom & Bosram.*

**Conuententur torrentes eius in picem.**

*Antea fuerunt flumen Dei, sicut in Psalmis scribitur. At tum uertentur torrentes eius in picem. Ardebunt in sece ceu pix, odio & inuidia Christi & Christianorum. Videmus igitur hodie monstrosam*

## IN ESAIAM

monstrosum Iudeorum inuidiam & odium in nos,  
& tamen nihil possunt nocere. Sunt enim traditi  
in impias opiniones, ex quibus nihil aliud ascen-  
dit, quam foetor impietatis, & blasphemie. Sic de-  
scribit Propheta faciem Synagogæ, que erit post  
iustificationem.

Possidebunt illam Onocrotalus.

Sunt aues feræ & solitudinariæ, quibus si-  
gnificat desertum populum. Respicit autem ma-  
xime doctores eorum, qui non lètificant conscienc-  
ias, sed magis terrent cantu & doctrina sua. Sie  
Papatus hodie habet doctores, ibides, coruos, ul-  
lulas, & ferales bubones.

Et extendetur super ea mensura.

Eleganti figura significat fore, ut nunquam  
restituatur. Habent quidem amussim & regulam,  
nunquam ædificaturi. Somniant regnum & resti-  
tutionem pristini status. Sed illa amussis est amus-  
sis desolationis, & regula illa, est regula nihilitum  
dinis seu inanitatis, hoc est, nihil promouebunt  
studijs suis, nunquam sarcient hunc regni & san-  
cerdotij casum.

Nobiles eius non erunt ibi.

In Hebræo paulo aliter sonat, quod titulo  
lenus erunt domini. Ridet enim spem Iudeorum,  
quam alunt de restituendo regno, & promissiones  
quas iactant, futurum scilicet ut restituantur in  
regnum

regnum. Inane nomen regni habebitis, inquit. Cæterum re nihilo eritis fœliciores.

### Erit cubile Draconum & Struthionū.

Describit doctores ipsorum, quorum ferales uoces sunt, que nunquam consolantur. Sunt autem generaliter hæc accipienda de omnibus, qui uerbo carent, illi huiusmodi habent doctores. Cæterum negotium hic est grammaticis de uocabulis rerum que iam usu ceciderunt. Sicut ferè in omnibus linguis multa in uocabulis rerum obscuritas est.

### Requirite in libro Domini.

Minanti Deo noluitis credere, iam experientia discitis ueracem eum esse. Inuenietis omnes istas calamitates uobis prædictas in libro Domini, Deut. 28. Quod Latinus uertit, Alter alterum non quæsiuit, sententia est, nihil eorum que istic sunt predicta desideratur, sed omnia complementur in uobis.

### Ipse mittit eis sortem.

Dimensa est impijs sua sors, quam non poterunt mutare.

### IN CAPVT. XXXV.



E ultima uastatione Synagogæ superiore capite dixit. Sequitur iam prophæcia, de ipsa Ecclesia, que natæ est ex reliquijs Synagogæ uastatæ. Lo-  
l = quitur

## IN ESAIAM

quitur autem prorsus in spiritu, & predicit multa & magnifica de Ecclesia. Quia tamen addit ubiq; consolationes, apparet eum loqui de Ecclesia in speciem afflita, que tamen ornata & locupletata sit spiritualibus donis. Et ideo uocat Ecclesiam desertum, quod nullam externam operum speciem habet, quam mundus admiratur. Nihilominus tamen est letum desertum, In quo est gratia, spiritus sanctus, leta conscientia, remissio peccatorum, cognitio Dei, bona opera &c. que mundus exterorum operum magnifica specie deceptus, non cernit, nec admiratur.

Gloria Libani est ei data.

Omnia dona quae Synagoga habuit, sunt translata in Ecclesiam e reliquijs Iudeorum & gentibus congregatam.

Ipsi uident gloriam Domini.

Hæc est Ecclesiæ gloria, uidere Dominum: Sicut alio loco, In hoc glorietur uir, quod norit me. Hinc Paulus & Petrus magnifice tractant locum de cognitione Christi, & hortantur, ut in ea crescamus &c.

Confortate manus dissolutas.

Addidit hic consolationem, quare non potest accipi de corporali gloria deserti, Sed est ea gloria abscondita sub cruce & stultitia. Significanter autem dixit, Manus fessas & labantia genua. Sic

Sic enim solet Sathan, quos uno impetu subuertere non potest, eos assiduitate uincere conatur, nec prius cessat, quam fatigati succumbant. Est autem hoc grauissimum temptationis genus, quare necesse est hac consolatione, qua Propheta hic utitur, erigi animos, alioqui uicti succubent.

Dicite, puerilimes confortamini.

Est omnino necessaria consolatio. Nam in Ecclesia nulla est species, sed est odiosa & contempta, affligitur quoq; poenis & cruce, premitur sua ipsius infirmitate, aliquando etiam peccat & labitur, tum fatigatur a diabolo, qui subinde no- uas artes, quibus eam capiat, excogitat. Hortatur igitur ad patientiam, fore ut eripiantur & saluentur, non fore aeternam temptationem, Sed ut co- gitemus mandatum de cœlo esse, Consolamini, ne scilicet desperemus. Magna res uobiscum geritur, inquit. Hostis uester potens & assiduus est, sed tamen maior est qui in uobis est, quam qui in mundo. Is uelut uos &c. Sic nihil habent pri, quo se consolentur, quam uerbum, quo alitur & sustentatur spes ac fides.

Tunc aperientur oculi cæcorum.

Etiam ad literam ista facta sunt, Matth. 11. Marci ultimo. Fuerunt enim necessaria miracula in prima Ecclesia, quæ cum alioqui contemptissima specie esset, tamen legem & totum illum cul-

## IN E S A I A M

tum populi Dei tollebat. Nunc belli quidam ho-  
mines nos rident, obijciunt, ne claudum quidem  
equum à nobis sanatum, & destitui nos prorsus  
hoc miraculorum dono. Sed scriptum est, Impius  
non uidebit gloriam Dei. Nam & hodie cæci re-  
cipiunt uisum, cum reducuntur ad cognitionem  
Christi obseßæ à Sathanâ mentes, Surdi audiunt  
Euangelion, Claudi, qui sedebant in suis supersti-  
tionibus, & Idolatræ, erecta fide, exiliunt, & iu-  
cunde ambulant, Muti quoq; iam laudem Dei ca-  
nunt & prædicant. Quos non mouent hæc mira-  
cula, illi ne quidem Christo corporaliter exer-  
centi miracula crederent.

Quia scissæ sunt in deserto aquæ.

Verbum copiose prædicabitur, & subinde  
latius spargetur, & ex ecclesia unius loci multæ  
alii haurient uerbum &c.

In cubilibus in quibus prius dracones.

Serpentes uocat impios doctores, ubi illi  
antea habitabant, ibi erit leta fœcunditas, & co-  
pia humoris &c.

Et erit ibi semita.

Quasi dicat. Erunt & alii semitæ, que san-  
ctitatis nonuine celebrabuntur. Verum hæc sola  
sancta erit semita, in qua sancti patriarchæ etiam  
ambularunt. Ea uia est, fides in Ihesum Christum,  
in semen Adæ & Abrahæ promissum. Hæc autem  
omnia

omnia ideo à Prophetā dicuntur, ut discamus,  
quod fides sequitur uerbum, & quod credentes  
errare non possunt. Mundis enim omnia sunt  
munda, tum naturaliter parit fides bona opera.  
Impij autem neq; credere, nec bona opera facere  
possunt, simulachra tantum bonorum operum  
edunt. Ideo dicit, Non transibit per eam pollutus.  
In omnibus enim alijs uijs sunt impij. Sic cucullus  
tegit impium monachum &c. Sola autem fides in  
Christum, uia est, quam nullus impius apprehen-  
dit, quia membra Christi non possunt esse poluta,  
habent enim sanctificans caput.

### Vt stulti non errent per eam.

Erit tam plana uia, in qua ne stulti quidem  
errent. Vocat autem stultos, qui simplici corde  
uerbo inhärent. Hos enim mundus stultos uocat  
& iudicat.

### Non erit ibi Leo.

Doctores traditionum, & exactores legis,  
qui lacerant miserias conscientias, non crunt ibi.  
Credere igitur & fidere in Christum, est una &  
regia uia, in qua tuto ambulatur. In alijs uijs la-  
ccrantur conscientiae in tot partes, quot opera  
sunt in quæ fiditur. Opera enim distrahunt, fides  
autem unit.

### Redempti à Domino & liberati am- bulabunt.

## IN E S A I A M

Id est, Vident in summa libertate & securitate. Qui enim recte Christum intelligunt, illos nulla traditio humana poterit capere. Sunt liberi, non secundum carnem, sed secundum conscientiam. Quare nulla lex, & ne quidem diuina, ullum opus potest exigere a credentibus, tanquam necessarium ad salutem. Si enim fides in Christum iustificat, ergo nulla legis opera iustificant, ergo nec accusabit nos lex, si quid a nobis est prætermisum, aut commissum. Hæc libertas in conscientia est. Corpus autem & uetus noster homo omnibus legibus est subiectus. Sunt igitur diligenter distinguenda iusticia fidei, quæ libera est, & nulli apici legis seruit, Et iusticia operum, quæ omnibus seruit. Nec habent libertatem hanc, nisi redempti a Domino, qui non ipsi se redemerunt, sed Domini precio redempti sunt, cum essent uenudati & traditi sub peccatum & mortem. Sicut Petrus quoq; dicit, redempti precioso sanguine &c. non nostra iusticia, aut nostris meritis. Libertati sic & redempti reuertentur a peccato, lege & morte in Zion, cum laude & læticia sempiterna, super caput eorum. Hinc natæ sunt uoces illæ Pauli, Gaudete, iterum dico Gaudete. Item fructus spiritus, gaudium, pax &c. Qui igitur tristantur, aut fide carent, aut sunt infirmi in fide. Incipit enim hic in fide eterna uita, quam post hanc naturam

naturam abolitam perfecte sentiemus, AMEN.

## IN CAPVT. XXXVI.

**H**oc caput planum & apertum est. Continet enim simplicem narrationem historiæ, quomodo Sennacherib obsidione cinxerit Hierusalem. Verum hic admonendus est lector, ne exemplo Origenis, Hieronymi, & aliorum, negligentius historiam curet. Et quoniam res iam olim gestæ recitantur, nihil in eis esse putet præter allegoriam, quod ad nostrum usum conuertere possimus. At alium historiarum usum autor Epistolæ ad Hebreos ostendit, ubi omnes huius populi historias ad fidem accommodat. Fide, inquit, uicerunt regna &c. eam regulam nos hie quoque sequemur. Qui autem allegorijs, neglecta historia, delectantur, iij paleas tantum & aceres uenantur. Neq; enim allegoriarum usus aliis est, quam ut tanquam ornamenta & amplificationes adhibeantur, in pugna enim nihil prorsus ualent. Historiæ autem ad fidem augendam & confirmandam ingens momentum afferunt.

In hac præsenti historia igitur fides spectanda potissimum est, que uehementer luctatur, & proptermodum succumbit. Cum autem proxima est

## IN E S A I A M

ruine , uenit auxilium Dei , & eripit periclitantes . Hoc exemplo nos quoq; monemur , ut quanto minus in periculo spei est , tanto pertinacius sperare discamus . Hoc enim est contra spem in spem credere . Deus enim adiutor est in opportunitatibus , & in infirmitate uirtutem suam perficit . Sic Christianorum quoq; infirmitas , summa est fortitudo . Rursus infideles qui oppugnant pios , tum deum cadunt , cum uictoriam in manibus habent , sicut uidemus in Sennacherib . Quare in periculo neq; nostra infirmitas , nec aduersariorum potentia mouere nos ad desperandum debet , quin extorta fides est , & quia nos exitio , & hostes uitiorum proximi sunt , sentiendum est , fore ut Deus nos eripiatur , qui promisit se talem Deum esse , qui exaltet humiles , & exaltatos humiliet .

Sed haec facilius dicuntur , quam fiunt , ita pertinaciter caro & iudicium rationis obnuntuntur . Neq; enim caro potest auertere oculos a presenti periculo , & conceipere liberationem , que nusquam apparet , nisi in nudo uerbo Dei , promittentis se liberatorem esse in opportunitatibus . Hoc est , quod caro & sanguis non possunt sibi creare fidem , que est rerum non apparentium , sed praesentibus tantum innituntur & afficiuntur .

Porro Circumstantiae diligenter consideratae commendabunt nobis fidem Ezechiae & aliorum credentium .

credentium. Primo accipe personam impugnans tem. Monarcha totius mundi, Assyriorum rex, oppugnat unicam ciuitatem. Erat autem inflatus incredibili multiplicium uictiarum successu, quæ res mirabiliter frangebat obfessorum animos. Ceperat decem tribus Israel, easq; abduxerat in Medos. Ante oculos præterea erant ciuitates Iudæ miserabiliter direptæ, quid multa? Ezechias collatus ad Assyrium erat uelut quidam rex luteus.

Ad has cogitationes accessit Sathan, quid tu unus facies? putas ne, quod nulli in decem tribus Israel sancti homines fuerint? tu ne solus sanctus es? at etiam in tuo regno, qui sancti fuerunt, & non polluti idolorum cultu, multi sunt capti & uastati. Deseruit eos Deus, nihil profuit eis fides & sanctitas, nihil uerus cultus Dei, nihil quod essent semen Abrahæ. Sic promissiones omnes, & fiduciam promissionum uno telo, quod in cor Ezechiae immisit, sustulit Sathan, si esset Deus respiciens semen Abrahæ, respexisset quoq; regnum Israel ex ciuitates Iuda. Quemadmodum autem illi à Deo deserti sunt, ita te quoq; deseret, frustra est quod tibi promittis auxilium &c. Huc enim Sathan it, ut uerbum, fidem, & orationem nobis eripiat, ut sublatis his armis nostris pateamus ciuii iniuriæ & tyrannidi. Ad hunc modum in historijs primo

## IN ESAIAM

primo spectanda fides est cum omnibus circumstantijs, quas si quis diligenter consideret, uidebit hanc historiam non inferiorem esse illa ad mare rubrum. Sola enim Ezechiæ & Esaiæ fides hunc potentissimum hostem fudit.

Ascendit Sennacherib Assyriorum.

Hic singula fulmina sunt obseruanda, que contra fidem pugnant: Primum est quod dicit hunc regem ascendere contra Iudam. Hic uenit in mentem pijs. Ascendit contra nos? quare non arcet eum Dominus? Quod enim permittit cum ascendere signum est, quod non aderit nobis, sed nos deseret. Nomen quoq; ferale est. Sanherib enim significat vastatorem rubi, ein strauch dieb. Vastatorem qui procedit è dumetis.

Et dixit ad eos Rabsake.

Sequuntur iam blasphemiae, quas illi bene intelligunt, qui aliquandiu fuerunt in iuinculis, & quos spiritus blasphemiae tentauit. Exaggerat omnes difficultates magnificis uerbis, ut fidem subuertat. Neq; enī contentus est Sathan eripuisse uitam corpori, nisi etiam fidem, & uerbum uite ac promissionum eripiat. Prodest autem ualde hæc nosse in temptatione, ut sciamus, quæ sit Sathanæ lingua, qua loquitur in cor piorum, ad eos subuertendos.

Hæc dicit rex magnus rex Assyriorū:

Cum

Cum mandato incipit. Hæc dicit. Perinde ac si esset Deus. Instituit autem in principio gra- uissimam & molestissimam collationem magni & parui regis, et quasi ob oculos & in conspectus omnem hostium exercitum ponit. Magnus rex, im- quid. Quasi dicat. Ad quem si tuum regulum con- feras, uix Satrapa erit. Item rex Assyriorum, cuius uiribus ante Israel uastatus & translatus est. Hic ratio concludit statim. Parui & magna nulla est comparatio, quare actum de nobis est.

Quæ est ista fiducia.

Firmum argumentum à sufficienti enumera- ratione, quo omnem fiduciam Ezechiae tollit. Au- dis & es expertus potentiam nostri regis, qua iugi- tur re confidis, quod te illi opponere audes? Num tuis uiribus? at ea nullæ sunt collatae ad nostras. Num auxilijs Aegyptij fidis? at ne illa quidem te subleuare poterunt. Num confidis in Deum? at il- le te odit. Sic nullum usquam auxilium est posi- tum. Hæc proprie est Sathanæ lingua, & sunt non Rabsacis, sed ipfissimi Diaboli uerba, quibus non muros urbis, sed medullam Ezechiae, hoc est, te- nerrimam eius fidem oppugnat, ea parte qua est infirmissima. Sic enim Sathan solet, positum in of- ficio uerbi non tentat de uocatione, sed circum- spicit, si quod uicum leuiuscum offendat, illud sic urget & exaggerat, ut etiam omnia bona opera

## IN ESAIAM

opera premat & obscuret. Sicut hic dicit, Ezechiae iratum Deum ob destructa altaria Idolorum.

Ecce confidis super baculum arundi.

Sicut dixi, adimit auxilium carnis, quod ratio libenter admitteret. Excidit autem hic Sathanæ insignis descriptio humanorum auxiliorum & præsidij carnalis. Comparat enim arundini, qua speciosa est, sed infirma. Ita brachium carnis magnam spem facit specie, sed fallax est, & finis eius est perditio & confusio. Quare in solo uerbo debemus niti, alias fiet ut corruamus, tanquam intitentes arundini.

Quod si responderis mihi in domi.

Videmus Prophetam multis concionibus hoc serio egisse, ut animum Ezechiae confirmaret uerbo, ad credendum & fidendum Deo. Hanc fidem ceu æneum murum gr. ui ariete Sathan hic pulsat. Minus, inquit, præsidij in Deo positum habes, quam uel in te, uel in Pharaone. Hoc sic probabo, quia.

Nonne ipse est, cuius abstulit Ezechias.

Quasi dicat. Ezechias habet iratum Deum, qui non uult, nec potest cum iuuare, & si posset, non tamen uellet cum iuuare. Ezechias enim est pestis innocentis huius populi, et pugnat contra suum Deum, ac prouocat in se maiestatem. Hæc est extrema & summa fidei conflictatio. Observabis autem

## SCHOLIA.

25.

bis autem hic calumniandi artes, quod optimum  
Ezechiae opus detorquet ad summam impietatem.  
Quasi dicat. Grauiter à te peccatum est, quod de-  
molitus es excelsa, & subuertisti altaria. Num  
enim ita stolidos homines esse existimas, ut ado-  
rent lapides aut ligna, Deum uerum istic colue-  
runt omnes. Eius cultum igitur sustulisti. Est ad-  
modum grauis tentatio, qua Sathan fidem oppu-  
gnat, ut dubitare de suo facto incipiat. Id cum fit,  
actum est. Neq; autem est, ut putemus his Sathanis-  
eis calumnijs unum Ezechiam petitum esse. Quot  
enim existimas hodie, cum sine uerbo sunt, tentari  
nonnunquam de desertis monasterijs, abiectis Mis-  
sis & alijs Papatus abominationibus intermis-  
sis? Quare necesse est corda uerbo Dei bene mu-  
nita esse, ut uiciissim Sathanæ obijciant summam  
blasphemiam & impietatem, quam Papatus sta-  
tuit, quod mors Christi, & meritum Christi pror-  
sus tollitur & tribuitur sordido cucullo, alijsq;  
operibus, que sine mandato Dei suscepta sunt.

Et nunc trade te Domino meo.

Redit ad primum membrum de fiducia pro-  
prietarum uirium. Age experiamur rem, dabo tibi  
bis mille equos, & uidebis deesse tibi seffores,  
quid ergo te regi nostro opponis, cum ne uni eius  
Præfecto par esse possis?

Quod si confidis in Aegyptum.

## IN ESAIAM

Est amarulenta irrisio. Finge potentiores nobis Aegyptium esse, nos tamen habemus proprium Ceum. Sic maxime urget hunc locum, Deus non uult te iuuare, Deus irascitur tibi. Eandem quoq; uocem Christo in cruce obiecit Sathan. Liberet eum Deus si uult eum. Verum hic confirmans animus est fide in Christum, ut cogitemus, etiamsi peccavi, tamen non odit, non irascitur mihi Deus, cui me reconciliauit Christus sua morte, remisit peccata, merita & iusticiam suam mihi donauit &c. Hæc fides in tentatione uincit, & triumphat, Id quoniam nouit Sathan, ideo sic grauiter oppugnat eam.

Quare huiusmodi loci nobis meditati esse debent, ut uideamus, quam uarie conscientiam Sathan petat, ut nos cum priuatim tentamur, his exemplis & moniti & muniti Sathanæ tela agnoscamus, Victoria enim pars est nouisse hostem, & eo nomine maxime nocet Sathan, quod infirma conscientia metu poenæ & peccatorum multitudine uexata & territa, non potest statuere Sathanam esse, qui cogitationes desperationis immittit, Sed iratum Deum esse credit, nec potest facile ab hac cogitatione abduci.

Ita hic non uocat Ezechiam simplicem peccatorem, furem aut adulterum, sed hostem Dei & reum in summo gradu, blasphemum & contempnorem Dei.

ptorem Dei. Sic efficit ut homo nihil in se inueniat nisi pessima, & ea summa peccata in pri-  
mum & secundum præceptum. Secundo attribuit  
sibi sanctitatem, & diuinitus uocatum se dicit,  
tanquam flagellum. Ex his intelligitur, quid nam  
Paulus sibi uelit, cum dicit. Ignita tela maligni.

Hic magnum conscientiæ periculum est, quæ  
quid queso faciat, cum sic impugnatur fides, qnæ  
superare tentationem & peccata debebat? Pri-  
mo igitur hoc faciendum est, ne Sathanæ inspi-  
ranti biusmodi blasphemas cogitationes consen-  
tiamus. Sed quamvis nos peccatores accusat, tamen  
resistamus plerophoria eius calumnijs, quibus fi-  
dem & uocationem & bona nostra opera suggil-  
lat. Ut si nos de doctrina tentet, Malam esse do-  
ctrinam, quod tot inde sint nata scandala. Hic  
animus resistat, & quanquam scandala multa in-  
de nata sunt, tamen id non doctrinæ ( qnæ sancta  
est, & Dei, non nostrum uerbum, est ) sed homi-  
num uicio accidisse statuat. Reclite igitur de Euan-  
glio docuimus, quanquam multi eo sint abusi.

Secundo sic confirmandus animus est, ut quan-  
quam peccaueris, sicut te accusat conscientia, ta-  
men non ideo desperes. Verum cum eo usq; uentum  
est, ut accusanti conscientiæ consentiamus, tum fe-  
re actum est. Sicut Eva in paradiſo, tum uicta est,  
cum dicaret, Ne forte moriamur. Magna enim res

m      est,

## IN ESAIAM

est, consistere in hac lucta, quam ratio & caro non possunt sustinere. Sed spiritus sancti donum est, qui nostra corda confirmat & excitat, sua inspiratione, ne accusanti Sathanæ seu conscientie consentiamus. Cum igitur tentamur de doctrina, confirmat nos, ut statuamus doctrinam nostram ueram esse, quod si quedam priuata peccata in nobis haerent, ea concludimus in orationem dominicam, & oramus. Dimitte nobis debita nostra. Sic uictus Sathan abit. Ad hunc modum egregie describitur hic Sathan, qui tum uincitur, cum sepositis omnibus uerbis istis & rebus, quibus nos oppugnat, consistimus & dicimus. Dominus habitat in Zion.

## Loquere ad seruos tuos lingua Syra-

Insignis hic est locus, qui maximam doctrinam continet, quomodo in temptationibus nos debemus gerere. Nam quod Eliachim & Sobna consilium de mitigando Rabsace capiunt, & putant eum fore mitiorem, si se humilient, & demittant coram eo, pulchre falluntur. Sic enim magis accidunt eum, & quasi frigidam suffundunt & acciunt linguam Sathanæ. Quare etiam Ezechias monebit, ut nihil blasphemio hosti respondeant.

Idem nobis in nostris temptationibus est faciendum, siue corpore siue spiritu tentemur. Quam enim ratio non posset non circumspicere auxilia corporalia. Sicut hic regij ministri faciunt, tamen

tamen assuefacere nos debemus, & summo studio  
cavere, ne Sathanæ respondemus, aut cum eo di-  
sputemus. Expertus enim loquor, quod quanto ma-  
gis cogitationibus, quibus te fatigat, indulseris, cò  
grauior in te insurget, donec ad desperationem  
adigat. Vide leuiores illas tentationes libidinis,  
quibus iuuenilis etas maxime occupatur. Quanto  
enim plus de amore impurus animus cogitat, cò  
vehementius accenditur & ardet, & sicut parua  
scintilla uentorum ui in maximum incendium se-  
pe excrescit. Ita languidus amor, si agitetur, ui-  
res cogitationibus accipit. Sic odium, sic inuidia,  
si diligentius de uindicta cogites, in furiam quo-  
dammodo humanum animum agunt.

Sicut igitur in his carnalibus temptationibus  
una uincendi ratio est, auocare animum à cogita-  
tionibus quibus exercetur. Ita in spirituali lucta  
nullum aliud consilium, nullum auxilium præsen-  
tius est, quam ut quacunq; tandem ratione possis,  
cogitationes animo ejicias, & diuersum potius  
cogites. Quanquam autem hoc longe sit supra ho-  
minis uires, tamen possunt quædam uiae præscribi,  
quibus si non omnino uincuntur cogitationes, ta-  
men mitigantur.

Optimum igitur est, qualiscunq; tandem ten-  
tatio animum turbet recurrere ad lectionem sa-  
clarum literarum, & quantumuis inuitus id facias

m = Sathan

## IN ESAIAM

(Sathan enim impedire conatur, & nauseam legendi obicit) aliquid legere, ut si non animus, tamen lingua, aures & oculi occupati, aliud uident, audiant & agant, quam animus cogitat. Certo autem senties animum occupatis sensibus exterioris uerbo Dei, facile postea acquieturum. Aq; hic imprimis cernitur uis & potentia uerbi, quod animum, Sathanæ telis saucium, restituit & pulchre sanat. Ideo Esaiæ. 9. inter nomina Christi, etiam hoc ponitur, quod sit consiliarius afflictorum. Consolatur enim per uerbum, sicut dicit Esaiæ. 59. Dominus dedit mihi linguam crudtam, ut sciam uerbo eum sustentare, qui est Iesus. Et Paulus ad Romanos. 15. docet, consolatione scripturarum spem concipi & augeri, quam Sathan in temptatione unice cupit erexit piorum animis: Quare cum in temptationibus nullum sit praesentius remedium, quam quoquo modo molestas cogitationes animo ejercere, una ad eam rem uia est, si diligenter uerbum dei legamus, Ita enim commodissime Sathanæ ignita tela restinguuntur. Hoc consilium qui sequi nolunt, & indulgent cogitationibus ægri animi, illi nihil aliud faciunt, quam ut materiam incendio suggerant, donec fessi & uicti à Sathan, qui mille artifex est, succumbant. Hoc enim unum pugnae genus in nos intendit, quod cogitationibus iræ diuina fidem nostram conatur

conatur labefactare . Ad hanc spiritualem luctam  
si tu carnalia auxilia afferas, præter uerbum Dei,  
nihil aliud facis, nisi quod nudum te potenti spiri-  
tui obiçis . Hic igitur, si libet, institue collationem  
tuarum uirium cum Sathanæ potentia, & facile  
apparebit, quam impar hic congressus sit, negle-  
cto uerbo (in quo solo diuina potentia est Rom. 1.)  
humanis uiribus & consilijs cum diabolo, tot, ab  
initio mundi, uictorijs claro, tanto belli usu docto,  
contendere . Obmitte igitur cogitationes, quibus  
tuum cor occupat, & cause cum eo disputes, Po-  
test enim se in angelum lucis transformare, &  
Christi gloriosam personam induere, & quia ma-  
gnam sacrarum literarum cognitionem habet,  
nonnunquam ipsis Christi uerbis, quibus nihil sua-  
ius est, contra Christum & fidem tuam utitur.  
Hic nisi simpliciter animum reuoces, & dicas,  
nescio alium Christum, quam cum qui à patre da-  
tus, pro me & pro meis peccatis est mortuus,  
Hunc scio non irasci mihi, sed amare me, alioqui  
non sustinuissest pro me mori &c. Hæc, inquam,  
nisi obiçias, & simul ad diligentem lectionem  
scripturæ te conservas, certe succumbes . Facile  
enim ei est, infirmam fidei nostræ scintillam obrue-  
re, nisi eam uerbo Dei alamus.

Leue preceptū hoc quoq; est, sed tamen neces-  
sarium & utile, ut afflitti animi, fugiant solitudi-

## IN ESAIAM.

nem, & captent colloquia amicorum qualiacunq;. Afferunt enim & colloquia aliquid ad auertendum animum à grauioribus cogitationibus. Ideo solitudo imprimis pestilens est, & recte dixit ille, Væ homini soli, si ceciderit, non erit qui erigat eum. Verbum enim fratrum magnam uim habet, & debent tentati meminisse, ut fratrum uoces tanquam Dei uoces audiant, eisq; credant. Quod si nemo sit, qui nos de uerbo Dei doceat, tamen satius est qualescunq; aliorum sermones audire, quam audire Sathanam, blasphemias & ignita sua tela in cor nostrum loquentem.

Hæc tanquam generalia præcepta spiritualium temptationum proposui, reliquum est, ut unusquisq; ita instituat animum suum contra Sathanam, ut sentiat se aliquid hoc nostro consilio adiutum esse. Neq; enim est quod quisquam putet, qui Christi fidem sequitur, se sine temptationibus victurum esse. Verum enim est illud Pauli, Omnes qui pie uoluunt uiuere in Christo Iesu, persecutionē patientur. Ac corporales temptationes quidem, ut sunt, inopia, cupiditas glorie, opum, ignominia, & similes, facilius superantur. Hic autem labor, hoc opus est, cum diuinam iram nobis spectandam Sathan exhibet. Ad quam accedit etiam nostræ conscientie testimoniū, quod Sathan deinde auget uarijs diuinæ iræ exemplis, que hinc inde in diuinis literis habentur.

habentur, & que quotidie usus huius uitæ offert. Hæc longe grauissima pugna est, in qua Sathan omnes suas uires & artes omnes effundit, seq; in imaginem irati Dei transformat. Hic si incipias sequi cogitationes tuas, quas ipse sugerit, perire sti. Et quia multi hoc faciunt uidemus, quo prolabantur, cupiūt enim quoquo modo grauissimo onere harū cogitationum de ira Dei leuari, quare uel laqueo uel ferro uel alia ratione uitam sibi eripiunt. Is finis est consiliorum Sathanæ, & hoc spestat, ut cum Christum oculis eripuerit, in desperationem nos adducat. Quare ejicienda animo cogitatio illa de peccato, & ira Dei est, & diuersum potius cogitandum est. Quemadmodum legitur in uitis patrum de quodam. Is cum hac tentatione desperationis ob admissum peccatum grauerter uexaretur, Obsfirmato tandem animo dixit. Non peccavi. Non quod negaret peccatum, sed quod uidcret se alia ratione à tristibus illis cogitationibus liberari non posse, quam si eas abiijceret & diuersum cogitaret. Et sane si fiducia mortis & meriti Christi hanc uocem ædedit, Insigne exemplum fidei est, quod nos in huiusmodi periculis imitari oportet, ut nos quoq; discamus, non esse cum Sathana disputandum, alioqui ita obrutentur infirmæ mentes cogitationibus, ut sibi mortem conscient. Neq; enim animus humanus iram

## IN E S A I A M

Dei, quam Sathan nobis obijcit, & urget, sustinere potest. Quicquid igitur suggesterit, simpliciter auertendus est animus, claudendi oculi & aures, ne quicquam uel uideamus uel audiamus, praeter uerbum promissionis de Christo, & de bona uoluntate patris, qui filium suum pro nobis tradidit. Sicut dicit Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum filium daret &c. Quicquid praeter hanc uoluntatam placati & fauentis Dei Sathan suggesterit, hoc tanquam uolatiles & inanes cogitationes animo ejice.

Idem ferè Gerson quoq; monet, qui solus ex recentioribus de consolandis & gris animis, & infirmis conscientijs cogitauit. Reliqui ferè omnes in alto ocio & pace uersati, nunquam huius rei minerunt. Proponit autem illustrem similitudinem, & comparat has Sathanæ cogitationes, quibus tanquam ignitis telis pia corda sollicitat, cani latranti, quem si lapide uel ferro petas, magis irrites, Idem, inquit, sit in cogitationibus, si eis indulgeas. Sicut autem tutissimum est canem latrantem contemnere & præterire. Ita una iuincendi ratio est, contemnere cogitationes Sathanæ, neq; cum eis disputare diutius, ita fieri, ut sua sponte excidant, quanto enim magis eas animo agitas, tanto uchementius urgent, neq; ulla ratione possunt superari, & Sathan nihil minus ferre potest,

quādā

quam sui contemptum. Quare rectissime faciunt,  
qui hic fortis esse, & contemnere malignum spi-  
ritum possunt.

Nec dissimile est, quod in uitis Patrum legi-  
mus, ibi cum quidam se grauibus cogitationibus  
uexari quereretur, consulit fratrem. Is in hunc  
madum monet. Ut quemadmodum cogitationes  
sponte, non accersitae, incidunt, Ita rursus excidea-  
re eas finat, neq; eis indulgeat. Quemadmodum  
enim, inquit, in tua manu non est, prohibere aues  
ne supra caput in aere uolent. Hoc autem in tua  
manu est, prohibere ne in capite nidificant, ita  
etiam cogitationes Sathanicas cauere non potes.  
In hoc intende, ne illæ altius animo infigantur, &  
occupent prorsus animum. Hoc enim si fit, peris-  
sti. Recte hic monuit, & omnino nisi periculum  
certum adire uelimus, idem nobis prestandum  
est, quanto enim plus cogitationibus indulgebis,  
eo minus patebit exitus, sed ceu in Labyrinthum  
conclusus, nunquam te expedies.

Idem hoc loco uidemus. Volunt Rabiacem  
optima ratione, & consilio compescere. Sed fru-  
stra. Redditur enim furiosior. Commendo igitur  
nobis hunc locum, ut sciatis quomodo uexasit con-  
scientijs sit consulendum. Vidi multos qui cum  
grauiſſime tentarentur, hanc artem non norant,  
quod contemnenda hæ cogitationes essent. Hinc

m s factum

## IN E S A I A M

factum est, ut inciperent furere. Cum scilicet organa sensuum uchementibus cogitationibus essent lesa, quidam etiam mortem sibi constituerunt. Sunt autem huiusmodi cogitationes mera ludibria Sathanæ, quæ nos non facimus, sed patimur, nec sunt actiones humanæ, sed passiones. Quod qui discere nolunt, de ijs actum est, coguntur enim succumbere. Diabolus enim talis calumniator est, qui non fatigatur, donec uicerit. Qui igitur eum non contemnunt, sed sunt eius spectatores, ijs unum spectaculum post alterum exhibet, unam cogitationem post aliam obtrudit, donec obruantur. Qui autem effugere eius insidias uolunt, dicant, Nec spectator, neq; actor tuus ero. Sic enim monuit Christus Matth. 18. Nisi fueritis sicut parvuli &c. Sic Rabsaces, quia habet hos spectatores & disputationes, confidentior redditur & furiosior. Ezechias autem infra obiurgat eos, Quare respondetis ei &c.

Vides autem hic, quid historiæ doceant, & quam nihil sapiant, qui eas obiter percurrunt, tanquam res nihil ad nos pertinentes. Continent enim exempla grauissimarum rerum.

Nunquid ad dominum tuum & ad te.

Pulchre uero consuluerunt sibi Ioiachim & alij. Pauor enim ea ratione in populo maior fit. Observa autem quomodo paulatim in Rabsace presumptio

præsumptio crescat, certus est de uictoria, commu-  
natur igitur extremam necessitatem, quæ impen-  
dere uidebatur. Sicut autem ante monui, quoties  
Sathan comminationes suggesterit, memento ut eas  
securus contemnas. Iræ enim exempla superbis &  
duris scripta sunt, Tu qui es infirmus & iam antea  
conterritus, scito ea nihil ad te pertinere, & sci-  
to quod Diabolus, non Spiritus sanctus ea tibi  
proponat, quia proponuntur non in loco. Nam  
Spiritus sanctus tristes & abiectos animos conso-  
lationibus & promissionibus erigit. Diabolus  
igitur imitatur Spiritum sanctum, sed peruerse,  
& duros ac insensatos promissionibus confortat.  
Humiles autem urget ira Dei & comminationi-  
bus. Hic necesse est, ut spiritum discernamus à spi-  
ritu, & sentiamus non Spiritus sancti sed Diaboli  
suggestiones esse, qui ex clemente & misericorde  
Deo, iudicem & iratum carnificem facere cupit.  
Scriptura enim dicit de Deo, quod humilia respi-  
cit in cœlo, & exaltat. Sathan autem dicit, quod  
altos respicit & magis exaltat. Humiles autem  
magis deprimit & perdit. Siue igitur nos in sum-  
mis fidei articulis impugnet, siue in paruis pecca-  
tis, meminerimus, ut aut cogitationes omnes ejici-  
amus animo, aut si omnino cogitare aliquid uolu-  
mus, contrarium cogitemus de Christo, scilicet de  
gracia, de misericordia Dei, de uita æterna &c.

& putemus

## IN ESAIAM

**E**t putemus cas promissiones ad nos pertinere: Adeo magnum et utile praeceptum est, quod Paulus monet, uerbum Dei operatoe p. id est, recte secare, ut affliti et pusillanimes promissionibus erigantur, Contra duri et securi tercentur nimis.

**N**on uos seducat Ezechias.

Sunt uchementes impugnationes fidei, et semper urget tertiam partem. Ezechias est impius, habet Deum iratum &c. Sic prouocauerunt Diabolum, ut iam centies plus furiat, quam antea.

**F**acite mecum benedictionem.

Vltimo etiam promissis sollicitat, adeo nihil obmissum est, quod ad perfectissimum rhetorem pertinet. Moratur in optima parte causæ sue, ut cetera mala omnia uilescant bonitate huius. Econtra in altera parte accipit scintillam, et ex ea ingentem ignem excitat. Nam et hoc soletathan, unum leue peccatum arripit, quo omnia bona opera, que unquam fecisti, obscurat, ut nihil in te, quam illud unum peccatum uideas. Hoc autem inde fit, si cum eo disputes. Christianus igitur illas cogitationes superabit contemendo, Superbus enim spiritus non potest ferre contemptum. Sed requiritur ad hanc rem Spiritus sanctus et exercitium orandi, et legendi sacras literas, sicut supra diximus. Neque enim nostri operis est, uincere cogitationes aut cas abijcere.

**N**ee

Nec conturbet uos Ezechias dicens.

Non potest huius loci obliuisci, contra hunc  
luctatur, insultat, fremit. Quomodo potest uos Do-  
minus liberare? pœna est ante fores. Sed finge Do-  
minus esse propitium, etiam si uellet, tamen non  
potest uos liberare. Probo sic.

Nunquid liberauerunt dij gentium.

Argumentum à maiori. Multi dij gentium  
non potuerunt nobis resistere, sed unà cum culto-  
ribus suis sunt uicti, Quomodo ergo resistet no-  
bis unicus ille uester tenebricosus Deus. Sic infâ-  
tuatur Sathan præ nimia superbia & securitate,  
ut neget potentiam Dei. Est perfecta rhetorica  
hic, & omnes colores Sathanæ, quibus utitur in  
summo suo gradu. Omnium minime fidem potest  
ferre. Ideo grauiissime eam impugnat, & multo  
grauius Ezechiae cor oppugnatur, quam murus  
ciuitatis. Sic foris pugnæ, intus pauores fuerunt.  
Habere autem sic iratum Deum, & esse solitari-  
um, & quasi perire in ira, est infirmus Christus  
in cruce, qui tertia die resurgit, & de hostibus  
suis triumphat.

Et filuerunt & non responderunt ei  
uerbum.

Est aureus textus, qui docet nos, ne cum Sa-  
thanæ disputemus. Quando enim uidet, quod sumus  
eius spectatores uel auditores, tum captat occa-  
sionem

## IN ESAIAM

sionem maioris fortitudinis, & grauius premit. Petrus dicit eum circumire, & querere quem deuoret. Nullum facit insidiarum finem. Tuttissimum autem est non respondere, sed contemnere eum, Sicut Psalmus quoq; monet. Irascimini, & nolite peccare. Loquimini cum corde uestro, & non cum Diabolo. Hæc de historia sufficient. Quia enim Paulus dicit, omnia esse scripta propter nos. Transferamus igitur eam ad usum, & imitemur fidem quam nobis tales historia ostendunt.

## IN CAPVT. XXXVII.

T factum est, cum audisset.

 Superiore capite audiuiimus, quod contra blasphemum spiritum non est disputandum, magis enim magisq; irritatur. Quare consilium Ezechiae sequendum est. Nobis idem cum Hereticis accedit, pugnamus cum eis, sed nihil promouemus. Impossibile enim est, compescere Sathanam. Quare Paulus monet, post unam & alteram correptionem, uitandos esse. Iam pergit Propheta, & describit paroxysmum Ezechiae. Fides enim in illa cibratione Sathanæ luctatur, & penè desperat. Confitetur esse blasphemie diem, tribulationis & correptionis. Quasi dicat. Nos succumbimus, dominatur

minatur hodie angustia & tribulatio & blasphemia, fidei uis succumbit, dominatur Sathan, uenimus ad partum, & destituunt nos uires &c. Non est dies patientiae, consilij, salutis, sed extremae angustiae. His adeo frangitur Ezechias, ut non ausit leuare cor suum ad Orationem. Hic est ultimus & summus temptationis gradus, quare necesse est accedere consolationem & uictoriam, alicui succubueret fides. Hic est articulus, de quo psalmus dicit. Adiutor in opportunitatibus.

### Ne timeas à facie uerborum.

Cum iam nusquam, neq; consilium, nec auxiliu sit, Verbum consilij, salutis, spei, & fidei ei mittitur, quo confortatur.

### Ecce ego dabo ei spiritum.

Sunt ironicae. Quasi dicat. Sennacherib adeo superbo spiritu nunc est, ut nec coelum neq; terra superbiam eius capiat. At ego ei, contra spiritum paucoris iniiciam, ut etiam sine persecutore fugiat, & tamen non effugiat. Est insignis Esiae fides, qui tam certo promittit liberationem, in tantis difficultatibus. Obsesus rex est, nusquam patet exitus, sicut ad mare rubrum. Deus autem infinitas rationes liberandi habet. Potuisset Assyrium aeneo muro cingere, aut transferre Ezechiam. Horum autem nihil facit, sola uoce liberat. Hæc ad confirmationem nostri scripta sunt, ut discamus in summam

## IN E S A I A M

in summam desperationem nos prius adducendos  
esse, quam sentiamus auxilium Dei: Hæc est uera  
mortificatio, in qua occumbunt omnia humana  
consilia & præsidia. Sola fides, quamvis ægre, non  
succumbit, et quanto magis desperata sunt omnia,  
tanto pertinacius sperat, donec uincat.

Et orauit ad Dominum, dicens.

Fides Ezechiae uerbo confirmata magis ac  
magis crescit. Ante non ausus est orare, iam orat  
& confutat blasphemias omnes Assyrij. Adeo ma-  
gna uis uerbi est, ut longe alius per uerbum, quod  
Esaias ei nunciari iussit, factus est.

Qui sedes super Cherubim.

Hunc locum diligenter nota, in quo Deum  
sic apprehendit Ezechias, sicut se apprehendi  
Deus uoluit & reuelauit. Deum Cherubim ap-  
pellat, propterea quod Deus se istic habitaturum  
promiserat. Magna autem fidei Ezechiae laus est,  
quod manet simpliciter in loco, religione, cultio  
diuinitus instituto, & currit ad propitiatorium,  
non considerans magnitudinem aliorum deorum,  
aut infirmitatem sui Dei. Idem nobis faciendum  
est, ut includamus totam diuinitatem in Christum.  
In eo enim se nobis Deus reuelauit. Non uoluit nos  
maiestatem scrutari, quare nec creatorem cœli,  
nec alia diuinæ maiestatis nomina, sed stultum Ihe-  
sum Christum, amplectamur. Non diuagemur inter  
angelos,

## SCHOLIA.

97.

angelos, sed ad Christum recurramus & dicamus.  
 Hic solus est Deus. Hoc si fecerimus, non terribit  
 nec offendet nos maiestas, sed humanitas Christi,  
 allicet. Abstineamus igitur a maiestate, & quem-  
 admodum illos in lege fecisse uidemus, Ita nos post  
 Christum reuelatum faciamus. Daniel in media  
 Babylone conuertebat faciem suam oratus ad  
 Cherubim. Sic nos in Christum respiciamus, & di-  
 mittamus maiestatem, quæ non est nobis proposita.  
 Infirmitor enim captus noster est, quam ut eam ap-  
 prehendamus, & Deus proposituit tibi humanam  
 formam, tibi similem, ibi fige pedem & cor tuum,  
 & non errabis.

Tu es Deus solus omnium.

Hæc via tuta est, qua ad maiestatem ascen-  
 damus, si prius infirmitatem & stultitiam nobis  
 propositam amplexi fuerimus. Sic qui Christum  
 hominem bene didicerit, is paulatim ascendet, ut  
 patrem etiam uideat. Sicut dicit Philippo in  
 Euangelio.

Inclina Domine aurem tuam &c.

Bene exprimit affectum suspirantis fidei. In  
 cruce enim sic accidit, ut afflictis animis dormire  
 Deus uideatur, qui nec uideat nec audiat. In hac  
 autem mora & dilatione auxiliij, apprehendenda  
 promissiones sunt, quibus fides erigatur, qualis il-  
 la est Sap. 10. Dedit ei certamen forte ut imceret

ib

&amp; sciret,

## IN ESAIAM

et sciret, quod omnium fortior est sapientia: Per experientiam discere debemus, quam magna et potens res sit fides, quae triumphat contra omnia mala.

Non enim erant dij, sed opera.

Insignis antithesis est. Qui enim hoc predicatum potest tribuere hostibus suis, quod sint falsi dij, et colant falsos deos, ille uicit. Sed dicat aliquis Arcam et Cherubim etiam fuisse opera hominum. Diligenter igitur tenendum discrimen est, quid inter haec et illorum idola intersit. Arcam enim et Cherubim etiam gentes potuerunt facere, sed quia nullum mandatum Dei peculiare ea de re habent, impius fuisse cultus. Verum Deus per uerbum huic arce et Cherubim se alligauit, et in Exodo dicit. Vbi cung; E GO memoriam nominis mei fecero. Non dicit in quo loco tu feceris, sed ego, huc uenias, ibi me certo inuenies et c. Hac promissio, hoc uerbum, discernit inter opus et opus.

Et nunc domine Deus noster

Hac est finalis petitio, breuis, sed pregnans et grauis, que penetrat celum et terram. Sic enim proponit necessitatem, ut querat solum gloriam Dei, non suam salutem aut commodum.

Et misit Esaias filius Amos.

Hic locus obseruandus est ad persuadendum cor

cor nostrum in tentatione, quod oratio sit exaudita. Paratior enim est Deus ad exaudiendum, quam nos ad orandum. Sicut ex hoc exemplo patet.

Despexit te & subsannauit te filia.

Loquitur de futuro tanquam de praesenti & de uicto Sennacherib, qui tamen adhuc est uictor. Utitur autem uerbis insultatorijs, quibus solent uictores uti contra uictos. Corde contemnit, uerbis subsannat, gestibus ludit. Hec immensa sunt, si reuecte consideres circumstantias, facilia nobis uidentur, sed tunc erant difficillima & plane incredibilis, cum essent in angustia, & singulis momentis expectarent mortem. Hec autem fidei natura est, ut simpliciter omnes sensus exuat, & in nudum uerbum se reieciat. Alia enim res obuersatur oculis, & aliud audiunt aures. Si res consideres, omnia diuersa sunt a uerbo. Fides igitur est certitudo certissima, que apprehendit uerbum, & in uerbo haret, non considerata externa facie rerum. Sic in temptationibus, cum nos de peccato accusant, conscientia, ligna, lapides, domus, platea, & omnes creature. In medio tamen istarum rerum uenit unicum uerbum, & dicit. Confide. Hoc uerbum apprehendit fides contra conscientiam, satananam, infernum & mortem, & uincit. Sunt igitur insignes huiusmodi loci de fidei natura,

n. 2      quod

## IN ESAIAM

quod fides sit certitudo animi, hærens in solo p[ro]p[ter]o uerbo, sine ista re, quam significat uerbum. Imo cum omnia sunt contraria à uerbo. Quare rectissime feceris in tentatione, si quam longissime ex oculis & animo externam rerum faciem removaris. Creduntur enim ea quæ non sunt, et postquam credita fuerint, certo impletur.

### Ad sanctum Israel.

Sanctum uocat habitantem in tabernaculo per uerbum. Ibi enim audientes uerbum sanctificabantur, credebant uerbo, exercebant fidem &c.

### In multitudine quadrigarum mea.

Potest intelligi ad literam de Libano. Ego autem malo allegorice accipere, ut significet, scilicet Iudam totam occupasse, et restare unicam Hierusalem, quam quoque sit breui cuersurus.

Nunquid non audisti, quæ olim fecerim.

Duplex et ambigua sententia est. Potest enim generaliter accipi. Quasi dicit. Ego saepius ante perdidi reges et populos, non est mihi nouum. Quod iam tecum faciam, id iam olim feci cum alijs regibus, cum Pharaone, regibus Chanaan &c. Specialis autem sententia est, que propriæ ad hanc historiam pertinet. Quod modo fieris contra meos, hoc iamdudum predixi, non tuo consilio, sed mea prædestinatione hic uenis, et facis

*facis quæ facis. In hoc excitaui te, ut nomen meum  
tua clade innotesceret. Quod igitur dicit, à lon-  
ginquis feci, Phrasis Hebreæ est, Dei enim dicere  
est facere. Hanc sententiam magis probo.*

**Facti sunt sicut fœnum agri.**

*Sunt allegorica. Meum opus est, non tuum,  
quod habitatores ciuitatum facti sunt sicut fœ-  
num, id est, quod sunt fracti animis & despera-  
bundi.*

**Noui habitationem tuam.**

*Sunt uehementes insultationes, quas nemo  
impius credit ueras esse, quia hæc impiorum uox  
est. Dixit impius in corde suo, non est Deus. Ple-  
num autem consolationis est, quod dicit, Cognoui  
insaniam tuam contra ME. Sicut apud Zachari-  
am, Qui tangit uos, tangit pupillam oculi.*

**Tibi autem hoc erit signum.**

*Addit Propheta signum promissioni. Primo  
anno inquit, Protritæ segetes & decussæ uiae no-  
bis ad uictum sufficient. Secundo anno nihil ser-  
tis, sponte enim ea prouenient, quæ inter concu-  
landum in terram ceciderunt. Tertio anno denuo  
seretis. Sed hic nascitur quæstio, cur signum se-  
cundi anni addiderit Propheta. Hic respondent  
alij, magnitudinem miraculi postulasse aliud si-  
gnum. Periculum enim erat, ne altero anno redi-  
ret Assyrius. Ut igitur magis securi essent, addit*

*II 5 signum.*

## INESAIAM

signum. Sed ego aliam causam subesse existim. Cum enim miracula fiunt, non intelliguntur nisi à pijs. Impij autem ea semper extenuant, & affingunt nescio quas naturales causas, sicut Astrologi solent, si quis icitur fulmine, nihil noui est, inquit, Idem ante sepe accidit. Quærunt circumstan- tias & causas, quibus affirmant naturalem euen- tum esse, ut gloria miraculi obscuretur. Impius enim non debet uidere gloriam Dei. Propter hos stultos miraculorum extenuatores addit alterum signum. Alioqui satis miraculi erat uiuere ex pro- tritis segetibus &c.

Et emitte id quod saluatum fuerat.

Hæc est promissio de politia & regno Iudee, non solum hoc præsenti periculo liberandam Hierusalem esse, Sed fore ut non amplius redeat Semaherib.

Propter me & propter David ser- um meum.

Non propter merita uestra, sed propter me & promissiones meas, quas Davidi feci. Allegat enim Davidem, non sicut intercessorem, sed sicut ha- bentem promissiones.

Et egressus est angelus Domini.

Historiam quam hactenus magnifice cele- brauit, brevibus uerbis perstringit. Angelus eos percussit, inquit. Nam Spiritus sanctus bruita- res gestas

res gestas describit. Contra in exhortando & prædicendo est uerbosissimus. Magis enim labo-  
rat in affectibus excitandis, quam in expoliendis  
rebus. Diuersum faciunt Historici. Quia tamen  
scriptura in fide legentis & discentis erigenda  
laborat, ut fortiter credere & fidere Deo discat.  
Non est opus longiore rei descriptione. Cum enī  
excitatus iam ante affectus & inflammatum cor  
est, ipsi per se lectores magnitudinem rei quan-  
tumuis breuiter descripte, cernunt

Filiū eius percuſſerunt eum.

Adeo misere periit summus orbis monarcha,  
occiditur in aula, in maiestate sua, non ab hosti-  
bus, sed a suis uiceribus, à sanguine suo. Est exem-  
plum horrendi iudicij Dei in eos, qui rabido ore  
blasphemant Deum, & persequuntur uerbum  
eius, & uerbi fideles. Sed nostri tyranni non prius  
his exemplis afficiuntur, quam ipsi eadem expe-  
riantur. Redundat autem calamitas etiam in po-  
steritatem. Nam filii eius in exilio uiuere cogun-  
tur.

### IN CAPVT. XXXVIII.



Icta tentatione desperationis  
in sinistro, sequi solet tentatio præ-  
sumptionis ex dextro latere, quæ est  
longe grauiſſima. Neq; enim potest

non & humanus

## IN E S A I A M

humanus animus non inflari prosperis , sed forniciamur & haeremus in donis Dei . Non est autem alius casus horribilior . Luciferi enim casus est , quo de cœlo præcipites ruimus , gloriari & præsumere de successu uerbi & rebus spiritualibus . Necesse est igitur de cœlo pondus demitti , quod premit nos , ne præsumamus , superbientes de donis Dei spiritualibus . Ideo David plenissimus spiritu ne superbiret , in turpe adulterium prolapsus est . Et Christus suos cruce deprimit . Petrus , nisi negasset Christum , fuisse et latus supra omnes angelos . Sic Paulus , ne magnitudine reuelationum extolleretur , additus est ei angelus Sathanæ . Ipsa quoq; sancta uirgo non fuit tuta ab hac peste , nisi gladius Simeonis cor ipsius penetrasset . Sic in hoc loco piissimus Rex Ezechias egregie diffidentia tentatus conualuit . Lætus igitur est , & sentit donum Dei , uidet successum , inflatur igitur , ut autem reuocet eum , peste (tale enim morbi genus fuisse existimo ) afflit . Hodie quoq; superbis spiritibus , qui noua & pernitiosa dogmata temere in uulgas spargunt , nihil deest , quam hic Ezechiae morbus . Præsumptio enim & superbia illa , uere podagra est , que omnes medicos ridet . Alia peccata , ut sunt desperatio , adulterium , scortatio , furtum &c. sentiuntur . Sed haec præsumptio est diabolica tentatio , in spiritu , que non sentitur , nec potest

nec potest tolli, nisi gladio Simeonis, aut adulterio  
Bersabe, aut negatione Petri, aut angelo Sathanæ,  
alias est incurabilis morbus. Quare in scri-  
ptura sancta cum summa humilitate incedamus,  
rogantes, ut Christus det nobis spiritum humilita-  
tis, alioqui actum de nobis est. Si enim Paulus, Pe-  
trus, David, & alij summi homines non fuerunt  
tuti ab hoc monstro, quid de nobis miseris homini-  
bus futurum est, quibus hoc bitumen ita pertina-  
citer adhaeret, ut desperandum sit, nos ab eo dese-  
cari & liberari posse, dum hic uiuimus.

### Obsecro quæsto Domine memento.

Hic queritur, an Ezechias bona conscientia  
sit gloriatus, se coram Deo, in ueritate & perfe-  
cto corde ambulasse. Potest autem responderi du-  
pliciter. Primo quoad uerbum & officium. Quod  
rex certissimam conscientiam habet, se ea que-  
gessit, secundum uerbum Dei & ex diuino man-  
dato, quo uocatus ad regnum est, gessisse, sicut  
Petrus dicit. Si quis loquitur tanquam sermones  
Dei, Sic qui officium docendi habet, potest dice-  
re, officium, quantum ad uerbum attinet, esse sana-  
clum coram Deo. Oportet enim nos certos esse  
de statu & uocatione nostra, quod sit uerbo Dei  
approbata. Quantum igitur ad uerbum & offi-  
cium attinet recte gloriatur Ezechias, hoc quod  
fecit, factum esse secundum uerbum Dei, & mini-

## IN ESAIAM

strante uirtute Dei. Qui enim uerbum & uocationem suam sequitur, incedit in recta via, & quanquam ipse claudicet uel labatur, nihilominus tamen uia est recta, sic etiam professio & uita est sancta, quamvis persona nondum sit sancta. Responsum igitur, genus uitæ inculpabile esse, quo ad uerbum. Sed quoad usum, ibi labuntur infirmi. Secundo potest responderi, Ezechiam laborasse temptatione, qua omnes tentati laborant, & quasiisse præsidia operum, & sic non uere gloriatur. Ego tamen magis probo priorem sententiam, quod respiciens ad uocationem suam & regnum diuinitus commissum, dicat se integrō corde ambulasse etc.

Ecce ego adjiciam super dies tuos.

Oratio statim exauditur, quæ quanquam in omnibus sanctis infirma sit & ignara, quid & quantum petat, tamen spiritus interpellat pro nobis suis gemitibus, & plus impetrat quam petitum est. Deus enim dat, non secundum nostrum, sed secundum suum modum, qui modus diuinus est inestimabilis & ineffabilis. Debebant autem huiusmodi exempla erigere nostras mentes, & fidem nostram, ut diligentius & maiore ardore oraremus. Rex petit ut liberetur a præsenti mortis periculo, & ecce quindecim anni promittuntur, neq; hoc solum, sed promittitur pax ab Assyrio, qui

qui uidebatur tum redditurus ad iustandam Iuda-

dam.

Et de manu regis Assyriorum.

Hæc promissio non est accipienda de uicto-  
ria præterita . Sed quod nullum ab Assyrio peri-  
culum futurum sit, donec uixerit Ezechias.

Scriptura Ezechiæ.

Addit Propheta canticum Ezechiæ , quod  
propter summos affectus non possum assequi . Neq;  
etiam si pluribus uerbis explicetur intelligi po-  
test, nisi ab ijs , qui in grauibus temptationibus fue-  
runt . Sunt autem duæ eius partes . Primo recitat  
affectus cordis sui , quibus cum mors in conspectu  
eſſet posita, immersus fuit . Secundo gratias agit  
pro liberatione . Nullus autem scripturæ locus tam  
copiosam mortis descriptionem continet, atq; hic.  
Videmus multos ridentes mori , & contemnere  
mortem , quemadmodum etiam à Sathanæ obſessi  
nibili faciunt mortem , id quod in multis Anaba-  
ptistis uidimus . Sed Ezechias , tanta fide uir , cum  
mortē uideret , summe tristatus est . Christus quoq;  
deprecatur in horto calicem , quem bibere eum  
oportebat , & sudat sanguinem p̄ dolore .

Ego dixi in dimidio dierum meorū.

Infernū Hebræi uocant sepulchrum . Neq;  
enim scriptura definit locum , quo mortui migrant .  
Continent autem uehementem affectum hæc uerba ,  
in dimidio

## IN E S A I A M

in dimidio dierum meorum . Cum scilicet essent quietissimus , & uiuerem in alta pace , à maximo periculo liberatus . Cum spes esset restaurandi regni , per Assyrium uastati , ecce morior . Sunt uerba imparati cordis . Porro Monachi multa de præparatione ad mortem scripserunt , sed summa fuit , discedere à mundo , hoc est , in solitudinem aut monasterium abire , & istic nescio quas fungere cogitationes . Hæ sunt uanae nugæ . Vera autem præparatio ad mortem est exercitium fidei , Scire quod mors , peccatum , infernus , Sathan in Christo crucifixo uicti & prostrati sint . Ne scilicet mortem , qualis in se aut nobis est , inspiciamus , sed qualis est in Christo . Hic aspectus enei serpentis seruabit nos , nec ulla alia salutis spes aut ratio usquam esse potest . Spectare scilicet in Christum uictorem , in quo mors est conculcata , uictum peccatum , prostratus Sathan . In cuius cruce pendent trophyæ de nostris hostibus & tyrannis deuictis . Ita cor tuto inspicere mortem potest , nec terretur eo spectro . Alias extra Christum mortem inspicere , & cum ea pugnare , est quasi in medio mari natore , quin potius aseende in nauim , & mane super istum malum , è quo suspensa trophyæ sunt . Neq; respicias aut te aut merita tua , alioqui mergeris . Sed exi à te , & abi ad Christum , qui est Agnus Dei , & uictima pro peccatis nostris , que omnia sunt

## SCHOLIA.

103.

omnium nostrum peccata sustulit, & in suo corpore uicit, in quo crucifixus Diabolus, & mors est. Hec est uera & unica ratio contemnenda mortis. Nam qui ita consolantur moribundos, quod mors finem calamitatum & periculorum huius uite afferat. Ea consolatio non est firma, neq; erigere cor in pugna potest. Videntur enim ijs maiora mala restare post mortem.

Quæsiui residuum dierum meorum.

Poteram adhuc multos annos superstes esse, sed subito immatura morte pereo.

Non uidebo deum in terra uiuentium.

Tristitia subinde crescit. Alij morituri queruntur de possessionibus suis, quod cogantur relinquere opes, gloriam, uxorem, liberos. Huic autem sanctissimo Regi dolet, quod auellitur a cultu Dei & uerbo Dei. Ita uidemus summam eius uoluptatem suisse cultum Dei, Rem scilicet in mundo ut neglectam, ita contemptissimam. Dominum vocat ea quæ sunt Domini, hoc est, cultum Dei.

Non aspiciam hominem ultra cum habitatore ætatis.

Id est, Cian ijs qui uiuunt suam periodum, qui pertingunt ad iustum terminum uitæ. Hæc comparatio quoq; auget dolorem. Alij in ocio securi uiuunt, & uenient ad iustam ætatem, ego in medio cursu abrumpor. Quemadmodum igitur

ante

## IN ESAIAM

ante de cultu Dei relinquento erat sollicitus, sic  
hic de relinquenda politia, quam repurgare no-  
lebat, queritur.

### Generatio mea ablata est.

Generatio hic significat etatem seu dura-  
tionem temporis. Sumpta autem similitudo est ab  
Arabibus, qui in tabernaculis uiuunt, que subinde  
aliò transferunt. Mea uita, inquit, quam fixam sta-  
re putabam, mouetur de loco suo, perinde atq; si  
esset tabernaculum Arabis. Hinc Paulus & Pe-  
trus corpora nostra uocant tabernacula. Quod  
sicut tabernacula non sunt unius loci, sed instabi-  
lissima. Ita etiam uita nostra est incerta. Pastores  
Arabie coguntur mutare locum, cum minime uo-  
lunt, urgentibus scilicet tempestatibus. Sic uita  
nostra est ceu quotidianum uolutarium. Habet  
quidem speciem, quod sit firma, sicut tabernacu-  
lum simillimum est manenti domui, mouetur ta-  
men de loco propter tempestates. Ita uita nostra  
una aliqua pestilentia, pleurecula, calculo, febri-  
cula, mouetur &c.

### De mane usq; ad uesperum finito.

Est grauis affectus, sumptus ex Deute.<sup>28</sup>  
Mane cogitabam, me non attingere posse uespe-  
ram, Sic uesperi cogitabam, me ante noctem mori-  
turum &c.

Quasi leo sic contriuit ossa mea.

Hunc

SCHOLIA:

104.

Hunc uersum non assequor. Angustia enim  
et tentationes animi tantum stuporem inducunt,  
ut nullus sensus in corpore sit reliquus.

Sicut grus & hirundo clamabam.

Ne uocem quidem edere potui propter an-  
gustiam.

Attenuati sunt oculi mei.

Hoc est ultimum, quod morituri inuertunt  
quasi oculos. Porro haec tria, contritio ossium,  
fractio oculi, et defectus uocis acciderunt corpo-  
ri, non ex dolore morbi, sed ex mærore cordis.

Domine uim patior.

Hæc est oratio. Porro qui in temptatione po-  
test recurrere ad Dominum, ut non desperet mæ-  
tore, sed eleuet susprium, et oret, ille uicit. Nec  
multa loquitur, sed est ceu scintilla reuiniscendi.  
Paulus uocat inenarrabiles gemitus.

O quam dicam, quoniam ipse re-  
spondet mihi, & facit etiam.

Sic enim uerti debet. Est autem gratiarum  
actio pro liberatione. Eredit enim se promissione,  
quod certo sint euentura, quæ promisit Deus.

Confitebor omnes annos meos præ  
amaritudine animæ meæ.

Nunquam obliuiscar huius periculi, è quo  
liberavit me Dominus. Abusi sunt hoc loco Papi-  
stæ ad confessionem.

Domine

IN E S A I A M  
Domine sic uiuitur .

Tum demum uiuitur , cum tu uerbo tuo ui-  
sam promittis . Verbum tuum est uera medicina ,  
qua apostema & morbus hic sanatur . Non quod  
medicina nihil ad curandum morbum faciat , sed  
quod ipsa curatio non sit in medicina & remedij  
sita , sed in uerbo . Per & in creaturis operatur  
uerbum . Sic panis comestus , potum uinum , in car-  
nem & sanguinem breui momento mutantur , non  
istarum creaturarum , aut caloris uirtute . Alioqui  
in fornace etiam sic mutarentur , sed quia uerbo  
sic sunt ista condita & ordinata . Verbo enim ui-  
uimus & seruamur . Non quod creature Dei nihil  
sunt , aut contemni debeant , sed quod uiuendi uis  
non sit in eis posita , sed in uerbo , Quod enim spie-  
ramus & uiuimus , per uerbum fit .

Corripies me & uiuificabis me .

Verte sic . Me dormiente uiuificasti me . Et  
generalis sententia . Me dormiente , nihil agente  
uiuificas me . Sic enim nobiscum agitur in omni ui-  
ta , dormientibus , quietis , securis nobis dantur  
omnia . Curantibus & sollicitis datur nihil . Sicut  
in Psalmo . Dat dilectis suis per somnum . Sic etiam  
uiuimus non in cura , sed in reiectione cure .

Tu autem eruisti animam meam .

Volui mihi ipse esse medicus . Facta igitur  
amaritudo mea est amarior , donec tu uenires &  
amplectereris

amplecteris me, hoc est, uerbum uitæ annuncia-  
res. Sic curis nihil aliud efficitur, quam ut magis  
excruciemur. In solo enim Dco auxilium est si-  
tum.

Proiecisti post tergum tuum omnia.

Omnis tentatio corporis etiam habet hanc  
miseriam annexam, quod conscientiam sollicitat.  
Sathan enim non cessat, & non contentus afflixif-  
fe corpus, etiam animam uult perditam. Cum igit-  
tur in malum aliquod incidimus, conscientia id  
arripit tanquam poenam peccati, ut ita simul la-  
borent anima & corpus. Corpus enim cum mor-  
bo, seu quocunq; tandem malum illud est, cum co-  
conflictatur. Anima autem contra conscientiam,  
peccatum, mortem æternam, & infernum pugnat,  
quo nihil potest esse grauius. Conscientie enim  
nox uere est malorum Lerna, & Ilias malorum.  
Est Cacus, Cerberus, Furia, Erynnis, & quicquid  
est istiusmodi poetorum monstrorum. Hac uicti  
in temptationibus etiam corporalibus mox conclu-  
dimus, Ergo Deus non fauet. Hic appendix inam-  
putabilis est, etiam in quantumcunq; leuibus ten-  
tationibus. Quo autem maior tentatio fuerit, eo  
maior est conscientia. Sic in hora mortis experi-  
mur infernum ducentas portas apertas habere,  
ubi alias uix unam portam habet. Idem bonus  
Exechias hic queritur. Sentire igitur remissa  
o peccata

## IN E S A I A M

peccata esse, est summum beneficium, quod Deus  
præstare potest. Et oportet Hercules ac Christo=  
phorus esse, qui in hac pugna conscientiae uincant.

Quia non infernus confitebitur tibi.

Est ex sexto Psalmo. Recte facis quod me  
uiuificas, nisi enim hoc faceres, nulla consisteret  
religio, nullus cultus Dei, ergo si est laus & cul-  
tus tuus statuendus, oportet ut miserearis, igno-  
scas, liberes &c.

Viuens uiuens.

Id est, qui sine cura, sine suis studijs promis-  
sione diuina nituntur, & liberantur, illi laudant  
te, sicut & ego hodie. Sic nihil Deo pro seruitio  
reddi potest, quam gratitudo, confessio & laus.  
Hæc enim sunt nostra sacrificia.

Et psalmos nostros cantabimus.

Conseruatio ueritatis & cultus Dei dona-  
tur a Deo. Humana studia infirmiora sunt, quam  
ut retinere & tueri religionem possint. Est cara-  
men omnibus numeris absolutissimum.

Et mandauit Esaias.

Magnum medicinæ præconium & patro-  
cinium hic continetur. Neq; enim creaturarum  
usum negligi, aut contemni uult Deus. Fiduciam  
solum in creaturas damat.

Quantum signū hoc, quia ascendam  
Est uox

Est uox exultantis. Quām magnificentum si-  
gnū est hoc , Promissio diuina restituit me, &  
addidit signum, quod debo ascendere in domum  
Domini, id est, redire ad cultum Dei, audire uer-  
bum Dei &c.

## CAPVT. XXXIX.

**H**AEC historia longius describi-  
tur contra horrendum monstrum  
præsumptionis . Primo per obsidio-  
nem & bellum , deinde per grauem  
morbum Ezechiam seruauerat, ne in  
præsumptionem laberetur . Nondum tamen uinci  
potuit antiquus serpens , sed redit & leuat caput  
suum. Adeo non possumus consistere, nisi Deus  
nos affligat . Vides igitur hic, quis sit afflictio-  
num usus, ut mortifacent uidelicet carnem, quæ non  
potest secundas res ferre . Ezechiae enim fidem,  
quam tantus exercitus uincere non potuit , legati  
ab amico rege missi, subuertunt. Non igitur tan-  
tum periculi ab inimicis nobis est, quantum ab  
amicis. Illi enim cum in os nos laudant, ac colunt,  
inflant ac superbos reddunt. Sic bonus rex hic de-  
scribitur superbia elatus, ingratus, & immemor  
tantorum beneficiorum Dei . Si igitur nullæ aliæ  
essent calamitates , quæ hanc uitam nobis iniuisam  
facerent,

## IN ESAIAM

facerent, certe peccata, & imprimis facilis hic in  
præsumptionē lapsus, odium huius uitæ afferre no-  
bis debebant. Singulæ etates sua sentiunt incom-  
moda. Iuuenes libido uexat, quæ uix uxore ducta  
extinguitur. In uirili ætate opes queruntur &  
cumulantur, & crescit auaritia. Si quis bene &  
honeste uixit, recte administravit officium suum,  
fuit bonus magistratus, Parochus bonus &c. **¶**  
Avaritia oritur, quæ proprie ad senes ultra auar-  
ticam pertinet. Sic uita nostra non solum peccat,  
sed est ipsum peccatum. Adhæc accedunt tot alia  
mala. Puerilis etas omnium iniurijs obnoxia  
est. Iuuenilis omnibus periculis, uirilis omnibus  
morbis & uicijs, & tamen tot malis non potest  
dura hominum ceruix frangi & domari, quan-  
tumvis oppresi calumitatibus & peccatis super-  
bitus, præsumimus, Deum & iudicium Dei securi  
contemnimus. Ruimus in uaria & grauia pecca-  
ta. Desperandum igitur est nos sine peccatis in  
hac carne uiuere posse, & simplici confessione  
dicendum. O domine Iesu, quoties & quam gra-  
uiter peccavi, tu uides, ego non possum omnia ui-  
dere, ignosce &c. Huc pertinet hæc historia Eze-  
chiae, quæ magnam consolationem afferre potest  
lapsis in peccatum, & e contra timorem incutte-  
re securis mentibus &c.

Lætatus est super eis Ezechias.

Lætari

Letari non est malum. Sed sic letari in creatura, ut Dei obliuiscaris, non agnoscas eius beneficia, non gratias agas, hoc est malum. Facilis autem hic est lapsus in secundis rebus. Beati igitur qui timent Dominum.

Ecce dies uenient & auferentur.

Quos tibi fœdere iungis, illi te spoliabunt. Sic fit, qui in carnae seminat, in lachrimis metet. Semper fuit fœderum talis euentus, ut illi plurimum nocerent, quos plurimum profuturos altera pars sperabat.

## CAPVT. XL.

**H**AEC EST ALTERA HUIC PROPHETÆ pars. Diuisit enim eam Propheta in duas partes. Prior, quam haec tenus audiimus, est historica, de ijs rebus, quibus ipse Propheta interfuit, & quas gescit, de rege Assyriorum scilicet. Aspergit nonnunquam propheetias de regno Christi, ut solet, & de futuro Synagoge excidio. Posterior autem pars, quæ iam sequitur, est propheetia de regno Christi, & de rege Cyro. Est autem pura propheetia, quod neutrum Propheta uiderit, neq; temporale Cyri regnum, neq; spirituale Euangelij, quod in primis quatuor capitibus. 40. 41. 42.

## IN ESAIAM

43. tractabit. Porro quia est prophecia de Christo  
& Euangelio, pertinet ad nostra quoq; tempora.  
Imo est proprie nostra. Quare nobis commendatior esse debet.

### Consolamini consolamini popule.

Est mandatum ad Apostolos, quibus nouum  
predicationis genus mandatur. Quasi dicat. Lex  
prædicauit hactenus terrores, uos consolamini,  
mutate doctrinam, prædictate graciam, misericordiam &  
remissionem peccatorum.

### Popule meus.

Est epitasis in pronomine, quod non sit populus Dei ille qui secundum carnem, sanguinem,  
ac legem populus dicitur. Sed qui sunt afflitti, oppressi, occisi, mortificati, per sensus conscientiae  
& desperationis. Hi sunt populus Dei, est enim Deus afflictorum & humilium. Sicut dicit, Inuoca  
me in die tribulationis, & eripiam te. Neq; pertinet uerbum Consolamini, nisi ad eos, qui sunt  
omnibus solacijs destituti, & egent consolatione.  
Hi sunt illud uas uacuum & inane, quod capax est  
gratiae, quam respnuunt, qui carnalibus praesidijs  
suffulti, secure uiuunt.

### Dicit Deus uester.

Grauis epitasis est & in hoc pronomine.  
Quasi dicat. Non estis sine Deo, Deus uos non ab  
iecit, sicut conscientia uestra territa conspectus  
peccatorum uobis dicit. Loquimini

## Loquimini ad cor Hierusalem.

*Ad cor loqui, est blanda & suauia & iucunda loqui, quæ cor libenter audit, ut scilicet respondeat prædicatio Euangeli⁹ gemitui cordis.*

## Quoniam completa est militia eius

*Exponit hic uerba consolationis & prædicationem Euangeli⁹, quæ docet, quod militia sit finita, & peccata condonata. Porro militare est, exercere se & gemere sub oneribus & iuri legis. Militia est uita, qua studemus per opera legi satisfacere. Aliqui simpliciter accipitur militia pro cultu Dei & religione. Hinc etiam dicitur Dominus Zebaoth. Quia autem hic additum est pronomen eius. Significat proprie religionem legalem. Est igitur hic Abrogatio legis significata, cum qua damnantur omnia studia, omnia opera, omnis iusticia, quæ est extra iusticiam gratiæ. Verum quia mundus non uult sua opera et cultus suos damnari, Ideo odit nos, appellat hereticos, exurit igni, omni suppliciorum deniq; genere in eos, qui militiam completam dicunt, sicut.*

## Dimissa est iniquitas illius.

*Quid hic dicent liberi arbitrij & meritorum defensores. Præcedens pars abrogat omnia studia & opera, omnem iusticiam extra gratiam, tanquam inutilem ad remissionem peccatorum promerendam. Hic autem simpliciter gratuitam*

## IN ESAIAM

remissionem peccatorum absq; omnibus operibus  
promittit. Sic sita est remissio peccatorum non in  
operando, non in docenda, aut facienda lege, sed  
simpliciter in condonatione gratuita. Et hæc sens-  
tentia diligenter retinenda est. Cum enim territæ  
conscientiae conspectu peccatorum ex iudicio  
Dei, sentiunt legem, non debemus confugere ad  
studia et opera nostra. Non enim operibus nostris  
umci peccatum potest. Qui igitur ex desperatio-  
ne, uel uota, uel peregrinationes, uel nouum uite  
genus suscipiunt ad uiueendam iram Dei, cumu-  
lant peccatum peccato. Maior uis, potentia maior  
ad peccatum superandum requiritur. Sic igitur  
instituenda mentes afflictæ sunt, ut primo mili-  
tiam finiant atq; deponant, et omnem spem de-  
suis meritis abijciant, et respiciant ad hanc uo-  
cem, Dimissa est iniquitas illius, reijciant sc in  
Christum pro nobis factum maledictum, ut nos et  
maledicto redimeret, Ideo passum et crucifixum,  
ut uictis peccatis nostris, iusti in fide uiueremus,  
reconciliati patri per sanguinem filij, iusti repu-  
tati per fidem in filium &c. Hæc est nostra do-  
ctrina, quam scimus efficacem esse ad erigendas  
conscientias. Ergo uiuemus sine lege liberi et  
imaginabimur nobis condonata peccata nostra.  
Ita, sine lege prorsus uiuendum est, quantum ad  
iustificationem attinet. Alius enim legis est usus  
quam us

quām ut iustificet. Debet enim lex esse pædagogus corporis. At qui per eam, iusticiam querunt, constituant eam pædagogum conscientie. Sed quām longe cœlum à terra semotum est, tam longe legem à conscientia separare debemus. Lex enim in conscientia nihil aliud potest, quām terrorē, augere peccatum, & occidere. Conscientia igitur regnum pertinet ad unam graciam, que proponit nobis Christum, pro nobis passum. Lex autem ableganda ad corpus, & exteriora membra est, ut moderetur exteriora officia. Hic legis uerus & proprius usus est, qui autem ea ad iustificationem utuntur, abutuntur lege ad suam damnationem. Quia enim lex à nobis fieri non potest, semper arguit & terret, opus est igitur Christo, qui sua iusticia in his terroribus nos consolatur, & offerat remissionem peccatorum gratis. Porro Christus sola fide apprehenditur, sola igitur fides & liberat à terroribus legis, ac pacat conscientiam & iustificat.

Suscepit disciplinam propter peccata sua.

Hieronymus hunc textum egregie depravat impia glossa. Sic fit, cum ad sacras literas interpretandas rationis iudicium afferimus. Quia enim uidit hic peccatorum mentionem fieri, rationabatur sic, Peccata merentur, non graciam, sed

## IN ESAIAM

pœnam, ergo duplicitia, significat duplitem pœnam. Ita significat se nescire, quid sit remissio peccatorum. Sicut alio in loco, contendit remissionem peccatorum esse incertam. Nos autem accipimus hunc locum de gracia. Scimus enim apud Deum esse propitiationem, & quia nulla sunt aut esse possunt merita nostra, oramus. Ne intres Domine in iudicium cum seruo tuo, quia in conspectu tuo non iustificatur omnis uiuens. Contingit igitur remissio peccatorum, & finita militia (hæc enim sunt duplicitia) propter peccata nostra, non ex merito aliquo, sed ex mera gracia. Id quod nostro quoq; exemplo testari possumus. Quid enim sub Papa ante hanc Euangelij lucem fecimus? Crucifiximus Christum, uendidimus eum illa abominatione Missarum. Fuimus blasphemii. Docendo & uiuendo euertimus gratiam. Vendicauimus nobis diuinitatem, quod nostris operibus, non nobis solum, sed & alijs remissionem peccatorum impestrare studuimus. In summa multis & infinitis modis fuimus hostes Dei. Num igitur gloriabimur nos meritis nostris meruisse hanc gratiam, quam nunc habemus superabundantem? Non. Vnde igitur eam habemus? Esaias dicit, Suscepit de manu Domini duplicitia pro omnibus peccatis suis. Hoc dicit spiritus sapientiae Dei. Et hæc doctrina sacrificie facit ad commendationem gracie, & ad gloriam

gloriam Christi. Aduersariorum autem doctrina,  
quæ operibus tribuit merita iustificationis, dero-  
gat glorie & merito Christi. Est igitur blasphe-  
ma & impia.

### Vox clamantis.

Quis est modus recipiendi duplicitas? Re-  
spondet, Est uox clamantis. Finita igitur militia,  
& remissio peccatorum non possunt accipi nisi  
ministerio uocis, sicut Roma. 10. Quomodo autem  
credent ei, de quo non audierint? & quomodo  
audient absq; prædicatione? Fanatici igitur spiri-  
tus sunt, qui hodie externum ministerium uerbi  
contemnunt, & docent nescio quas speculationes  
in solo loco, tum fore ut corda cōcipiant spiritum  
sanctum, hoc est, diaboli spiritum. Esaias autem  
hic dicit, banc esse rectam & compendiariam  
uiam, qua ad cognitionem gracie ueniamus, audi-  
re uocem clamantis. Cum attentis sensibus audi-  
mus uerbum Dei, tum cessant sensus & cogitatio-  
nes uane, & dominatur in cordibus solum uer-  
bum, quod auditur. Alij qui sine uerbo speculan-  
tur sublimia, illorum corda omni genere flagitio-  
rum aestuant.

Porro quod dicit, uox clamantis, opponit hanc  
uocem ministerio legis, & prædictit nouum mini-  
sterium, & nouum genus docendi præter hoc quod  
hactenus inter Iudeos fuit, & uocat clamantem  
uocem,

## IN E S A I A M

uocem, tanquam opponens blasphemam lingue,  
que non dicit ad perfectum, sed in proprio opere  
aut terret, aut inflat, & facit hypocritas. Hec  
autem est noua doctrina, separata ab omnibus le-  
gibus, immo contraria omnibus legibus.

### In deserto.

Ipsi qui docent, debent esse in deserto. Recte  
autem Euangelistæ citarunt de Iohanne & de-  
serto Iohannis. Ibi enim hoc ministerium cœpit.  
Vocat autem desertum per antithesin contra le-  
gen: . Legis enim doctrina est doctrina carceris,  
que captiuat nos. Est politica doctrina, que non  
est in libero deserto, sed in angulum illum Iudaici  
populi conclusa. Euangelion autem, quod à Io-  
hanne cœpit, prædicatur in uasto & ampio deser-  
to. Est enim doctrina liberrima, in publico, tam  
communis omnibus, quam hoc cœli lumen.

### Parate uiam Domini.

Via significat studia, uitam, rationem uiuen-  
di. Quia igitur addit, uiam Domini, errant uete-  
res, qui hunc locum accipiunt de bonis operibus,  
de honesta & sancta in speciem uita. Haec enim  
sunt uiae humanae, quas etiam in aliquibus genti-  
bus, ut Attico, Socrate, Xenophonte, & alijs ui-  
demus. Via Domini igitur est ratio uiuendi, &  
uita diuina, ut ipse in nobis uiuat. Hæc uia sic pa-  
ratur, si abiçiamus præsumptionem iusticie &  
opercium

## SCHOLIA.

III.

operum, & agnoscamus peccata. Quanquam enim  
externa flagitia, adulterium, scortatio, furtæ &c.  
etiam sint impedimenta in via Domini, quæ remo-  
uere oportet, tamen hæc longe maiora & graui-  
ora sunt, præsumptio, et iusticia propria. Præclu-  
dunt enim simpliciter gracie aditum. Sic igitur  
paratur via, si grandia hæc saxa, & immotos il-  
los stipites (præumptionem & fiduciam operum  
dico) abiciamus, & nudi hereamus in suscipien-  
dis duplicitibus, cum simplici confessione culpæ.  
Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis  
sustinebit? Sicut Paulus dicit. Arbitror omnia  
detrimentum esse propter eminentem cognitionem  
Ihesu Christi Domini mei, propter quem omnia  
pro damno duxi, & arbitror ut stercore, ut Chri-  
stum lucifaciam &c. Hec demum via Domini  
est, iusticia scilicet Christi, & non priorum  
operum. Hæc si stat, necesse est ruere quicquid est  
ubiqs monasticorum uotorum, cultuum, ope-  
rum &c. Si enim Christus est iusticia, quid sunt  
nostra opera? Legis autem & honorum operum  
alius debet esse usus, ualeat enim ad disciplinam  
carnis & ad ciuiles mores. In carne enim lex, in  
conscientia & spiritu libertas regnare debet, si-  
cut supra monui.

Omnis uallis exaltabitur.

Quæ sequuntur sunt allegoria. Significat,  
quod

## IN E S A I A M

quod hæc uox prædictit abrogationem legis, & accusat peccati pariter omnes, tam eos qui iusticiam legis habent, quam alios qui sunt sine lege. Montes sunt sancti, ualles sunt peccatores. His pariter annunciatur uox gracie, ergo sunt extra gratiam in peccato. Sic Petrus in Actis dicit. Qui non discreuit inter nos & gentes. Hic igitur in prædicatione Euangelij non est gentilis, non Iudeus, non sapiens, non stultus, sed peccauerunt omnes. Porro offenduntur hac prædicatione Iudei, qui portauerunt per diem æstum solis, sicut est in Euangilio.

Et erunt curua in directa &c.

Quod supra dixit, finiri militiam, hoc nunc alijs uerbis & figuris dicit. Qui enim lege ad iusticiam uolunt accedere, insistunt impeditam & asperam viam, qua nunquam ad iusticiam perueniunt. Id quod sub Papa sumus experti, nulla opera, nulli cultus, nulla merita satis erant afflictis conscientijs, semper trepidabant, semper timebant, semper requirebant aliquid in suis operibus. Sic non solum curua & impedita legis uia est, que per longas ambages longius a Christo abducit, sed etiam est aspera & calculosa, ut nunquam quietum cor aut corpus esse possit. Sic omnis uia extra gratiam est. Euangelion autem & noua prædicatio, que fuitam militiam sequetur, imo que finiet

que finiet militiam, planam ostendit uiam, nempe credere in Christum absq; lege, deinde seruire proximo. Hæc uia non habet asperitatem, propterea quod tranquillam facit conscientiam, & abest quoq; curuitas propter rectitudinem doctrinæ. Sic optime describit Propheta genera uitæ, que sunt extra graciæ, & ostendit ueram uiam, que sola ad iusticiam dicit. Ea est doctrina fidei, que Christum proponit.

Et reueladitur gloria Domini.

Asperæ & curuæ uiæ nostræ iusticiæ, statuant sua trophyæ, faciunt præsumptuosos, inflant. Sed hæc doctrina reuelat Domini gloriam, nos constituit peccatores, Dominum prædicat liberatorem & redemptorem.

Os Domini loquetur.

Emphasis est in Domini, Quis si dicat. Ante locutum est os Mosi, serui, Euangelion autem debet quidem doceri humano ore, Sed illud os non amplius hominis, sed Christi Dei est, qui in Euangeliō loquitur.

Vox dicentis clama.

Pergit Propheta in magnificando ministerio Verbi, fore ut eo tempore, quo prædicabitur iusticia gracia, etiam hoc prædictur quod sequitur. Omnis caro &c. Sed hic mirabitur aliquis, quid sibi Propheta hoc dialogismo uelit. Hoc nimirum

## IN ESAIAM

m̄rum, quod uoluit ostendere, quād difficile m̄tus sit prædicare. Nam prædicare uerbum Dei, nihil aliud est, quād deriuare in se furorem totius inferni, & Sathanæ, deinde omnium sanctorum in mundo, & omnem potentiam mundi. Est autem periculosisimum uitæ genus, tot dentibus Sathanæ se obijcere. Id quod Propheta hoc dialogismo admonere uoluit.

### Omnis caro fœnum.

Hic textus fœde per Hieronymum & Didriben laceratus est. Verum spiritus sanctus non ita imprudenter loquitur, ut ipsi iudicant. Dicit, omnis caro, ergo nihil excipit, & addit, est fœnum. Tollerabile autem hoc esset, nisi adderet, esse fœnum siccandum & ressecandum, tanquam ad nihil utile. Porro caro significat totum hominem, cum ratione & omnibus naturalibus donis. Ipse enim Propheta se ita exponit, cum addit, populum esse fœnum, Certe non esset populus, nisi haberet rationem, religionem, & iusticiam tam ciuilem quam ceremonialem. Quare deprauant textum, qui Synecdochen hic fingunt. Qui enim omnes dicit, nihil excipit, non excipit sanctum populum indeorum, non sapientiam Grecorum, & ciuilem disciplinam, sed simpliciter facit antithesim spiritus & carnis, & concludit, Quicquid non agitur spiritu sancto, quantumcumq; in speciem sit bonum,

bonum, iustum, sanctum, est caro. Sed periculosa est, sicut dixi, hæc prædicatio. Quis enim audeat omnes iusticias Papatus, omnia bona opera Bernhardi, Augustini, & aliorum summorum uirorum, carnem & aridum fœnum appellare? & tamen here sunt caro & fœnum, si tanquam meritoria iusticiae aestimentur.

Omnis gloria eius quasi flos agri.

Rectius uertas. Omnis gracia cius, id est, Optima benefacta, misericordiae, beneficia. Non enim dicit peccata, adulterium, furtum &c. sed summa sapientia, & opera iusticie, & optima qua caro prestare potest, sunt flos agri, habent nudam speciem sanctitatis, reuera sunt deputata igni. Hoc si persuasum mundo esset, quis non abiectet cucullum, & alias nugas, quibus se mereri iusticiam miseri homines frustra cogitant?

Quia spiritus Domini sufflauit.

Inepte Hieronymus hic spiritum pro ira accepit. Propheta enim antithesen fecit spiritus & carnis, uenti & fœni, & dicit, Spiritum Christi qui docet iusticiam nostram non in lege aut operibus, sed in gratia sitam, sufflare in fœnum ministerio uerbi. Sicut Iohannes quoq; dicit. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Per hanc predicationem fœnum crescit, & perit uiror, id est, damnatur iusticia et sapientia carnis, tanquam

## IN ESAIAM

inutilis, imò pernitiosa ad iusticiam & salutem consequendam.

Sed hec doctrina magno scandalo occasio-  
nem præbet. Sic enim cogitant homines, si bona  
opera nihil prosunt, ergo sequamur cupiditates  
nostras, et uiuamus sine lege. Quare uidendum est  
ubi dicamus, opera nihil prodesse. Sumus enim iam  
in loco iustificationis, et consulimus conscientijs.  
Hic nulla opera, nulla iusticia, nulli cultus ualent,  
Sed tantum desigendi oculi sunt in meritum &  
mortem Christi pro nostris peccatis paſsi. Hunc  
Christum cum fide apprehendimus, Deo uiuimus  
in iusticia. Præter hanc spiritualcm uitam, obli-  
gat nos politia, ut externe etiam honeste uiuamus.  
Huc adhibenda est alia iusticia, non Christiana,  
sed politica, quæ necessaria est, et non sine sum-  
mo peccato prætermittitur. Sed ad iusticiam Chri-  
stianam nihilo plus facit, quam edere, bibere, dor-  
mire &c. Cum igitur damnantur bona opera, sic  
damnantur tanquam ad iusticiam Christianam  
inutilia. Maior enim res est uictoria mortis &  
inferni, remissio peccatorum, et iusticia, quam ut  
nostra bona opera quicquam ad eam afferre pos-  
sint. Gracia est, et Dei gracia, qui gratis tan-  
cum thesaurum in Christo donat credentibus. Di-  
sciplinam igitur sancti Bernhardi, Benedicti &  
aliorū, quæ olim fuit, laudanius, Nam & Propheta  
humanam

humanam iusticiam florem appellat, tanquam rem pulchram & speciosam, quæ capit oculos & rationem. Sed summa impietas est credere per eam disciplinam, remissionem peccatorum & iusticiam nos consequi. Ratio quidem sic statuit, & capitur illa operum specie, sed spiritus sanctus aliter iudicat.

**Verbum autem Dei nostri manet in eternum.**

Insignis sententia, quam omnibus parictibus inscribi oportuit. Solum uerbum Domini manebit, quicquid præter & extra uerbum Dei est, sicut flos agri peribit. Hic institue catalogum omnium operum, que sine uerbo Dei in Papatu sunt, Ordo Francisci cum alijs, Missa, cucullus, satisfactio, peregrinationes, indulgentiae &c. non sunt uerbum Dei, ergo peribunt. Verbum autem Domini & omnes qui uerbo credunt, manebunt in eternum. Porro difficile est credere, quod haec uocula, hic anbelitus maneat, & seruet nos in perpetuum, tot speciosissimis operibus & iusticijs refactis.

**Zion quæ Euangelizas ascende.**

Prædictoris duo sunt officia, docere & exhortari. Hactenus docuit, & dixit omnem carnem foenum esse, & solum uerbum Domini stare, quod finitam militiam & duplicitia assert. Qui a

R = autem

## IN ESAIAM

autem hæc doctrina sine tentatione retineri non potest, quod Sathan eam cupiat oppressam, & exicit tyrannos & hereses. Ideo uertitur Prophetæ ad alteram partem, & exhortatur credentes, ut fortes sint in fide, & non patiantur sibi nec dolo excuti manibus doctrinam Euangelij, sed confidenter & libere eam doccent. Deinde agit contra hereticos, qui hanc doctrinam impugnant. Hæc igitur pars huius capituli, quæ sequitur, in exhortatione suorum, & confutatione aduersariorum consistit.

Appellat Zion, hoc est, totam Ecclesiam credentium, Euangelizatricem. Omnes enim vocati ad Euangelion, sunt Euangeliæ. Quia tamen omnia in Ecclesia cum ordine debent fieri, non promiscue omnes docere debent, sed tantum qui vocati sunt ad docendum. Ita ministerij solum differentia inter sacerdotes & laicos est.

Porro distinguit hoc nomine Ecclesiam à priore Hierusalèm, quæ fuit legis discipula. Noua Hierusalem debet esse magistra Euangelij, & docere alios, non discere legem.

Metaphoricum est quod dicit, Ascende supra montem. Quasi dicat. Prodi, exere caput, exalte, Cupiunt enim te oppressam Sathan & mundus, sed tu constanter Euangelion prædicta &c. Ecce

**Ecce Dominus Deus in fortitudine  
ueniet.**

Insignis consolatio, qua erigit humiliatos  
prædicatores uerbi, quibus nihil uilius, despectius,  
aut infirmius est. Petrum prius negare Christum,  
reliquos Apostolos prius à Christo fugere opon-  
tuit, quam prædicarent Euangelion. Ita Paulus  
primo ecclesiam Dei perscutus est. Ideo autem  
contemptos homines & infirmos ad hoc ministe-  
rium uerbi deligit Deus, ut appareat diuina uis  
uerbi, quod in infirmissimis personis non potest  
opprimi. Sic per hos. X. I I. annos Verbum man-  
sit, cum tamen tot insidijs opprimere id Sathan  
tentaret. Excitauit enim contra uerbum tyrannos,  
principes, excitauit seditionem rusticam, excita-  
uit rottenses spiritus, & hereses infinitas, & ta-  
men adhuc stat illæsum. Mundus tamen non cernit,  
Oculi autem spiritus cernunt uirtutem hanc per-  
fici in infirmitate, ut appareat maiorem esse qui  
in nobis est, quam qui in mundo est.

**Ecce merces eius cum eo & fructus.**

Sunt Hebraismi obscuri. Nam merces signi-  
ficit efficaciam uerbi & opus, fructum uerbi, si-  
c ut etiam opus uincere uocant ipsum uinum & fru-  
ctum uincæ. Est autem sententia, Dominus uenit  
in fortitudine, & ecce merces eius cum eo &c.  
Id est, Faciet uerbum non frustra prædicari, sed

## IN ESAIAM

erit efficax per uerbum , quod ubicunq; uerbum  
prædicabitur , ibi erit merces & opus eius , id est ,  
sanctificabit ibi , & erit efficax . Quasi dicat . Ha-  
c etenim non uenit Dominus in fortitudine , cum da-  
ret legem infirmam , qua tantum terrebantur ani-  
mi . Euangelion autem certum fructum secum af-  
fert , confert remissionē gracie pacificat cor &c .  
Sicut pastor pascet oves .

Ipse suscipiet curam gregis sui , non tradet  
oves pascendas mercenarijs . Porro quod dicit ,  
alias oves pascet , alias fouebit in finu & porta-  
bit . Significat suauissima figura Christum in suo  
regno habere uerbum , quod ualeat ad omnes per-  
sonas , ad firmos & infirmos , quorum fidem alat  
consolationibus & promissionibus . Magna autem  
hec consolatio est , quod omnes qui quoquo modo  
uerbo adhaerint , quantumuis infirmi , in regnum  
Christi recipiantur , & soli increduli excludan-  
tur , reliquos omnes potest & uult ferre Chris-  
tus &c .

**Q**uis mensus est pugillo aquas .

Hunc locum quidam eo trahunt , quasi iactet  
potentiam suam Deus pro erigendis infirmis , si-  
c ut Iohannes quoq; dicit . Maior est qui in nobis  
est , quam qui in mundo . Ego autem sentio esse  
confutationem hæreticorum & iusticiariorum ,  
qui contra fidci iusticiam pugnant , & conantur  
tantam

tantam potentiam, nempe maiestatem diuinam suis electiis operibus placare, & quasi prescribunt Deo, quid probare, quid improbare, quid place-  
re, quid displace ei debet. Nam quod Mona-  
chus in regula & ordine suo se Deo placere sen-  
tit, Hoc quid aliud est, quam manifesta idolatria,  
qua fingit sibi talem Deum, qui stulta & impia  
ista opera probet? Contra hanc pestilentem præ-  
sumptionem nostrarum virium & operum, adeo  
tragicis figuris describit potentiam diuinam, ut  
reducat nos ad uerbum quod militia finit & donat  
duplicia pro peccatis nostris, ut speremus in gra-  
ciam Dei, in Christo exhibitam, donatamq;.

Confutet igitur eos, qui diuersum à gracia &  
fide docent. Quis, inquit, mensus est pugillo  
aquas &c. Quasi dicat. Tanta est magnitudo di-  
uinae potentiae. Quid ergo nunc potest à nobis  
uermiculis huic tantæ magnitudini simile fieri?  
Et tamen Franciscani, Augustiniani, Chartusia-  
ni &c. cum suis regulis huic magnitudini occur-  
rere audent, quam nec cœlum nec terra compre-  
hendit, idq; tanta audacia & præsumptione, ut  
confidant se dignum aliquid tanta magnitudine  
fecisse, aut facturos esse.

Quare ad has omnes interrogationes, quis  
comprehendit pugillo aquas? &c. Respondent  
iusticiarij & omnes qui in fiducia operum ince-  
punt.

## IN E S A I A M

dunt, Nos possumus. Et sunt consiliarij, imò magistrorum Spiritus sancti, & plastæ, imò affectatores diuinitatis, qui seipso in Dei locum constituunt. Hæret enim in nobis, cum à uerbo recedimus, illius innati peccati, quod affectamus diuinitatem, Sicut Adam a Sathanæ persuasus, cum diceret, Et dix critis.

### Cui ergo similem facitis Deum.

Pergit in confutatione. Cum talis & tantus sim, non potes aliquid fingere, quo places me, aut demerearis fauorem meum. Fingunt enim Deum, qui eum placari operibus credunt. Carthusianus fingit Deum cucullatum, & cinctum fune, Credit enim quod Deus delectetur, si sic uiuat. Sic qui sibi scipiunt peregrinationes, fingunt Deam uagum, quia credunt delectari cum peregrinationibus, alioqui non susciperent eas. Sic totus Papatus nihil est & fuit, quam plastes Dei, quem tot formis induit, quot Protheum suum habere Poete fungunt.

Faber conflat sculptile, & aurifex deaurat illud, & addit argenteas catenulas. Similiter pauperis oblatio, is eligit lignum non putrescens, & querit sapientem opificem, qui paret sculptile, quod non moueatur.

Sic commodius redditur textus. Est autem sententia

Sententia, Diuites aureas imagines, pauperes lignae statuunt, & sic instituunt cultum Dei. Hic enim illorum temporum mos fuit. Nostri Papistæ hodie, si usum & affectum consideres, plane idem faciunt, quanquam obiectum & materia circa quam, sit alia. Illi enim erecta statua putabant se opus Deo gratum præstissem, sicut Israelitæ dicunt. Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt ex Aegypto. quasi dicant. Hic cultus placet uero Deo, qui nos ex Aegypto eduxit. Idem plane Monachi & reliqua Papæ turba hodie faciunt, qui operibus a se delectis hoc tribuunt, quod Deo placeant, & placent eum.

### Nunquid non scitis?

Confutationi addit increpationem. Habetis naturaliter aliquam cognitionem de Deo. Alioqui non coleretis Deum in idolis. Verum illam cognitionem non sequimini, alioqui non faceretis ea, que facitis. Deus enim non adiuuatur, non placatur, non formatur a uobis, non indiget uestris operibus, sicut Paulus dicit Acto. 17. Dat nobis, non recipit a nobis, iuuat nos, non iuuatur a nobis. Quare ergo uos uultis ei dare, quare fingitis eum uestris cultibus & operibus delectari, placari &c. Carthusianus sentit, Deus mihi gratis non suet, id est non est Deus. Ego igitur faciam Deum aliud, quem tali regula, tali uestitu, tali opere

IN E S A I A M

demerebor ecce. In hac infinita impietate totus  
Papatus est mersus.

An non intellexistis à fundamentis  
terræ.

Sic lege, Id est, à tempore quo fundata est  
terra.

Qui sedet super gyrum terræ.

Id est, in isto toto rotundo, quod est supra  
terram. Quem igitur non capit cœlum & terra,  
cum uos concludetis in statuam, in ieiunia, cucula-  
los, Missas uestras? Estis omnes cum omnibus ue-  
stris iusticijs ceu locustæ, qua uentus dissipat.

Qui cœlum expandit sicut pelles.

Est prophetica copia, qua insectatur iusti-  
ciam carnalem. Ipse extendit cœlum, quid est  
quod tu tentas eum formare? &c.

Qui ponit principes in nihilum, &  
iudices terræ facit inanes, quasi neq;  
plantato &c.

Sic nulli hodie sunt Pharisei, nulli Sadita-  
ezi, nulli Arriani, sed omnes perierunt, ac si nun-  
quam fuissent. Sic omnis humana iusticia, omnia  
humana inuenta percunt, quantumvis magnorum  
hominum. Sic omnia mundi regna postquam ce-  
perunt se opponere Christi regno, perierunt.

Leuate in excelsum oculos uestros.

Hic se conuertit Propheta ad erigendos  
infirmos,

*infirmos, & iubet ut tollant oculos, & intuean-  
tur dispositas stellas. Quasi dicat. Alia nostra est  
iusticia, quam sit iusticia mundi, que stellæ situlae  
& puluisculo similis est. Quemadmodum autem  
stellæ infinitæ sunt, & durauerunt ab initio mun-  
di usq; huc. Sic nostra iusticia nullis potest circum-  
scribi finibus, & perpetuo durabit. Neq; enim ex  
nobis pendet, sed contulit, ac gratis eam nobis do-  
nauit is, qui creauit illam durabilem cœli machi-  
nam.*

*Nec unum reliquum fuit.*

*Significat infinitatem numeri & uirtutis,  
quod tot seculis ne una aliqua stella defatigata,  
aut corrupta sit. Talis etiam est iusticia creden-  
tium, infinitæ magnitudinis & uirtutis, quia non  
est nostra, sed Dei. Christus enim est iusticia no-  
stra, sicut Paulus dicit.*

*Quare dicis Iacob.*

*Hic applicat similitudinem, qua nobis com-  
mendauit opulentam iusticiam, quam credentes  
habent. Incredulitas autem incredulitatem nostram,  
quod ita terdi sumus ad credendum, & pusillani-  
mos.*

*Abscondita est via mea à Domino.*

*Hic locus duplice potest accipi. Primo  
de via quam paramus nostris uiribus, quasi dicant  
territe & pauidæ mentes. Deus nulla opera pro  
iusticia*

## IN ESAIAM

iusticia recipit, Reliquum igitur est, ut desperem,  
neq; enim mihi ipsi consulere possum. Altera sen-  
tentia est commodior, ut intelligatur propheta de  
uia quam supra iussit parari. Quasi dicat infirma-  
mentes, Verbum quidē promittit iusticiam, uerum  
diuersum dicit cōscientia, in qua sentio peccatum  
et mortem, quae terrent me. Sic est uia mea abscon-  
dita, id est, iusticiam quam uerbum promittit, non  
sentio, contrarium potius sentio. Contra hunc de-  
sperantium affectum consolatur nos Propheta, et  
remittit nos ad uerbum.

Nunquid nescis? aut non audisti?

Nunquid audisti dicit. Quasi dicat. Non dea-  
bes iudicare de iusticia tua, secundum apparen-  
tiam ex sensu tuo, Hoc enim iudicium te fallet. Sed  
simpliciter in uerbum te reījec, ut uerbo appre-  
hendas, quod re non potes. Hoc uerbum oppone  
morti, peccato, inferno, et omnibus malis, et cer-  
to liberaberis. Est autem facile, credere uerbum,  
sed credere quod sit Domini Dei uerbum, hoc  
longe est difficillimum carni, imo est plane im-  
possibile. Qgando autem persuasa sunt corda Dei.  
uerbum esse, quod promittit liberationem a pec-  
catis et periculis, tunc parata sunt ad ferendam  
mortem et omnia mala, quia sic postea statuunt,  
Deus dixit, is non fallet te, est omnipotens, potest  
igitur reddere eternam uitam pro hac corporali,  
et uult reddere, quia promisit.

Notabis

Notabis autem diligenter quod dicit. Non audisti? Remittit enim ad externum uerbum, & dicit. Sum ad tempus infirmus. Ideo autem do tibi uerbum in os & cor tuum, ut uiuas in uerbo extra apparentiam, & sensum tuum. Nisi igitur uerbum in tentatione apprehenderimus, succumbemus, ut in sensu presentis mali.

### Deus sempiternus dominus.

Magna consolatio. Quasi dicat. Me specta, qui sempiternus sum, non tuam infirmitatem. Senti te lassum, ego confirmabo te. Senti aduersarios tuos, peccata tua, inopiam tuam prævalentem, ego adero, & aduersarios tuos corruec faciam, tu autem persistes. Verum hæc omnia sic sunt dicta, ut in re & experientia contrarium appareat. Monet igitur. Nunquid audisti? Quasi dicat. Verbum tibi ista promittit, cui credas uolo, sensu non apprehendes, sensu diuersum accidet. Magna igitur res fides est, quæ inuisibilis amplectitur, & in ijs hæret, quæ nusquam sunt aut sentiuntur.

### Qui dat lasso uirtutem.

Quemadmodum in principio capititis monuimus, ita hic etiam uidemus, qui & qualis Dei sit populus. Pueri & iuuenes mundi, non sunt Dei populus. Præsumunt enim de potentia, iusticia, sapientia. Quare non opus habent uirtute & auxilio

## IN ESAYAM

xilio Dei , sed populus Dei sunt , quos hic lassos  
& carentes robore dicit , qui sunt oppressi pec-  
catis & alijs incommodis , apud hos locus est dia-  
uinæ uirtuti . Qui igitur peccata sentiunt , illi non  
debent fugere à conspectu Dei , sicut ratio & na-  
tura nostra solet , Sed potius ad Deum confugere ,  
qui non potest nobis esse Deus , hoc est , iustificator  
& saluator , nisi nos peccata & mortem habeas-  
mus . Porro maiestatem mundi & potentiam mun-  
di comparat florenti etati iuuenium .

## IN CAPVT. XLI.

**P**ergit in consolandis suis &  
confutandis aduersarijs . Addit autem  
prædictis fidem uno maximo exem-  
plo , quod omnium gentium historijs  
opponit , & probat suam potentiam per Abra-  
hamum , in quo duo prædicat . Alterum , quod eum  
defenderit , ut incolmis in terram Chanaan per  
tot infestas gentes perueniret . Alterum , quod ma-  
gnos illos reges parua manu fuderit . Hec inquit  
stultus & infirmus ego Deus per infirmum Abra-  
hamum feci , uos qui me contemnitis , si potestis , fa-  
cite simile aliquid . Porro insulas uocat omnes  
gentes , quæ idola colunt , quæ stultum & infir-  
mum Dcum iudicant & contemnunt . Compre-  
henduntur

benduntur autem sub Idolatriis maxime iusticiarij  
Iudei.

Mutent fortitudinem populi.

Mutare dixit, quemadmodum mutantur uen-  
stes, pro parent, instruant se.

Quis suscitauit ab Oriente iustum.

Quid? an ne hoc tantum est miraculum?  
Considera diligenter circumstantias omnes, et  
apparebit magnitudo diuinæ potentie, que hunc  
Abrahamum seruare incolunem potuit. Quid  
enim putas? In terra inimicorum habitauit, per  
terram inimicorum iuit. A terra inimicorum exi-  
uit, nullum usquam praesidium, nullus receptus ei  
fuit. Et autem res plenissima laborum et pericula,  
confiteri fidem suam, in medio Babylonis dice-  
re, quod Deus ipsorum non sit Deus, solum se ue-  
rum Dei cultum habere, omnium aliarum genti-  
um religiones impias et vanas esse. Hæc confite-  
ri est se quotidie certissime morti obijcere. Quod  
autem Abraham hæc fecerit, scriptura non dicit  
aperte, sed obscure significat, cum cum pium fuis-  
se hominem dicit, qui Deo credit. Nostrum autem  
est, qui legimus sacras literas, antecedentia et  
consequentia inde colligere. Si credidit, confessus  
est fidem. Si confessus est, sensit crucem, et omnes  
Sathanæ insidias, quibus et uitam et fidem oppu-  
gnauit. Merito igitur tanti fit hæc historia, et non  
frustra

## IN ESAIAM

frustra est quod Moses Gene. 12. tot uerbis eius  
professionem describit.

Quis dedit gentes & reges in con-  
spectu eius.

Hic tractat alterum miraculum. Quod  
nobis eò debet magis commendatum esse ut uidean-  
mus, quam potens res sit gladius, quando ex uera-  
bo Dei stringitur & ferit. Rursus quam hebes sit  
gladius, si preter mandatum Dei stringatur. Eius  
rei plura exempla habes in libris Regum. Est eti-  
am confirmatio gladij & magistratus hic obser-  
uanda, quod etiam Christianis (contra Anabaptis-  
tarum errores) & magistratus gerere & belli-  
gerari liceat.

Dedit eos gladio ipsius sicut pulue.

Has figuras nota, quod uis impiorum contra  
pios sit quasi puluis & stipula. Sed sunt haec fidei  
uoces, cum diuersum in specie appareat. Sola fides  
iudicat & credit, Turcam contra pios esse stipu-  
lam & puluerem, quem uentus proijcit. Caro autem  
diuersum sentit & iudicat.

Vocans generationes.

A particulari transit ad uniuersale. Eodem  
modo, inquit, uoco hos & illos. Sicut Paulus  
Acto. 12. constituere Deum terminos habitatoria-  
bus terræ.

Ego Dominus primus & nouissimus.  
Omnes

Omnes generationes terrae prætereunt, sed  
lus ego maneo in æternum. Sic omnis Idolorum  
cultus, omnes hæreses abeunt, Verbum Domini  
manet in æternum.

Viderunt insulæ, & timuerunt.

Est Propheta in consolandis pijs & ter-  
rendis aduersarijs, sicut in superiore capite insti-  
tuit. Iactauit igitur potentiam Dei, quem totus  
mundus infirmum esse iudicat. Nunc adducit eti-  
am aduersarios, & ridet eorum studia & consi-  
lia, quibus defendere suam idolatriam & cultus  
suos contra uerbum Dei conantur. Quanquam  
enim uideant sibi imminere exitium, & ideo me-  
tuant, tamen obstinati & indurati pergunt. Sicut  
nostrî aduersarij hodie faciunt. Vident hanc reli-  
gionis mutationē diuinitus factam esse. Vident suos  
cultus impios, & doctrinam nostram piam, & ex  
sacris literis acceptam esse. Sicut etiam publice  
quidam eorum confessi sunt. Fateri se, quod omnes  
articulos fidei pure & uere doceamus, & tamen  
ita excæcatum est cor eorum, ut agnitam uerita-  
tem obstinate dñnnent, persequantur, & perdi-  
tam uelint. Sicut in hac Mimesi prophetica uide-  
mus. Vident, inquit, ista & metuunt, nihilominus  
tamen propinquant, coniungunt se, conferunt ui-  
res & consilia sua ad idolatriam defendendam,  
& quanquam desperata res sit, se mutuo tamen

q      consolantur

## IN ESAIAM

consolantur. Omnino conueniunt hæc cum nostris  
Papistis hodie.

Textus hic male est redditus. Sententia autem  
ferè ita potest reddi. Faber lignarius adiungit si-  
bi aurificem, & laminam malleo super incudem  
percutiebant, & dicebant. Bonum est ad gluti-  
nandum, & firmabant clavis, ne commouere=

tur &c.

Et tu Israel serue meus.

Hactenus tractauit prosoopoæan idolotra-  
rum, & docuit, quam studiose resistant uera pie-  
tatis doctrinæ. Nunc addit amplissimas piorum  
consolations, & hortatur ut perdurent, & con-  
stanter ferant aduersam fortunam. Se enim illis af-  
futurum in omnibus malis. Quanquam autem hec  
proprie pertinent ad iniulgationem Euangeli,  
quod cum primum doceri ceptum esset, coniun-  
ctis uiribus & Iudæi & gentes opprimere cupie-  
bant, tamen recte accommodari potest generali-  
ter ad omnes, qui sunt in simili persecutio[n]e. Si-  
cūt nos hodie, & omnes qui pie uolunt uiuere.  
Christianus enim prouocat contra se Sathanam  
& totum mundum. Quemadmodum autem Apo-  
stoli huiusmodi Prophetarum locis se consolati-  
sunt. Ita nos etiam, qui habemus eundem Christum,  
& idem uerbum, qui etiam eosdem hostes senti-  
mus, talibus testimonijs erigere nos debemus.

Serue

Serue meus Iacob.

Hic significat causam, quare mundus contra  
pios sic insaniat. Sum Deus, inquit, qui putor a sa-  
pientibus mundi esse infirmus, & tamen sapien-  
tiam & potentiam mundi opprimo, & in nihilum  
redigo. Hac re offensi, quia in me scuire non pos-  
sunt, scuiunt in uos seruos meos. Nomen meum,  
quod inter ipsos prædicatur, crucifigunt. Id no-  
men quia uos serui mei profitemini, & portatis,  
idco in uos scuiunt.

Porro nomen serui admonet nos, ut simus certi  
de uocatione. Sic enim confirmanda conscientia  
est, ut dicas, quantumcunq; peccator sum, tamen  
haec doctrina & sapientia, quam profiteor, est ue-  
ra, & non mea, sed Dei, & ex uerbo Dei hau-  
sta & accepta. Hanc certitudinem qui non ha-  
bent, non poterunt in cruce consistere. Tum au-  
tem sentimus, quam infirma haec plerophoria &  
certitudo sit, cum tentamur terrore ire diuina  
& peccati, quare assuefaciendi animi sunt ad  
eum, & orandus Deus est, ut in temptatione nobis  
adfit. Præterea Nomen serui summam consolatio-  
nem continet, si respicias ad eum qui loquitur, qui  
scilicet creavit omnia, & si quoq; ad quem loqua-  
tur consideres, scilicet, ad afflictum & desertum  
hominem.

Quem elegi.

q 2 Ergo

## IN ESAIAM

Ergo omnia quæ facit, placent, ergo nulla  
peccata hanc electionem impudent.

### Semen Abrahæ.

Proprie pertinet hoc ad Apostolos, qui fuc-  
runt de ista massa carnis Abrahæ. Porro ad quos  
hoc uerbum uenit, illos etiam constituit filios Dei,  
& semen Abrahæ, quanquam proprie non sint  
semen Abrahæ. Cum his igitur tam suauiter loqui-  
tur Spiritus sanctus, cum quibus adeo tyramnicè  
loquitur Sathan in tentatione.

### Et non abieci te.

Quanquam nonnunquam sic apparet cum  
tentamur.

### Dextera iusti mei.

Id est, per dexteram meæ iusticie. Est insignis  
locus. Cum enim pij sic in mundo sint, ut fremant  
gentes, & reges insaniant contra Christum, ut ui  
& dolo infestemur. Nam & uita exponenda est  
periculis omnibus, & conscientia nostra non so-  
llicitat & urget. In his malis quid faciendum  
est? Respondet hic Deus & dicit. Ne timeas. Si-  
gnificat quidem desperatos & contemptos cre-  
dentes esse, sicut Paulus dicit, Intus pauores, foris  
pugnae. Et tamen monet ne timeamus. Quare hoc?  
Quia non sumus soli, et si enim nos sumus infirmi,  
imo prorsus nihil, tamen Deus est omnia. Etsi nos  
sumus

sumus peccatores, ipse tamen iustus est, & dicit.  
 Quis arguet me de peccato? Et sane nisi huius-  
 modi consolationibus nos crexerimus, quod non  
 soli simus, succumbemus in tentatione. Fiunt au-  
 tem hæc suauiora, si circumstantias omnes consi-  
 deres. Qui enim sunt, ad quos dicit, ne timeant  
 nempe miseri, absorpti, & deplorati homines.  
 Sentimus enim & uitam nostram male gestam, &  
 officium nostrum negligenter administratum.  
 Præterea incumbunt in nos & urgent metus mor-  
 tis, peccatum & Sathan. Ad hæc si conferas per-  
 sonam, que hic loquitur & iubet, ne timeamus, tum  
 demum cernes, quam magnifica hæc sit consola-  
 tio, que scilicet uictoriæ contra principes infé-  
 rorum & potestates aeris parit.

Vtitur autem hic nouo uocabulo quod dicit,  
 Dextera iusticiæ meæ. Alludit enim ad luctam fi-  
 dei. Cum enim nullam in nobis iusticiam, nulla me-  
 rita uideamus, & sentiamus nostra peccata &  
 demerita, pauemus, & desperatione sollicitamur.  
 Dicit igitur. Non debes tutus esse tua aliqua iu-  
 sticia, sed Dextera meæ iusticiæ te suscipiet, de-  
 fendet & seruabit, illa sola potest te seruare. Ne  
 igitur deiçiant animum peccata tua, iusticia mea  
 potius te erigat &c. Sic nititur fides in iusticia  
 aliena, quam nec sentit nec uidet.

IN ESAIAM  
Ecce confundentur & erubescen-  
t omnes.

Non solum confirmabitur fides & consci-  
tia tua, sed & aduersarios tuos uinces, Neq; hoc  
solum, sed subiugabis etiam, & conuertes eos.  
Porro aduersarij sunt non tyranni solum, sed &  
caro nostra, conscientia, mundus & Sathan. Con-  
tra hos omnes promittit uictoriam.

Omnes qui pugnant.

Hic uides, apud quos & inter quos Ecclesia  
uiuat, quod sit oppressa ab ijs, qui contra pugnant  
& qui contra dicunt. Quare hæ consolationes fi-  
de accipiende sunt, re enim contrarium experie-  
mur. Promittit enim dexteram apprehendentem,  
at nos sentimus dexteram grauantem peccatis, mi-  
nitantem mortem, & intentantem damnationem.  
Sic est fides rerum non apparentium, immo etiam  
contrarie apparentium. Omnes hæ promissiones  
stabant supra Iohannem Hus, & tamen exurba-  
tur in concilio Constantiensi. Adeo tum omnia di-  
uersa eueniebant. Nos autem iam uidemus uer-  
fuisse. Papatus enim confusus est, & perierunt ui-  
ri qui contradixere. Iohannes autem Hus tan-  
quam martyr Dei celebratur, & uiuit cum Christo.

Apprehendens manum tuam.

Vocat manum officium predicandi & docendi.  
Ego

## SCHOLIA.

124.

Ego adsum uerbo tuo , ut fructificet apud bonos ,  
et defendatur contra tyrannos et hereticos .  
Hanc apprehensionem manus nostrae non uident  
aduersarij nostri , impingunt igitur in eum , qui eos  
opprimet .

## Noli timere uermis Iacob .

Non solum uinceat aduersarios suos sancta Ecclesia , sed et dominabitur eis , et concubabit eos . Hoc autem totum fit per prædicationem Euangelij , quo iusticiam Christi prædicat , et nostram iusticiam damnat . Habes autem huius rei exempla in Actis , in concessionibus Apostolorum . Ibi uidere licet , quomodo Apostoli damnent iusticiam operum , et Iudeos triturent . Vocat uermem , quid enim sunt contra religionem Iudeorum , et contra potentiam Romanorum abiecti pescatores , pauci Apostoli et tamen utriq; et Iudei et Romanii ab his uermibus destructi sunt per prædicationem Euangelij .

## Ego posui te quasi plaustrum .

Est alieua similitudo à nostra consuetudine . Vos Apostoli primo , deinde omnes alij qui doceatis Euangelion , eritis tanquam plaustrum , quo triturantr fruges . Contundetis iusticiam et sapientiam , non gladio et ui , sed tantum uerbo . Sic nostro seculo tritura uimus , ut rucrent monasteria , Misse , Monachi , coelibatus , et alij montes , in

q + quibus

## IN ESAIAM

quibus regnum Papæ ædificatum fuit. Fecimus al-  
tem hæc tantum triturando, proposuimus iusticiam  
Christi, quæ est ex fide. Hæc tribula contudit An-  
tichristi regnum. Infeliciter tentarunt trituratio-  
nem hanc Munzerus & alij, qui gladio & sediti-  
onibus Papatum uoluerunt destruere. Infeliciter  
hanc triturationem ij quoq; tentant, qui contem-  
ptu Sacramentorum putant Papatum destrui. Ea  
enim re magis confirmatur & induratur.

Tu exultabis in Domino.

Manifeste significat antithesin. In Domino  
exultabis, non ex operibus aut iusticia tua.

Egeni & pauperes querunt aquas.

Propheta meo iudicio tres tentationes hoc  
loco descripsit. Prima est carnis, in qua deiici-  
muri cognitione peccati & infirmitatis nostre.  
Promittit igitur Deus se nos sua iusticia uelle su-  
stentare. Secunda tentatio est mundi, qua oppri-  
gnamur ui & dolo, propter uerbum & fidem  
nostram. Promisit autem nos uicturos & uentila-  
turos hostem sicut pulucrem &c. His non conten-  
tus Sathan, addit tertiam quoq;, & priuatim  
unumquemq; tentat diffidentia, desperatione, odio  
Dei, & blasphemias. Sicut testantur Hiob & Hie-  
remias. Hanc Christus quoq; tangit in Euangilio  
cum dicit, optabilius esse, nunquam natum esse. In  
hac tentatione incipit uere sitire lingua. Ipse  
enim

enim Sathan immediate, non per instrumenta, pugnat contra imbellem & pauperculum agnum. Promittit igitur se in his temptationibus grauioribus affuturum, & quanquam nulla spes aquæ & consolationis sit, tamen se obruturum nos gaudio & letitia spiritus.

Et non sunt.

Hæc est desperatio, qua in huiusmodi tentatione obruuntur animi. Neq; enim finis uel modus apparet, sed æterna uidetur futura tentatio. Ideo etiam inducit, neminem hanc afflictionem uidere, nisi unicum illum, quem Paulus etiam dicit Roma. 8. intelligere gemitum afflictorum.

Ego Dominus exaudiam eos.

Consolatio. Quanto maior penuria fuit, tanto maior erit copia. In ipsa desperatione præsentissimum sentietis auxilium. Porro discendum est ex huiusmodi locis, ut in tentatione perduremus, & e desperemus pertinacius, quo omnia desperatoria uidentur.

Ponam desertum in stagna aquarū.

Sunt figuræ, quibus significat se desperatis illis, qui uexantur paucibus conscientiæ, affuturum, ut uincant Sathanam, conscientiam & munendum, ut appareat gloria uerbi & fidei, quod sunt potentiora, quam Sathan cum suis, & quod Christus rex noster omnia in nobis superet, & triumphet.

¶ Ponam

IN E S A I A M  
Ponam in deserto cedrum.

Ferē steriles arbores, sed umbrosas hic numerat, ut significet pacem & solatium, quod sequitur temptationem.

Vt uideant & sciant.

Hic addit causam, cur Deus suos exerceat tot malis, conscientia peccati, sensu mortis, desperatione, potentia mundi, dolis Sathanæ, & alijs malis infinitis, nempe ut uideant manum Domini hæc fecisse, hoc est, ut mortifcent fiduciam iusticia propria, ex sentiant se nihil esse, ac desperent de sua sapientia, iusticia, potentia, aeq; expectent & orent auxilium à Deo. Hæc pestis ita alte infedit in nostros animos, ut uix infinitis his malis, quibus pij affliguntur, eradicari & tolli queat. Ideo sèpius subit animos desperatio, male nobis nostra cedunt consilia, excitantur hæretici, tyranni & Sathan cum suis angelis.

Prope facite iudicium uestrum,

Plenus spiritu Propheta exhortaturus ad fiduciam in Christum, stultum & infirmum illum coram mundo Deum, inflatur certitudine fidei & dicit, quod ille sit solus uerus & potens Deus, Id quod supre probauit à creatione & opere. Nunc autem probat ab efficacia & certitudine uerbi. Quemadmodum enim supra insultauit iusticiarijs, & alijs aduersarijs, & prouocauit eorum

Deos

Deos ad eadem facienda, que ueris Deus fecit,  
ita nunc prouocat ad eadem dicenda. Quasi di-  
cat. Neq; facere, nec loqui potestis, ut noster De-  
us, Sed omnia facta & dicta uestra sunt nihil &  
mendacium. Sed hic obijcitur, quod multa gen-  
tilium oracula fuerint uera. Respondeo. Sathan  
quia peritissimus est naturae, & experientia longa  
doctissimus, potest aliquando prædicere effectus  
cum causas eorum naturales instrui uidet. Sed ta-  
men eos quoq; plerunq; ambigue prædixit. Notum  
est Pyrrhi oraculum. Aio te Aeacida Romanos  
vincere posse. Item Croci illud, quod esset euersu-  
rus magnum imperium, si contra Cyrum pugna-  
ret. Hæc atq; alia uere Sathanica sunt, ut in fra-  
dem inducat homines, & aliquam opinionem diui-  
nitatis colligat. Præterea autem quia cogitationes  
& consilia magnorum principum serè nouit, po-  
test facile bella aut pacem prædicere, sed tamen  
illa quoq; perplexe & ambigue prædictit. Parti-  
culares autem prædictiones nunquam nisi obscuris-  
sime indicat, ut à nemine, nisi cum factæ sint, intel-  
ligantur. Sic multa in Lichtenbergero sunt, que  
priusquam fierent, nemo potuit intelligere. E con-  
tra, quicquid Deus loquitur, id est apertum et ue-  
rum, non flexiloquū, sed certo ita sit ut prædictit.  
Sic prædixit regnum suum mansurum, hoc manet,  
in uito Sathana, mundo, & portis inferi.

Priora

## IN E S A I A M

### Priora quæ fuerunt nunciatae.

Est obscurus hic locus propter Hebraisnum. In prophecia semper precedit uerbum, & cuen-  
tus sequitur. Vocat igitur priora, id est, prophe-  
ciam quæ precedit. Est autem sententia. Agite  
uos contemptores nostri Dei, facite periculum ue-  
stri spiritus, interpretamini nobis. Propheciā  
aliquam. Non solum ipsi aliquid certi prædicere  
non potestis, sed ne ea quæ iam prædicta sunt, in-  
telligere priusquam fiant.

Porro obseruandum hic est, duplex prophe-  
ciarum genus esse. Quædam enim propheciæ sunt  
generales, ut cum flagitosum aliquem uideo, pos-  
sum prædicere, nisi mutet uitam, fore ut misere-  
pereat. Quædam sunt speciales propheciæ seu  
particulares, ut, Cyrus reducat captiuum popu-  
lum. Huiusmodi particulares propheciæ sunt pe-  
culiare quoddam donum, ex nouo spiritus lunine  
contingunt. De his hoc loco Propheta agit. Ge-  
nerales autem propheciæ sunt omnibus Christia-  
nis notæ, fundantur enim in primo præcepto. Ego  
sum Dominus Deus tuus, uisitans iniquitatem pa-  
trum in tertiam & quartam generationem, & fa-  
ciens misericordiam his, qui diligunt me, in mil-  
lia. Hic uidemus, fore ut omnes credentes liberen-  
tur, & perdantur impij. Sed quo modo, per quos,  
& quo tempore liberandi pij uel perdendi impij  
sint,

sint, hoc ad particulares prophecias pertinet :  
Omnis igitur Christiani sunt prophetæ in genere.  
Possunt enim ex primo præcepto certo concluderetur, quod aduersarij sint perituri. Contra impij contemptores religionis et iusticiarij, de quibus Propheta hic agit, tam generali quam particulari prophecia carent.

Annunciate quæ futura sunt in futurum.

Hoc aliud genus propheciæ est. Supra enim prouocat eos, ut eas prophecias, quæ iam extabant, exponant. Hic autem monet, ut ipsi aliquid ex suo spiritu nouum prædicant. Duo enim sunt, prophecias obscuras exponere, & prophetare nouum aliquid.

Bene quoq; aut male si potestis facite.

Loquitur non de morali facto, sed de studijs iusticiariorum, quibus suam iusticiam stabilire, & nostram doctrinam abolere conantur. Vos, inquit, neutrum potestis, neq; prodeesse uestris, nec meis Christianis obesse. Concedit quidem aduersarijs conatum, sed negat successum. Hic obijcit caro. Imò plurimum promouent suam causam, An non Iudei Christum crucifixrunt? an non Apostolos occiderunt? &c. hoc certe est obesse alijs, & sua stabilire. Sciendum igitur est, quod hæc fidei uerba sunt, quæ non sunt consideranda secundum

## IN ESAIAM

tundum externam speciem . Nam eo ipso quo aduersarij pijs nocent , promouent pios , ipsaq; oppressio ueritatis redundat in gloriam . Quare frustranei sunt aduersariorum conatus . Iudei quidem crucifixerunt Christum , sed num ideo Euangelion oppressum est ? Imò Euangelion adhuc manet , & ipsi funditus interierunt , cum omni cultu suo . Et debebat sane hoc exemplum confirmare nostros animos , cum ab aduersarijs mactari pios , ministros uerbi ejci , ipsum uerbum & religionem diris edictis damnari à mundi potestatibus uidemus .

### Et loquamur .

Perstringit eos oblique . Quasi dicat . Non debetis opinacione canere ante uictoriam , declarante prius uires uestras , & post ubi uictores extiteritis , triumphate .

### Et opus uestrum ex eo quod non est .

Opus significat fructum & finem , quem suis studijs querunt . Sententia igitur est . Nihil promouebitis .

### Abominationis est qui uos eligit .

Abominationis est , quisquis uos & uestra probat aut sequitur . Id enim significat uerbum eligendi . Quo hoc etiam Propheta indicare uoluit , quod speciosa iusticiariorum sint opera & religio , que totus mundus eligat , probet & sequatur . Nihil

Nihil enim potentius est in mundo, quam superstitio. Ea est regina et imperatrix omnium quae in mundo sunt sublimia, sed coram Deo est ab hominatio.

### Suscitaui ab Aquilone.

Opponit iam suum exemplum. Vos, inquit, neque iuvare uestra, nec nocere meis potestis, uerū quando ego aliquid dico, illud certo fit. Accipio enim hanc sententiam generaliter. q.d. Quoscunq; uocero, siue ad perdendum, siue ad saluandum, ex quacunq; regione, illi certo uenient, et prædicant nomen meum, hoc est, faciunt uoluntatem meam, et que mandaui expediunt.

Ab Aquilone et ortu solis distributive intelligo, id est, Undecunq; uolucro, siue hinc, siue istinc, Ab oriente Chaldaeum ad saluandum, ab Aquilone Assyrium ad perdendum &c. Hoc uos idola non potestis. Alij de Christo hunc locum accipiunt, quod is quosdam ab Aquilone, quosdam ab Oriente sit uocaturus. Bona quidem sententia est, sed ego generalem sequor de omnibus siue ad perdendum, siue ad saluandum uocatis. Includitur autem in hanc generalem sententiam etiam Christus.

### Vocabit nomen meum.

Prædicabit, id est, exequetur uoluntatem et mandatum meum.

Adducet

## IN ESAIAM

Adducet magistratus.

Transibit super magistratus. Sic autem uos  
eat Pharisaeos & pontifices, principes religio-  
nis. Idem hodie nostris Papistis accidit, illi etiam  
sic conculcantur, non armis, sed uerbo Dei.

Quis annunciauit ab exordio.

Est repetitio. Cum uos non possitis argumen-  
ta diuinitatis edere, cui igitur tribuendus ille ho-  
nos est? Mihi nimirum, qui illa quæ à uobis requi-  
ro prestare possum. Vos nihil potestis.

Neq; audiens sermones uestrros.

Nihil potest ex uobis audiri, quia nihil di-  
citis, quod ad ueram religionem faciat. Alioqui  
satis multa & nimium multa garriunt.

Primus ad Sion dicet.

Verte sic. Primus ego qui ad Sion dico, ecce  
adest, & qui Hierusalem do Euangelistas. Ecce  
adsunt, dicit, quæ ego promisi, certo sunt. Ego do  
uerbum meum, & ministros uerbi populo meo.  
Ego igitur sum uerus Deus, uestra autem religio  
& iusticia nihil sunt.

Et uidi, & non erat ex istis quisquam.

Ridet aduersarios. Non possunt, inquit, con-  
sulere in dubijs rebus, non possunt afflictos conso-  
lari &c. Sic extra uerbum neq; consilium, nec so-  
latum aliquod est, sed omnia uaga & incerti-  
sunt, quibus conscientia non potest tuto inniti.

Adco

Adeo grauiter monet & tuctur nos hoc loco pro-  
pheta contra falsam religionem & doctrinam.

## CAPVT. XLII.

**A**Vdiuimus hactenus copiosam tractationem iusticie fidei, que quam infirma est in hac carne, tamen opposuit eam omnibus pompis Idolorum & humanæ iusticie, quod scilicet opera Dei stant & durant, & uerba Dei certasunt & fiunt. Electissima autem gentium, Idolorum & iusticiariorum esse abominationem dicit. Iam igitur redit ad Christum. Quasi dicat. Ostendam uobis, in quo ista, que iam prædicaui, cumulatissime inuehiatis, Christus is est. Hunc igitur proponit doctorem, magistrum, ac rectorem, quem audiamus, & in quo hæreamus. De cuius uerbo & opere simus certissimi.

Ecce seruus meus,

Hoc diligenter obseruandum est, quod seruum dicit, Quemadmodum Paulus etiam. Ego nihil scio, quam Christum (non dominum, sed) crucifixum. Ita enim debemus eum excipere, tanquam seruum, offerentem nobis diuinum uerbum, recipientem in se peccata nostra, subeuntem pro nobis penam, quam ipsi eramus meriti. Sed contempta  
v est seruū

## IN E S A I A M

*est serui species, quare eum Iudæi non receptarunt, & ipse Christus præmonet nos. Beati, dicens, qui non offenduntur in me.*

*Simul autem hoc nomine, omnia ministeria, studia, & opera tolluntur & damnantur, quod solus hic Christus sit seruus Dei. Impius ergo seruitus est Monachorum & totius Papatus, qui extra fiduciam huius scrui, seruire se Deo, suo uitæ generi, uestitu, ieconijs, clamore, & alijs nugis iactant.*

**Suscipiam eum.**

*Ego sustento eum, quiesco in eo. Sicut Paulus dicit, quod tota diuinitas in Christo sit corporaliter. Quare hunc Dei seruum audire, eiq; credere debent omnes. Solus hic seruus, qui tam ampla testimonia habet, certos nos, de bona patris voluntate facere potest. Huic si crediderimus, nos quoq; serui & electi efficiemur, quanquam sint in hac carne reliquæ peccati & summa infirmitas.*

**Iudicium gentibus proferet.**

*Erit alia persona, quam Moses, qui in angulo Iudaico latuit, hic enim sparget iudicium, hoc est, Euangelij uerbum in gentes errabundas, & uarijs sectis & cultibus Idolorum implicitas. Moses autem uerbum sterile erat, & habebat ipse blasphemam linguam. Huius autem lingua diffusa est gratia, quare uerbum quoq; efficax erit. Vocat iudicium, quod Euangelion simpliciter damnat omnem*

omnem iusticiam, & solius Christi iusticiam commendat & offert. Quia autem hæc uerbo tantum sunt, ideo scandalosa est doctrina, & contemnitur hoc regnum:

Non clamabit neq; accipiet personam.

Verte. Non clamabit, nec uociferabitur, non audiri faciet in platea uocem suam, id est, Christus docebit, sed sine clamore, non erit tumultuosus prædicator, sed placidus & suavis, Non audiri faciet uocem suam, id est, iræ & turbæ uocem, sed gracie uocem audiri faciet, Sicut iam addit.

Calatum quassatum non conteret.

Hic describit Christum gratissimis figuris, quod sit medicus perturbatarum conscientiarum, qui concussum calatum, hoc est, suaciam conscientiam, pusillanimes, exterritos cōspectu peccatorum suorum, infirmos in moribus & in fide non abjectiat, non opprimat, non damnet, Sed foueat, sanet, & amanter complectatur. Huius rei cum per totam scripturam plurima exempla sint, tamen in historia Euangeli plura & longe suauissima sunt. Vide Petrum ter negantem Christum. Vide reliquos Apostolos turpiter deserentes Christum. Hos non obiurgat acrius, non persequitur, non damnat Christus, sed suauissime allicit, medetur eorum paucoribus, & fratres etiam appellat. Vide mulierculam adulteram, Ioh. 8. Vide peccatricem r. 2. mulierem,

## IN ESAIAM

mulierem. Vide latronem in cruce, & cernes quae modo concussum calatum non frangat, sed erigat & confirmet. Hoc non faciunt iusticiarij, immo quanto illi diligentiores in suis superstitionibus sunt, tanto acerbius exigunt easdem ab alijs, nulla ratione infirmitatis aut conscientiarum habita.

## Linum fumigans non extinguet.

Commode uidentur mihi haec distingui posse, si prius ad conscientiam, & hoc posterius ad morum infirmitatem referas. Sicut sunt quidam iracundi, præcipites, leues, suspicaces &c. Maxime autem quos passionatos vocarunt. Hos, inquit, non abiicit Christus. Sic uideremus in Evangelio illam in Christo Xp̄sōt̄r̄a, quod discipulos mirabiliter nonnunquam ineptientes suauissime fert. Sic Paulus etiam præcipit, Alter alterius onera portate. Si igitur uides iracundum, suspicaceum, leuem aliquem fratrem, sic cogita, Hoc onus fratris mihi portandum est, quem non debeo reijs cere dum Christum confitetur. Debebat quidem fratrum uita candida & iucunda esse, sicut lux, sed nonnunquam à Sathanā, nonnunquam à carne commouentur ad tristiciam, ad iram, ad morositatem, Ibi ferendi sunt, ibi non est extinguendum linum, sed fouendum &c. Diuersum faciunt superstitioni & iusticiarij, qui ita morosi sunt, adeo acerbe de alijs iudicant, ut quantum in ipsis est, prorsus

prorsus extinguant linum. Christianus autem debet in conscientia esse medicus, foris autem in exterris moribus debet esse asinus, qui ferat onera fratrum. Aduersarij nostri sic ubi leuiter à nobis peccatum est, exclamant statim, Hæc cne uita Euangelica & hic cne Christiani mores sunt? Stulti homines & imperiti sacrarum literarum, non uident hanc Christianorum legem esse, ut ferant infirmos fratres. Ergo necesse est in Ecclesia sancta, esse infirmos, & tales, quorum factis offendamur. Sicut in corpore humano non ossa tantum, sed etiam infirma & mollis caro est. Quare regnum Christi constat ex portantibus & portatis. Et uita nostra est, compositum quiddam ex fortitudine & infirmitate.

### In ueritate educet iudicium.

Oblique aduersarios & hypocritas notat. Illi enim cum audiunt hanc debere inter Christianos Χριστὸν esse, ubi ergo, inquiunt, manebit mortificatio carnis, si sic ad uicia fratrum continuendum est? Dicit igitur, Christus in ueritate educet iudicium. Vos iactatis mortificationem, & simulatis bona opera, sed affectuum mortificationem prorsus nescitis, aliter Christus docebit suos, qui mortificabunt pestem illam, præsumptionem & φιλαυτιαν. Si autem in reliqua uita obrepit nonnunquam peccatum, habent orationem Do-

IN ESAIAM  
minicam, qua exposcunt ueniam, & renuntetur  
eis.

Vt ponat in terra iudicium.

Ipsæ statuet hoc regnum, ut sit firmum, quantum  
tumuis Sathan per principes mundi subuertere id  
conetur. Significat enim uerbo statuendi crucem.

Hæc dicit Dominus.

Hactenus commendauit nobis Christum, idem  
autem nunc quoq; facit, nisi quod sermonem iam  
ad ipsum Magistrum & ducem nostrum conuer-  
tit. Sunt autem omnia illa, Ego Dominus T E uo-  
caui, Ego apprehendi manum T V A M &c. ex-  
clusive accipienda, quod nullus alias, quam hic  
Christus, noster Doctor esse debeat. Sicut in Euau-  
golio etiam dicit. H V N C A V D I T E. Et hec  
quoq; ratio est, quod iactat potentiam suam, ut sci-  
licet pondus aliquod in uerbis esset, et nos ab alijs  
doctoribus audiendis uel sequendis absterreret.

Ego Dominus uocauit te in iusticia.

Epitasis est in uocabulo iusticiæ, id est, Vo-  
caui te ad docendam iusticiam, & propagandam.  
Quare extra Christum nihil est nisi peccatum.  
Moses & omnes leges, omnes doctrinæ in mun-  
do, præter hanc Christi doctrinam, nihil faciunt  
ad iusticiam, quæ coram Deo ualet.

Ego apprehendi manum tuam.

Ideo uidelicet, quia resistet tuo ministerio  
Sathan,

Sathan & mundus, cum omni iusticia, potentia &  
sapientia sua. Hoc experimur hodie, Quadrigæ  
enim Dei sunt salus, sed in luto aquarum, Abac. 3.  
Consolatur autem nos hic locus, quod manum Christi  
apprehenderit Deus. Hoc igitur primum sta-  
tuamus, quod hæc doctrina, propter quam mundus  
nos odit, Christi sit. Hoc cum certum est, non falle  
nos Propheta, sed experiemur, quod Deus manum  
Christi apprehenderit, & uerbum Euangeliū nul-  
lis consilijs, insidijs, nulla uia nec dolo poterit de-  
liri. Sed non apparet hæc apprehensio manus. Fit  
igitur, ut & aduersarij hanc doctrinam opprimi  
posse confidant, & nos per infirmitatem nonnun-  
quam trepidemus.

Dedi te in fœdus populi.

Vbi ergo manet fœdus Mosi & legis? Sic  
uno uerbo haurit, & abrogat totam legem cum  
omni iusticia, cultu & operibus suis. Facit autem  
hic locus ad stabiliendam conscientiam. Quia  
enim nihil pestilentius est, quam scrupulus con-  
scientiae, & dubitatio. Ideo dicit, Christum esse  
fœdus nostrum, ut simus certi de primo precepto,  
quod Deus in Christo & per Christum uult no-  
ster pater & Deus esse, quod Christus debet fœ-  
dus & pignus gracie esse, non aliqua nostra bona  
opera &c.

Et lumen gentium.

## IN ESAIAM

Non est foedus gentium . Christus enim Ihsus  
deis tantum promissus est , et fuit minister tantum  
Circumcisionis . Sed ex illo foedere , ex ministerio  
illo , lux in gentes spargitur . Simul obserua hoc  
loco exclusiam , quod extra Christum nullum  
foedus , nulla lux est , sed cæcitas , et imbecillia ex-  
ga Deum , et ira Dei .

Vt aperires oculos cæcorum .

Ergo omnes ad quos Christus uenit , eos in-  
uenit cæcos , id est , sine cognitione Dei , uinctos et  
incarceratos à Sathan , morte , peccato et lege .  
Hoc hyperaspistæ liberi arbitrij , hoc Papista non  
credunt , Hoc rident Luciani religionis contem-  
ptores . Ergo extra Euangelion nihil sunt nisi te-  
nebrae et carcer . Vt etiam si habeamus aliquam  
cognitionem , tamen uicti eam sequi et facere  
non possumus .

Ego Dominus , hoc est nomen meū .

Iterum iactat maiestatem et diuinitatem  
suam . Scit enim spiritus sanctus , quod hunc du-  
cem Christum maxime oderit mundus . Cur enī  
tot ordines inuenti , tot opera excogitata , tot mo-  
nasteria et collegia extructa sunt , quam ut obscu-  
raretur Christus , quem totus Papatus extreme  
odit et persequitur hodie ? Quare opus fuit hac  
commendatione .

Gloriam meam non dabo alteri .

Hic

Hic aperte facit exclusuam, & damnat  
quicquid non est Christi uerbum aut opus. Neq;  
enim puto Prophetam loqui de diuinitate, sed sim-  
pliciter de officio & opere Christi, ut intelligas  
gloriam iusticie. Quasi dicat. Gloriam meam non  
dabo alteri. Hic solus Christus iusticia tua erit.  
Qui igitur in hoc Christo fide non haerent, illi  
in iusti sunt et damnabuntur, etiam si occidi se pa-  
tiantur, & sanctissime in speciem uiuant. Huic uni  
Christo tribuo gloriam meam, ut iustificet cre-  
dentes in ipsum. Nulla igitur alia creatura, uel in  
celo uel in terra, nullum aliud opus ad iusticiam  
proderit. Hic uides blasphemam doctrinam esse,  
que iusticiam operum docet. Et nihil aliud est  
esperare se operibus iustum fore, quam uelle deum  
esse, & affectare diuinitatem. Hanc blasphemiam  
sequitur casus Luciferi, Quare piæ mentes hic be-  
ne sibi prossificant. Quod autem iusticiam glo-  
riam uocat, tangit quasi acu cor iusticiariorum,  
quod maxime in omnibus suis operibus & studijs  
querant gloriam. Sic Paulus. Volunt nos circum-  
cidi, ut in carne uestra glorientur.

Et laudem meam sculptilibus.

Quemadmodum hodie operibus, uotis, ca-  
ritate, simulata paupertate, missationibus & alijs  
nugis salutem & iusticiam querunt, Ita tempori-  
bus Esaie cultu sculptilium, excelsis, lucis, &  
alijs.

## IN ESAIAM

alijs similibus abominationibus, iustificari se credebant. Ideo facit mentionem sculptilium. Idolatria semper fuit mundo, sed alijs temporibus alia forma. Porro tu accommoda hæc ad omnes formas Papatus. Deus gloriam & laudem suam non dabit impio sacrificio Missæ, non sordido cuncto, non stultæ rasuræ capitis, non uanis regulis Benedicti, Dominici, Augustini &c. non Monachatui, non castitati, non paupertati, non obedientiæ. In summa nulli operi & nulli creaturæ.

## Cantate Domino canticum nouum.

Agit iam infirmo illi & stulto Deo coram mundo gratias, pro tantis beneficijs, quæ hactenus prædicauit. Simul indicat, quod nullus alias Dei cultus externus in novo Testamento sit, quam gratiarum actio. Et quia dicit, Cantate NOVVM canticum, abrogat omnem illum ueterem cultum Dei, qui in lege fuit. Finium autem terre & Insularum ideo meminit, ut reprehendat Iudeos, qui putabant Deum nusquam nec debere nec posse coli, quam in Hierusalem. Quasi dicat. Religio non est amplius ulli, uel loco, uel tempori, uel personæ alligata. Euangelion enim prædicabitur in omnem terram, & Christiani omnes erunt sacerdotes, & sacrificabunt oblationes spirituales, sicut dicit Psal. 110. hoc est, sacrificium laudis. Id enim est canere, laudare, prædicare, scribere, legere, beneficia Christi.

Clamate

**Clamate uillæ, quas habitat Kedar.**

Significat Arabes Orientales, ut sunt Ammonite & Nabathæi, & alij. Hi omnes, inquit, laudabunt Deum pro uerbo Euangelij, quod pertinget & perueniet in quæcumq; loca, culta & inculta, munita & non munita.

**Ponent Domino gloriam.**

Laudem Dei canent, & damnationem sui, hoc est, suorum operum, propriæ iusticie & sapientie.

**Dominus sicut fortis egredietur.**

Hæc nomina, fortis, Gygas, uir, bellator, zelus &c. significant crucem, ergo hoc regnum Christi est in medio inimicorum positum, ut cogatur Dominus exire tanquam bellator. Resistitur enim ei & opprimitur ui per tyrannos, & dolo per hereticos. Euangelion igitur, si speciem consideres, est miserabile & non gloriosum. Et cantare, de quo hic dicit, simillimum est ciuitati & fletui gementium & afflictorum. Nihilominus confirmat & consolatur lugubres cantores suos, & infirmas mentes, ut sustineant crucem, certo fore, ut diuinitus ab omnibus malis liberentur.

**Tacui, semper silui.**

Hic describit opera huius Gygantis, quod scilicet omnes nostros aduersarios funditus extirabit. Porro uerba illa, tacui, silui &c. indicant nullum

## IN E S A I A M

nullum apparere auxilium, sed omnia desperata  
esse, perinde atq; si Deus cum inimicis nostris,  
contra nos sentiat. Illa autem est infirmitas Christi,  
qui elati impij grauius in ipsum impingunt, ut  
cogatur crudeles & impios eorum conatus re-  
primere & dissipare. Clamat quidem cum pre-  
muntur pij, sed eius vox est quasi parturientis,  
contemnitur, neq; putatur posse resistere. Verum  
Christus tum est potentissimus, cum minimum pos-  
se iudicatur, & tum proxime adest auxilium, cum  
longissime putatur abesse. Porro debebant haec  
nos consolari & erigere, ne desperemus cum ui-  
demus Ecclesiam extreme periclitari, ut uicina sit  
exitio. Debet enim haec eius esse facies, sicut hic  
describitur, ut sit quasi parturiens, contra quam  
triumphet totus mundus, debet redigi in pericu-  
lum interitus, & tamen non interire.

## Dissipabo & absorbebo simul.

Christus infirmus in ipso articulo infirmia-  
tatis maxime metuendus est, Quare pij etiam in  
ipso articulo infirmitatis & oppressionis fidere  
debent. Contra impij in ipso articulo triumphi &  
victoriae metuere. Sunt autem haec in uerbo fidei  
posita, re non apparent, ino contrarium appa-  
ret.

## Desertos faciam montes.

Sunt allegorica. Montes sunt, omnes qui  
eminente

Omnibus in mundo iusticia & sapientia. Imprimis autem significat incredulam Synagogam florentem religione, sapientia, promissionibus & exemplis patrum. Gramen potest accipi pro discipulis. Arbores pro Prophetis, uel commodius fortasse est, si accipias gramen pro uerbo Dei & simplici scriptura, quam hodie Iudei & Papatus amiserunt. Stagna sunt populus abundans successu. Videlicet hæc adhuc hodie in Iudeis, & omnibus alijs hostibus Christi. Vbi hodie est Arrius, ubi Manicheus, ubi alij hæretici? Idem autem fiet de ijs, qui hodie Verbum & Sacraenta Christi prophanant.

Et educam cæcos in viam quam nesciunt.

Cæcos uocat pios credentes, qui nullum nec auxilium neq; consilium in caligine & afflictione uident, quibus nullus malorum finis appareret. Verbum igitur apprehendunt, illud intenebris lumen, ducit eos in via quam nesciunt, hoc est, in fide futurarum, ac non apparentium rerum, & confortatur & erigit infirmas mentes, ne desperent. Est autem hic insignis locus, qui maximam doctrinam continet, quod in omnibus periculis, in omnibus calamitatibus, in omnibus temptationibus debemus simpliciter claudere oculos, & sequi uerbum. Qui enim in periculis uidere uolunt, & circumspiciunt

## IN ESAIAM

spiciunt remedia & consilia , hi dolorem dolori addunt, & nihil aliud faciunt , quām ut se frustra fatigent & sint bis miseri . Alia uia est proposita , qua in medijs periculis uiuamus , ut claudamus oculos & credamus, etiam si nos cæci sumus, tamen Deum non esse cæcum , sed uidere exitum tentationis, sicut dicit. 1. Corinth. 10. Etiam si igitur in profundo maris essemus, sicut Ionas , tamen Deus uiam & modum uidet, quo te educat. Quis enim Io- næ dedit uiam, erat non solum cæcus, sed in duplicitibus tenebris . Sic nos quoq; debemus cæci esse, & nihil uidere, ut ipse solus omnia uideat . Ideo uult nos fieri similes puerorum. Aduersarij autem & omnes impij non sunt pueri, ideo habent oculos apertos, uarias semper uias & modos cernunt & querunt, quibus nos opprimant . Nos autem cæci sumus, ut ipse Dominus noster Christus det nobis intellectum, & firmet oculos suos super & in nos . Sicut fecit hoc nostro tempore sæpe. Defendit nos ab omnibus periculis, quæ his annis plurima in nos sunt excogitata, tot comitia principum turbauit, in quibus de nostris ceruicibus inita sunt confilia. Et sane Augustana hæc comitia quid aliud erant quām tenebræ, in quibus cæci errabamus. Positæ autem sunt tenebræ coram nobis in lucem. Idem porro etiam fiet, modo firmi in fide & uerbo perduremus. Exemplum huius cæcitatis in Israëlitis

*Israelitis ad mare rubrum propositum est, ubi simpliciter pereundum erat, & tamen seruati sunt.*

Porro non solum in corporalibus malis hoc consilium sequendum est, ut claudamus oculos, sed multo etiam magis in spiritualibus temptationibus. Tentatus igitur a Sathanā, cum nullum euadendi modum sentis, simpliciter claude oculos, & nihil responde, & commenda causam Deo. Atq; hæc summa Christianorum sapientia est, quam etiam in hora mortis sequi debemus. Ibi trepidat caro quod in nouam uitam immigrandum sit, & dubitatem de salute. Has cogitationes si sequaris, perijisti. Claudendi igitur hic quoq; sunt oculi, & cum sancto Stephano dicendum est. O Ihesu, in manus tuas commendō spiritum meum, Et tum certo adeat Dominus Ihesus cum angelis suis, eritq; tibi dux uiae. Hoc est quod dicit. Ponam eis tenebras in lucem. Fides enim hæc lux est, quæ apprehendit uerbum, & emergit ita ex omnibus periculis. Ideo Petrus quoq; & David, Lucernam pedum appellarunt uerbum.

*Conuersi sunt retrorsum.*

Rectius disponuntur hæ sententiæ sic. Sed qui confidunt in sculptili & dicunt conflatili, Vos dij nostri, illi conuertantur retrorsum, & confundantur confusione. Est clara sententia. Qui non uolunt

## IN ESAIAM

non uolunt Christo credere & claudere oculos,  
illi debent uidentes perire. Exempla hodie uide-  
mus.

Surdi audite, & cæci intuemini.

Est increpatio incredulorum Iudeorum.  
Loquitur enim hic de alijs cæcis, quam supra. Vo-  
cat cæcos per exprobationem. Habetis Propheta-  
tæ, habetis suaves & opulentas promissiones, sed  
cæci estis, estis surdi, negligitis uerbum, & quid-  
uis potius quam uerbum auditis & uidctis. Cum  
tamen omnis piorum sapientia in uerbo & auditu  
sit posita &c.

Quis cæcus nisi seruus meus.

Seruos suos uocat pontifices & sacerdotes,  
& qui erant in officio uerbi, de his dicit, quod  
sint cæci. Est horrendus locus, qui tamen nos con-  
solatur contra Papistarum insanos clamores, qui  
nullo alio argumento perinde nos premi putant,  
atq; cum obijciunt multitudinem Episcoporum  
& pontificum, quos impossibile fit omnes errasse.  
Idem licuit Iudeis, sicut uides ex hoc loco, contra  
Esiam dicere. Erratum est hic in uersione. Sic  
enim legendum est. Quis adeo surdus est, ut meus  
nuncius, quem ego mitto? quis adeo est cæcus, ut  
is qui perfectus est? Vocat autem perfectum, non  
a persona, sed ab officio, quod in summo sint grada  
du dignitatis & officij, scilicet, in ministerio uer-  
bi.

Qui uides

**Q**ui uidet multa, nonne custodies?

Hic apertius describit quales sint, garruli  
uidelicet, & promptuli ad docendum, qui multa  
docent, & tamen reuera nihil docent. Quiduis  
potius credunt & tradunt quam doctrinam fidei.  
Videre enim significat docere, prædicare. Hinc  
videntes, id est, Prophetæ. Simile est quod sequi-  
tur. Qui apertas habes aures, & non audis. Qua-  
lis enim preceptor, talis discipulus. Sic Paulus:  
Semper discentes, nunquam ad scientiam perue-  
nientes. Sumus autem hoc in Papatu experti. Do-  
ctorum satis magnus erat numerus. Abundabant  
quoq; auditores, & tamen in tanta doctorum &  
auditorum copia quis fuit, qui unum uersum Psal-  
terij, unum præceptum Decalogi, unam Domini-  
æ orationis partem teneret? Horrenda autem  
ingratitudo est, quod horum omnium oblii, nihili-  
lo excitatores sumus ad uerbum Dei, quod nunc  
opulerter in nos sparsum est.

Et Dominus uoluit, ut sanctificaret.

Verte sic. Complacuit Domino in iusticia  
sua, ut magnificaret & extolleret legem. Ipse au-  
tem populus &c. Ut sit idem cum illo Christi  
Matth. 11. Gratias ago tibi Pater, quod abscondi-  
sti hæc a sapientibus & intelligentibus, & reue-  
lasti ea parvulis. Agit enim de reprobranda iusti-  
cia humana, et statuenda iusticia Dei. quasi dicat.

## IN ESAIAM

Deus non ideo abiecit Synagogam, quod delectatur errore, sed delectatur iusticia sua, eam non potest magnificare, non potest statuere, nisi confundat iusticiam operum. Non potest nos gentes iusticia sua iustificare & saluare, nisi eos, qui gratuitam iusticiam respunnt, perdat, ut retrolabantur offensi & pereant. Delectatur igitur in iusticia sua, ut magnificet legem, id est, ut nouam quandam & admirabilem legem faciat, scilicet, legem fiduci, abrogata illa veteri Mosi lege, qua iustificamur sine ulla meritis & operibus, sola fide, que Christum & graciam per Christum datam apprehendit &c. Qui hanc nouam fidei legem nolunt, sunt populus direptus & vastatus, hoc est, patent lupis & seductoribus, qui eos diripiunt & desperantur. Quare diligenter articulus iustificationis, quem nos soli hodie docemus, discendus est & retinendus est. Hoc enim amissio, nulli haeresi, nulli false doctrinæ quantumvis ridicule & uanæ resistere poterimus. Sicut sub Papa accidit, ubi ea credidimus, quorum nunc nos pudet pigetq;. Rursus si manserimus in hoc articulo, securi sumus ab haeresibus, & retinemus remissionem peccatorum, que infirmitatem morum & fidei condonat. Non autem opus est ad hunc locum prolixiore commentario. Tantum respiciamus ad Papatum, & uideamus, quid istuc creditum, quid factum,

factum, quid passum sit, & apparebit direptio,  
uastatio, laquei, domus carcerum, & alia.

**Q**uis est in uobis qui audiat hæc.

Est ceu querimonia, qua eos excitare nititur. Dolet mihi, quod frustra hæc uobis dicuntur, quod nemo est qui credat his. Cogitur igitur Deus punire uos, qui oblatam graciam respuitis, immo etiam persequimini. Loquitur autem potissimum de ultima Iudeorum & Synagogæ destructione, & respicit in tempora Christi, cuius iusticiam impia Synagoga contempnit.

**Q**uis dedit in direptionem Iacob.

Auulsi à fide, expositi sunt direptioni & omnibus calamitatibus & erroribus. Non igitur uirtute Diaboli, sed uoluntate punientis Dei fit, quod hæretici tot discipulis abundant. Retundit autem presumptionem Iudeorum, qui non credebant se puniendos, quod essent populus Dei. Addit igitur. Nonne Dominus? de quo scilicet presumitis uos.

**E**t effudit super eum indignationem.

Scilicet, qui graciam, quæ per Christum offerunt, noluerunt. Nota emphasis, effudit, non stilauit, sed Cataractis iræ obruit.

**E**t forte bellum.

Scilicet, per lupos, hæreticos & cacodæmones, quod ex uno errore in aliud labuntur.

**S** 2 **Q**uod

IN ESAIAM  
Quod addit, non cognouit, significat nondum re-  
uelatum esse.

IN CAPVT. XLIII.

**P**ergit consolari Ecclesiam ex reliquijs Synagogæ congregatam, quæ discedens à lege, iusticiam fidei, quam Propheta uarie hactenus trā- etauit, secuta est. Quemadmodum autem supra Ecclesiam contra priuatas & publicas tentatio- nes, in quas Sathan & mundus eam coniicit, con- solatus est, ita nunc proprie eam consolatur con- tra scandalum paucitatis. Nam & Paulus in hoc argumento multum sudat, quod absurdum uidetur, Deum totum populum abieciisse, & paucos quoq- dam, eosq; contemptissimos, elegisse, præsertim cum toti populo sint factæ promissiones, & terret exemplum infirmas mentes, Cum enim uident Sy- nagogam abiectam, putant eadem ira erga se quoq; Deum usurum.

Et nunc hæc dicit Dominus, creans te Iacob.

Sunt ardentia uerba, quibus consolatur Ee- clesiam suam, & imprimis Apostolos cum reli- quijs Iudeorum. Ego creaui, ego firmaui te, noli metuere, quicquid doces, facis, credis donum & opus

*opus meum est. Ego redemi te captam sub Mo-  
se & lege. Hæc autem tum demum erunt grauia,  
cum personam loquentem considerabis.*

*Vocaui te nomine tuo.*

*Discernit Synagogam ab Ecclesia. Quasi  
dicat. Separaui te ab incredula Synagoga, in no-  
num fidei populum.*

*Mons es tu.*

*Accipio te in meam possessionem, ut meum  
sit quicquid tu es & facis. Sic cum Ecclesia do-  
cet, baptisat, Christus docet & baptisat. Cum pa-  
titur, Christus patitur, sicut est in Actis. Saule,  
quid ME persequeris?*

*Cum transieris per aquas.*

*Sunt insignes consolationes, quas generali-  
ter accipio de omnibus temptationibus. Non est  
quod cogites te solam & desertam esse, ego tecum  
ero in omnibus malis, consolabor, confirmabo, &  
defendam te. Ecclesia igitur ubi cuncti est, pati-  
tur. Inde facile liquet Papam cum suis non esse  
Ecclesiam, quia nullam norunt crucem, præter  
temporalem. Significat autem obscure etiam Pro-  
pheta studium, & Sathanicum impiorum odium,  
quo in Ecclesiam ardent, quod cupiunt & conan-  
tur eam tanquam diluvio obruere, & tanquam in-  
cendio haurire totam. Sed habemus hic contra tam-  
les minas insignem consolationem, fore ut serue-*

## IN ESAIAM

mur, etiam si nulla usquam euadendi appareat uia,  
Et sane haec promissio omnia aduersariorum con-  
silia irrita fecit, dissipauit tot Comitia, etiam illa  
proxima Augustana, quibus nihil uidebatur for-  
midabilius. Si autem firma fide in huiusmodi pro-  
missionibus haeretimus, et addiderimus oratio-  
nem, sentiemus porro etiam tutos nos ab omnium  
iniurijs fore.

**Quia ego Dominus Deus tuus sanctus.**

Addit. Ego sum sanctus Israel. Quasi dicat.  
Sum idem Deus, qui semper fui, non sum mutabilis,  
sicut tu iudicas. Tecum sum, non cum incredula  
Synagoga. Nam quod Apostoli discedunt a Sy-  
nagoga, habet speciem apostasie et seditionis.  
Sentiunt enim se esse populum Dei, et Synago-  
gam non esse populum Dei. Hic necesse est sæpe  
tentari animum, Quid si erres? Quid si tu sis ab-  
iectus, et illi seruati? Neque enim uerisimile est,  
Deum tantum multitudinem abijcere, et duos uel  
tres pescatores pluris facere, quam totum popu-  
lum. Sicut nunc nobiscum accidit, nos discedimus  
a Papa et dicimus, nos Christi ecclesiam esse, Pa-  
pam autem cum suis Antichristi ecclesiam esse. Iu-  
dicamur igitur seditionis et heretici, sed nostra  
non est culpa, nos non discessimus ab eis, sed ipsi  
discedunt a nobis, imo eiiciunt nos et uerbum no-  
strum ex sua Ecclesia. Hic necesse est nos quoque  
concludere,

concludere, quod sanctus Israel nobiscum sit &  
non cum Papa.

Dedi propitiationem tuam Aegyp.

Ad faciendam fidem repetit præterita be-  
neficia. Illa grandis mutatio Synagogæ & Eccle-  
sie perinde est atq; si alius nunc sim Deus atq;  
olim fui. Sed noli offendere pusille grex, sum enim  
ille idem Deus, qui sepius in hostes tuos poenam  
auerti, quam tu eras meritus, & dedi tuo loco ho-  
stes tuos. Idem nunc quoq; faciam, quantumuis af-  
flictus & pusillus grex sis. Nihil igitur te neq;  
tua paucitas, nec hostium multitudo offendat. Cum  
enim illi uidebuntur te direpturi, diripientur &  
perdentur ipsi. Porro Seba metropolis Aethiopie  
est.

Ex quo honorabilis factus es.

Dicit Ecclesiam gloriosam. Vbi? Coram  
me. Nam & conscientia nostra, & res ipsa, & to-  
tus mundus dicunt contrarium. Quare cum uide-  
mus desperatam rerum faciem, quod nihil in toto  
orbe nobis est uilius & contemptius, quod ipsi  
nostris & aliorum peccatis grauamus, quod su-  
mus infirmi in fide & moribus, quod etiam in fra-  
trum nostrorum oculis sordemus aliquando, cum  
habent quod in nobis reprehendant. Cum hæc, in-  
quam, uidemus, sunt auertendi oculi ab externa  
specie, & in huiusmodi promissiones coniisciendi,

IN E S A I A M<sup>1</sup>

que nobis ostendunt , non quid mundus , uel fratre  
s nostri , uel nos ipsi de nobis sentiamus , sed quid  
Deus de nobis afflictis peccatoribus sentiat , quod  
scilicet quantumuis abiecti in mundo , quantumuis  
desperati peccatores in nobis , quantumuis infirmi  
in fratrum oculis simus , tamen simus honorabiles  
& gloriofissimi coram eo , qui hic loquitur &c.  
Atq; hæc quidem externa facies , que nobis appa-  
ret , est uera mortificatio , uera humilitas & coll-  
uditio.

Ego diligo te.

Faciunt omnia ad consolandam memorabilia  
tem illum gemitum cordis , de quo Paulus ad Ro-  
manos dicit . Ego diligo te (dicit) hoc est , si sensu  
sum tuum & externam faciem sequaris , ego uia  
decor uelmenter odisse ex damnare te . Ita enim  
dicit conscientia mea , & sentit Deum esse carni-  
ficem & tyrannum . Quare discere debemus , ne  
iudicemus ex nostro sensu , sed ex uerbo Dei .

Et do homines pro te ,

Contrarium est uerum , si sensum sequaris .  
Soli enim Christiani affliguntur , alij florent in-  
columes . Est autem generalis promissio . Cum alij  
homines te iustiores , potentiores , sanctiores &c.  
uidebuntur , tu autem ab omnibus tanquam puti-  
dum & haereticum membrum damnaberis . Erige  
te & respice ad me , quod coram me es gemma  
preciosa ,

preciosa, quod glorificaberis, & homines pro te  
dabantur.

Noli timere, quia ego tecum sum.

Pergit consolari Ecclesiam, quæ paucitate  
credentium, & multitudine incredulorum per-  
turbatur. Noli metuere, inquit, eris fœcunda &  
multos habebis filios. Ab Oriente adducam semen  
tuum &c. id est, ex omnibus mundi partibus, ubique  
erunt qui meum nomen profitebuntur & religio-  
nem meam. Quod autem addit imperatiua illa  
uerba, da, noli prohibere &c. obscure significat,  
quod impij ui & dolis obnituntur, ne Ecclesia au-  
geatur, & uerbum latius euulgetur. Cuius rei ex-  
empla plura hodie uidemus quam uellemus.

Et omnem qui inuocat nomen meū.

Verte. Omnes qui uocantur nomine meo. Est  
autem quasi definitio Christiani. Habent enim no-  
men a Christo, & uocantur nomine Christi, non  
suo. Quare etiam Christi iusticia aliquid sunt, &  
non suis operibus aut studijs.

In gloriam meam creaui eum.

Erat antea natus ad gloriam suam queren-  
dam, iam autem postquam per spiritum sanctum  
nova creatura est factus, nihil agit, nihil patitur,  
nihil audit, nihil dicit, nisi quod referat in glo-  
riam Dei. Sic dannat Euangelion omnia humana  
studia & opera, & prædicat unius Christi iusti-  
ciam.

## IN E S A I A M

etiam. Qui igitur omnia haec ex corde potest dicere, facere, et uiuere, ille est creatus in gloriam Dei, et est noua creatura Dei. Porro mundus diuersum hic quoq; iudicat, et appellat pios facturam Diaboli, damnat tanquam hereticos, Quare opus est hac consolatione. Si quis uult curiose tria haec uerba distinguere. Creare est ex impi o pium facere. Formare est donis spiritus sancti ornare, fide scilicet, quæ sola format nouam creaturam. Facere, est absoluere opus, ut omnia quæ dicit et facit Christianus, sint opera Dei. Sic totus Christianismus extra nos est positus, in iusticia Christi, et misericordia Dei.

## Educ foras populum cæcum.

Prouocat iusticiarios sicut supra, quod de nulla re sint certi, quod nihil certi prædicere, et nihil certi docere possint.

## Vere uos estis mei, dicit Dominus.

Ad Apostolos proprie loquitur, quos consolatur et confirmat, ne illo scandalo offendantur, quod tam pauci sequantur Christum, et maxima pars populi abiciatur. Nolite, inquit, offendi paucitate uestra. Estis enim testes mei et uerborum meorum. Meum uerbum est quod docetis, ergo est certum, nec est quod putetis me alium nunc factum Deum esse, quod uerbum legis abrogavi. Et Euangelion prædicari iussi. Vestrum uerbum

uerbum & doctrina uestra mihi placet. Incredula Synagoge doctrina non placet. Est magna consolatione Apostolorum & Episcoporum. Sed quemadmodum in superioribus, ita etiam hic contrarium coram mundo apparet. Damnatur enim nostra doctrina tanquam hæretica & iniusa Deo.

Et ego Deus, & ab initio ego ipse.

Omnia ad consolationem Ecclesie, ex reliquis Iudeorum & gentium constitutæ dicuntur. Ne putet alium nunc Deum esse atq; olim fuit, Se enim non esse mutatum, sed uerbum tantum mutantum esse. Quemadmodum autem veteri populo afferit, ita se quoq; nouo populo affuturum, tantum ne desperent, aut a uerbo Euangeliū deficiant mortis scandalis Euangeliū.

Et non est in uobis alienus.

Scilicet Deus. Quasi dicat. Si hoc uerbum Euangeliū amplexi fueritis, nolite dubitare quin habeatis & colatis uerum & unicum Deum, qui semper fuit. Iudei enim quia promissiones carnis liter accipiunt, cum uident Christum in tanta infirmitate apparere, concludunt, Aut hic non est Christus, aut Deus non est Deus. Promisit enim alium Christum, non crucifixum, sed gloriosum. Contra has impias opiniones confirmat piorum animos hoc loco.

Vos testes mei.

Repetit

## IN ESAIAM

Repetit. quasi dicat. Sic obfirmate corda  
uestra, & eredite, uos esse populum meum, & me  
uestrum esse Deum, quantumuis reclamet Synago-  
ga, & se populum meum esse dicat, uosq[ue] tanquam  
apostatas & haereticos damniet.

Non est qui de manu mea eruat.

Sum idem Deus qui semper fui, quare uos  
populum meum, quantumuis paucos & contem-  
ptos, seruabo ac defendam. Aduersarios autem  
uestros damnabo & perdam, ut non possint impe-  
dire uos spargentes uerbum meum in totum or-  
bem. Significat enim hic multos populi sui aducra-  
farios esse, contra quos promittit defensionem.

Hæc dicit Dominus redemptor.

Pergit in amouendo scandalo mutati Dei  
& religionis, et probat a factis prioribus, se eum  
idem esse Deum, qui semper fuerit. Ego, inquit, sum  
idem ille Deus, qui dedi Cyrum, ut uos liberaret.  
Ego idem ille sum Deus, qui Pharaonem mersi in  
mari rubro, & uos incolumes per mare traduxi.  
Porro obscurat hunc locum temporum ratio.  
Loquitur enim tanquam constitutus in nouo Te-  
stamento, & recolit beneficia veteris Testamenti,  
& reductionem per Cyrum factam, tanquam pre-  
teritam commemorat, cum tamen longo tempore  
post Esaiam sit facta. Proprie autem significauit  
his exemplis cogitationes impiæ Synagogæ. Sie  
enim

enim dicebant. Ego Deum patrum meorum sea  
quar, qui nos ex Aegypto & ex Babylone redu-  
xit, Christum non sequar. Respondet igitur Chri-  
stus, Ego ille ipse sum, qui omnia illa feci, Credite  
igitur in me, neque putetis me alienum esse Deum.  
Sum redemptor uester, qui in cruce, mea morte,  
uos redemi a seruitute peccati & mortis. Sum  
sanctus Israel, qui sanctifico credentes, sicut Pau-  
lus uocat Ecclesiam, sanctificatos in Christo Ihesu.  
1. Corin. 1.

### Propter uos misi in Babylonem.

Futuram historiam tanquam præteritam re-  
citat, loquitur enim ad Ecclesiam noui Testamen-  
ti. Ego sum, inquit, qui excitaui Cyrus, ut Baby-  
loniorum monarchiam destrueret, & uos reduce-  
ret. Porro continet hic locus Theologicam sen-  
tentiam, quod regnum Assyriorum non propter  
sua peccata solum sit destructum, sed maxime pro-  
pter populum Dei liberandum. Cyrus igitur cum  
uniuersa sua monarchia minister & seruus populi  
Dei fuit. Sic Romanum quoq; regnum seruiuit Ec-  
clesie sub Augusto, ut pace parta, libere in omnes  
populos spargi Euangelion posset. Magna hec  
Ecclesie est dignitas, quod tantos monarchas ser-  
uos habet. Sed quis hanc gloriam uidet? Est enim  
abscondita ab oculis mundi.

Vestes

## IN ESAIAM

Vecetes uocat principes Monarchie Assyrioz  
rum, quos Cyrus opprescit.

**Q**uis dedit in mari uiam?

Ego sum, qui uos incolumes per mare <sup>ritua</sup>  
brum traduxi, & mersi Pharaonem hostem ue-  
strum, perinde ac si quis candelam in aqua extin-  
guat.

**N**e memineritis priorum.

Hic concludit. Cum ergo ego Christus idem  
sim Deus, qui omnia hæc feci, relinquite legem,  
amplectimini nouum Euangeliū uerbum, & credi-  
te uos uerum Deum, qui ab initio fuit, habere &  
colere. Est autem apertus locus de tota lege abro-  
gata, una cum sacerdotio & regno legis. Porro  
promissiones, quanquam in lege sint, tamen ad le-  
gem non pertinent. Ideo eas in nouo Testamento  
non abrogat, sed exhibet & implet per Christum  
filium suum.

**P**onam in deserto uiam.

Aperui olim uiam in mari, idem nunc faci-  
am, ut sentiatis me eundem Deum esse, sed noua  
ratione & modo nouo faciam. Ecclesia habet ui-  
am in deserto, Varie enim uexatur à carne, Sa-  
thana & mundo, in arido ambulat, esurit, sitit, si-  
cut est. 1. Corin. 4. Hoc mare, hoc desertum Eccle-  
siæ est, in quo ambulat, & tamen inuenit uiam per  
mare, perrumpit enim per omnia illa mala diuina  
virtute.

virtute. In deserto inuenit aquam, consolatur enim  
 & confirmat eam Christus spiritu & uerbo suo.  
 Bestias agri uocat principes mundi, quorum mul-  
 ti conuertentur. Notabis autem quod non dicit, se-  
 uelle auferre bestias agri, & desertum, sed pro-  
 mittit fore, ut in illis habeant consolationem &  
 successum, & perrumpant per medias tribulatio-  
 nes.

**Populum istum formaui mihi.**

Hic incipit distingue populum à populo,  
 & Iudaicum populum ab Ecclesia fidei. Abro-  
 gans simul omnia veteris Testamenti sacrificia,  
 & constituens noua. Illa uestra sacrificia, inquit,  
 fuerunt præludia futurorum, nec iustificabant:  
 Vera autem sacrificia, que ego probo illa sunt,  
 Laudem meam narrare, me prædicare. Id quod fi-  
 cri non potest, nisi uos & omnia uestra studia da-  
 mnetis &c. Mira in singulis uerbis est emphasis.  
 Est populus qui non se format, sicut iusticiarij, sed  
 formatur à Christo, & formatur non ad suas lau-  
 des, sed ad laudem Christi. Ea sunt uera sacri-  
 ficia, prædicare Christum, & laudare eum, damna-  
 re nostrani iusticiam, & studia nostra. Hoc uerum  
 est holocaustum, hoc est mactare bestias, & igni-  
 penitus abolere, ut nihil supersit nostrarum uiri-  
 um & studiorum.

**Non me inuocasti &c.**

Pronomen

## IN E S A I A M

Pronomen ME & MIHI per totum hunc locum diligenter obseruandum est. Inuocasti, laborasti, sacrificasti &c. sed non MIHI. Omnia enim opera, quantumvis diuinitus præcepta & sancta sint, si fiant cum opinione iusticie, sunt impius cultus. Quare subinde repetit pronomen cum negatione NON MIHI. Idolatria enim est sperare ex operibus iusticiam, quæ per solam fidem in Christi mortem contingit. Quid igitur ad hunc locum dicent Papistæ, si non profuerunt ad iusticiam cultus diuinitus institutus, & opera diuinitus mandata? quid proderunt ordines Monachorum? quid cucullus? quid Missa? quid uota? quid omnes totius Papatus stultissimæ nugæ, quas sine uerbo Dci suscepérunt? Desperata cœcitatem est, si non ad hunc locum obmutescunt, & agnoscent errores suos.

Adipe uictimarum tuarum non inebriasti me.

Id est, Non possum placari ullis tuis studijs, nulla tua opera mihi satisfaciunt.

Veruntamen seruire me fecisti.

Rectius uertes. Laborare me fecisti. Est insignis locus, quod uniuersæ iusticiæ legis, omnia, quantumvis magna, sancta, speciosa opera, nihil profint ad iusticiam corà Deo consequendam, sed sint tantu peccata, pro quibus satisfacere & laborare Christum

Christum necesse fuerit. Hæc autem nostra est iustitia, quod Christus laborauit. Atq; hic unus artius est nostræ fidei & religionis, quem totus mundus ignorat. Omnes enim alia doctrinæ ita iudicant, eum debere puniri, qui peccauit. Hic autem articulus diuersum docet, nempe quod nos peccemus, & aliis pro peccato satisfaciat, & peccati pœnam in se recipiat, sicut Iohannes dixit. Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Nulla igitur nostra pœna satisfacit, ne quidem pro minimo peccato, Sed unius Christi supplicium, pro omnium peccatis satisfecit. Hæc doctrina quia dissentit à ratione, ideo tot sectæ, tot satisfactionum genera, tot opera reperta sunt, quibus homines pro suis peccatis satisfacere conantur, sed frustræ. Quare hic locus diligenter cognoscendus est. Continet enim maximos nostræ fidei articulos. Dicit se esse cultum à populis, ergo significat se esse Deum. Dicit item se laborasse, ergo est factus homo, & mortuus pro peccatis nostris. Non tamen superatur, sed tantum laborat, ergo resurgit à morte &c.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo ini-  
quitates tuas propter me.

Est textus non solum didacticus, sed & con-  
futatorius. Continet enim grauissimas antitheses.  
Ego, Ego, non tu, Propter me, non propter te, aut  
t opera

IN ESAIAM  
operatus. Sic abrogat omnia opera & studia,  
quibus uolunt homines delere peccata.

Narra, si quid habes ut iustificeris.

Prouocat iusticiarios, qui operibus legis se  
iustificari confidebant. Agitc, si aliam rationem,  
qua iustificemini, nouistis, afferte eam. Quod enim  
iactatis illa uiuendi instituta, & leges uos a patri-  
bus accepisse, nihil moror. Fuerunt enim & pa-  
tres uestris peccatores. Quia igitur aliam iusti-  
ciam statuitis, ideo uos cum omni uestra iusticia  
& operibus uestris abijcam. Idem dicit, quod est  
in Actis. Non est aliud nomen sub cœlo, in quo  
saluamur. Quicquid igitur produxeris ad iusti-  
ciam tuam stabiliendam, præter Christum & sine  
Christo, hoc damnatum, impium & blasphemum  
est.

Pater tuus primus peccauit.

Non accipio de Adam, & de peccato ori-  
ginis, sed generaliter singulare pro plurali acci-  
pio, ut confutet commune omnium sœculorum ar-  
gumentum, quod obijciunt nobis autoritatem pa-  
trum, sicut hodie dicunt. Ego sequar maiorum  
ueritatis tot sancti uiri ignorasse, & uiam  
Patres tui, inquit, etiam errauerunt.

Principes sanctos.

Sanctos uocat sicut Roma. 9. quorum adoptio,  
gloria

gloria, testamentum, lex, cultus, promissiones,  
quorum patres, ex quibus natus Christus secun-  
dum carnem &c.

Dedi ad anathema Iacob.

Hoc est simpliciter abijcere populum cum  
tota lege, & toto cultu legis.

## CAPVT. XLIII.

**T**ribus superioribus capitibus tractauit iusticiam fidei. Addidit uarias eius iustiae & Euangeliij predicationes. Item confutationes iustiae propriæ, tum consolationes piorum, & minas contra impios, qui contra hanc iusticiam pugnant. Postremo totam legem cum sacerdotio & regno abrogauit. Iam igitur totum hunc locum, quasi epilogo claudit. Quasi dicat. Ut summatim dicam. Hac iusticia seruari nos necesse est, aut cum impijs peribimus, sicut autem in epilogis solet, addit exhortationes & consolationes. Promittit enim Ecclesiæ semen & posteritatem.

Effundam aquas super fitientes.

Confitetur Ecclesiam esse fitientem & aridam, quia est in perpetuo æstu, nec uidet nisi sui damnationem & ignominiam. Dicit igitur, noli

tibi timere,

## IN ESAIAM

timere, obruam te fœcunda pluia, ut prouenias  
tibi copiosum semen. Dabo spiritum sanctum, qui  
consoletur te, & riget, ne desint posteri, qui Euangeliō latius spargant.

Germinabunt.

Respicit ad primum Psalmum.

Iste dicit, Domini ego sum.

Sunt distributiae accipienda. Christiani erunt  
per totum orbem dispersi. quasi dicat. Hic, &  
isthic, & ubiq; erunt Christiani.

Hic uocabitur nomine Iacob.

Est clarissimus locus de uocatione gentium,  
quod sint æquandæ Iudeis & filijs Abr. hæ, eo-  
rumq; nomine appellandæ. Oportet enim intelligi  
locum de illis qui ante non uocabantur Iacob, nec  
sunt de carne Iacob nati, sed de gentibus. Sunt autem  
huiusmodi loci diligenter obseruandi, in quibus  
promittitur translatio nominis, gentilitatis, et  
hæreditatis, quod sint Iacob, non solum quibus fa-  
sta est promissio, sed etiam gentes. Sic etiam  
Psal. 88. De Zion dicit homo, & homo natus est  
in ea. Dicit enim eo in loco de gentibus, Tyro,  
Sydone, Aegypto &c.

Scribet manu sua Domino.

Id est, confitebitur Dominum, ita ut nihil  
inter gentes & nos Iudeos intersit. Sicut dicit  
Petrus in Actis. Deus nihil discrevit inter eos &  
nos. Ego

Ego primus & ego nouissimus.

Est simile superiori. Nolite offendere quod  
ab ijsiam legem & populum legis. Sum enim idem  
omnipotens Deus, qui fui ab initio.

Plastæ idoli omnes nihil sunt.

Ridet iam Idolatras, ad confirmandos &  
animandos pios, ut cogitent scilicet, quantis erro-  
ribus sint liberati, & Deo pro tanto beneficio  
agant gratias. Sic nos quoq; confirmamur in no-  
stra doctrina, cum subit animum illa Papisticæ ren-  
igionis impetas & stultitia. Quare male illi no-  
bis consulunt, qui nolunt monstra Papatus pro  
concionibus exagitari. Hoc enim agit Sathan, ut  
sublatis illis abominationibus ē medio, nos per  
speciem religionis ad Papatum reducat. Prodest  
igitur monstra monastica, satisfactio-  
nes, purgatorium, invocationem sanctorum, appa-  
ritiones demonum, & alia portenta, semper ob-  
oculos esse, ut animus odio occupatus, non redeat  
ad priorem impietatem. Eo enim consilio Esaiam  
quoq; hoc loco commemorare idolatrarum studia  
uidemus, & excitamur simul, ut gratias Deo pro  
summo hoc beneficio agamus, quod à tanta impie-  
tate liberati in Euangelij lucem traducti sumus.

Notabis autem quod addit. Amantissima eo-  
rum sunt nihil, hoc est, optima eorum opera, qua  
faciunt in idolatria, sanctissima studia, quibus tri-  
t 3 buunt

## IN ESAIAM

buunt uitam & salutem suam, illa sunt nihil.  
Quemadmodum autem Esaias hæc de Idolatris  
sui temporis dicit, ita nos ad nostra tempora ac-  
commodare hunc locum debemus, quod pulcher-  
rima opera Papatus, ut sunt Missæ, orationes, uo-  
ta, castitas, paupertas &c. non solum non iustifi-  
cent, sicut ipsi opinantur, sed damnent etiam ac  
perdant.

Non autem formatores solum Idolorum, &  
opera eorum damnat, sed hoc etiam addit, quod  
testes eorum sunt cæci & nihil uideant. Hoc est,  
quod omnis eorum doctrina uana, incerta, & no-  
xia sit. Sicut Paulus etiam dicit, Nescientes de  
quibus affirment. Hebraismus est uidere, pro præ-  
dicare, docere.

Concludit igitur & pronunciat de omnibus  
religionibus & studijs, quæ sunt extra fidem in  
Christum, quod finis eorum sit confusio. Miserum  
igitur est tot labores subire, tot opera instituere,  
ex quibus nulla alia utilitas redeat, quam confu-  
sio aeterna.

Quis formauit Deum?

Est consultatio & increpatio eorum qui  
non formantur à Deo, hoc est, non uolunt iustifi-  
cari ex gratia, sed formant ipsi sibi Deum, id est,  
iustificare se uolunt operibus & studijs suis. Sic  
omnis Monachus est formator Dei, quia fingit sibi  
Deum,

Deum, non ex uerbo, sed ex suis cogitationibus, quod Deus delectetur hac regula, hoc uestitu, his notis &c. Sic omnes iusticiarij formant sibi Deum, qui delectetur operibus, que ipsi faciunt.

Ecce omnes participes eius confundentur.

Omnis religio, omnis iusticia, quae sunt extra iusticiam gratiae, confundentur.

Fabri enim sunt ex hominibus.

Insigne Epiphonema, quod continet rationem superioris sententiae. Per fabros enim significantur iusticiarij, qui se uarijs operibus discrificant. Quod autem alium lignarium, alium ferrarium fabrum fingit, indicat diuersa esse iusticiariorum studia, quorum aliis hoc, aliis alio opere uult sibi Deum demereri. Omnes tamen hanc doctrinam fidei & gracie oppugnant. Imprimis autem obseruabis hoc loco, quod addit, ex hominibus. Continet enim principalem nostrae doctrinae locum, quod quicquid non est definitum uerbo Dei, est abominabile & diabolicum, si per id placare Deum presumamus. Quare nihil debemus neque facere, nec docere, nec credere, nisi quod certissimo Dei uerbo est mandatum. In ijs autem quae non sunt conscientiae, nec pertinent ad iusticiam coram Deo statuendam, tuto possumus sequi, doctrinas hominum, ut in Oeconomia & Politia.

## IN ESAIAM

Sapientia enim administrandi eas res, nobiscum  
creata est, & pertinent eae res tantum ad corpo-  
ralem uitam. Sed conscientias regere non nisi uer-  
bo Dei possumus & debemus. Ideo damnat eos fa-  
bros Esaias, quod sint ex hominibus. Porro copio-  
sa & longa descriptio fabrorum ostendit misera-  
riam impie religionis, cuius fructus sunt, labora-  
re, fatigari, affligi, & tandem post summos labo-  
res confundi.

Curuatur ante illud, & adorat illud.

Stulta nobis & ridicula haec uidentur, sed  
quid aliud facit sanctus Hieronymus, dum ὑπα-  
στολία ligneari crucem adorari iubet? Quid  
aliud facit Franciscanus, qui putat se damnatum,  
si non cingatur fine, si non radatur capite, si non  
uestis sordida eum tegat? Facere igitur inficiam  
ex cingulo, rasura, ueste, an non extrema stultitia  
est? Adorare ea, an non extrema est impicias? At  
negant se adorare. imò reuera adorant, cum exca-  
dunt, Deum illas nugas respicere, & placere  
Deo. Hoc autem est proprius contra primum pre-  
ceptum, Non habebis Deos alios. Credere enim  
quod huiusmodi operibus placetur Deus, est fin-  
gere & formare idolum, & id colere. Verus enim  
Deus is est, de quo scriptum est. Oculi tui respici-  
unt fidem.

Nescierunt neque intellexerunt.

Neg

Nego; sciunt, quis sit uerus cultus Dcl, nego; de cultu Dei iudicare possunt. At cogitare debent, quemadmodum lignum, quod comburitur non est deus, neque iustificat, ita nec reliquam ligni partem, ex qua Idolum formatur, esse Deum. Sic Monachus non cogitat, quod quemadmodum pannus in curru non iustificat, sic nec pannus cuculli iustificet, Quod sicut funis, quo alligatur equus, non iustificat, ita nec iustificet funis, quo se cingit. Tribuunt autem cucullo & funi iustificationem, quia peccatum esse dicunt, Franciscanum sine cucullo & sine fune incedere. Sic sunt huiusmodi loci ad nostrorum idolatriam accommodandi. Hoc enim Propheta toto hoc loco agit, quod quicquid extra fidem est, est idolatria, siue ferrea, siue lignea. Una igitur religio, unus Dei est cultus, credere remissionem peccatorum gratuitam, sine operibus uel sequentibus uel precedentibus.

### Memento horum Iacob & Israel.

Vult remanere memoriam idolatriæ apud posteros, ut & gratias Deo agant, quod ex tanta impietate, beneficio Euangeli sint liberati, & discant timere Deum, qui nisi nos seruet, facile est in eisdem errores relabi. Sic nullo modo obliuisci eorum conuenit, quæ impie in Papatu & fecimus & credidimus. Quid enim stultius, quid magis contra Christi gloriam est, quam iusticiam tri-

## IN E S A I A M

bueret sordido cucullo? Et tamen ea opinio ita fixa fuit in animis hominum, ut etiam mortuorum cadavera cucullo involuta humarent. Eiusmodi sunt innumera alia, quorum utinam catalogus quidam texeretur. Pleraque enim talia sunt, ut apud posteritatem uix habitura sint fidem, & tamen ea nostra fuit stultitia, ut tribueremus eis opinionem iusticiae, & remissionem peccatorum.

Deleui ut nubem iniurias tuas, & quasi nebulam peccata tua. Reuerte re ad me, quoniam redemi te.

Hic tanquam fasce repetit principalem huius totius loci conclusionem, quod nulla religio, nullus cultus, nullus Deus alius remittat peccata, & redimat, prater unum Christum, idque gratis. Est igitur insignis descriptio Christi & officij Christi, quod sit perpetuus sacerdos, placans nobis Deum, & delens peccata nostra, uincens mortem & infernum. Hæc alia longe doctrina est, quam ut Monachi & Sophistæ eam intelligent. Illi enim ex Christo iudicem & carnificem conscientiarum faciunt. Inde tot meritorum, tot operum generarum sunt reperta, quibus placari iratus iudex posse.

Addit. Reuertere ad me. Quasi dicat. Officium meum est saluum facere, hoc feci, peccata, mortem, Sathanam & infernum in cruce deuici, profligau

profligauit imperium legis. Iam tu quoque respon= de uicissim tuo officio. Accipe ea quae tibi offero, conuertere ad me redemptorem tuum. Sic reue= cat ab omnibus alijs doctrinis & religionibus. Ri= diculum autem est, uelle ex huiusmodi locis effi= cere, quod sit in nobis uis, conuertendi nos ad De= um, sine gracia. Nam quibus Deus hoc suum uer= bum communicat, ijs etiam facultatem dabit, ut uerbo credant. Neque enim frusta & sine fructu docetur uerbum Dei. Deinde hoc conuerti, de quo hic dicit Propheta, non solum est fidei, sed & doctrinæ, ut alios quoque conuertamus, qui per im= pias doctrinas auersi sunt, ut exhortemur, ut con= solemur desperabundas mentes &c. Est enim ma= gni negotij hunc articulum iustificationis retine= re contra Sathanam, hereses, & rationem no= stram.

Laudate coeli, quoniam misericordi= am fecit Dominus.

Postquam absolvit doctrinam gracie & ex=hortationem, iam quoque gratias agit de tanto do= no, Id quod commode fit in Epilogis. Quod autem Latinus uertit, Misericordiam fecit Dominus. In Hebreo est. Quia Dominus fecit. Respicit enim ad superiora. Quasi dicat. Solus Dominus est factor & creator. Quod Dominus dicit, hoc fit, promis= tit iusticiam in uerbo gratis, eam exhibet & do= nat. Idola

## IN E S A I A M

nat. Idola autem & eorum doctores sunt vani nus-  
gatores, Si quid dicunt uel promittunt, non con-  
fit, sicut supra dixit. Finis eorum est confusio.

Notus Hebraismus est. Laudate cœli, id est,  
qui estis de cœlo, uel sub cœlo. Ut si dicam. Lau-  
det Albis Dominum, pro dono uerbi inuulgati, id  
est, iij qui sunt ad Albim.

Hæc dicit dominus redemptor tuus.

Finita disputatione de fide in Christum, &  
doctrina fidei, sternit fibi uiam ad populum in ca-  
ptiuitate Babylonica positum, qui erat per Cy-  
rum liberandus. Quasi dicat. Seruare uerba mea,  
quæ dico. Sic fiet, ut præter omnium opinionem li-  
beremini per meam potentiam, utcunq; alij me  
tanquam infirmum Deum rideant.

Formator tuus ex utero.

Hic uides liberum arbitrium.

Ego sum Dominus.

Respicit Idola. Confutat enim omnes eone-  
trarias religiones, ut dicamus, Deus Turcarum,  
Iudeorum, Papistarum nihil facit. Noster autem  
Deus facit omnia. Hoc enim uult, cum dicit, Ego  
sum, & nullus tecum.

Irrita faciens signa diuinorum.

Diuinos uocat doctores aliarum religionum,  
qui non iusticiam fidei docent, sed opera. Horum  
doctrinam significat & falsam & stultam esse.  
Talem

Talem nos experimur hodie Papistarum religionem esse.

Suscitans uerbum serui sui.

Sicut in principio dixit, ita etiam concludit. Verbum Domini manet in aeternum. Consilium uocat uerbum Euangelij, quo consulitur conscientias. Sicut etiam supra nono capite Christum consiliarium uocat.

Qui dico Hierusalem, habitaberis.

Hic pergit ad Cyrus, & tanquam de praeteritate loquitur, que erat futura. Ideo autem hoc uaticinium de Cyro proponit, ut consoletur pios, ne desperent de regno Christi futuro, quod his quatuor capitibus descripsit. Quia enim ferè nihil redacturi Babylonij Iudeos erant, periodabantur omnes promissiones de Christi regno, & cum per Babylonios regnum & sacerdotium Iudeorum, una cum templo & ciuitate Hierusalem essent uastata, nulla spes erat de Christi regno. Promittit igitur se reducturum populum per Cyrus, & restituturum regnum cum sacerdotio, ut promissum Christi regnum, populo incolumè exhibeat.

Qui dico profundo, desolare.

Commendat suam potentiam generali dicto. Allegorice tamen de rege Babylonio accipi potest. Quemadmodum exiccaui rubrum mare, ita etiam

IN ESAIAM

ita etiam possum Tygrim & Euphraten exicare  
cum suis princibus.

Et omnem uoluntatem meam &c.

Reducet Cyrus populum meum, & faciet  
iterum habitari Hierusalem.

IN CAPVT. XLV,

**I**c incipit Propheta de restitu-  
endis Iudeis per Cyrum. Porro hoc  
admodum insigne & notatu dignum  
est, quod Cyrum uocat Messiam Dei.  
Messiae enim nomen generale est, &  
significat regem, quod reges inungerentur. Quod  
autem addit, Meo Messiah, hoc de nullo gentili  
rege legitur. Quare libenter credam Cyrum san-  
ctum fuisse, ut reductio populi, & restitutio regni  
& sacerdotij fuerint fructus fidei.

Vt subiçiam ante faciem eius gentes.

Victoriae etiam gentibus de cœlo dantur, &  
constituuntur ac euertuntur regna diuinitus. Si-  
cūt hic locus ostendit. Huc affer multas similes sen-  
tentias ex Daniele. Porro Baltheus significat ad-  
ministrationem regni.

Vt scias quia ego Dominus.

Hæo omnia tibi dabo, inquit, ut uenias ad  
cognitionem mei. Quæ enim hactenus dixit, dixit  
de Cyro

de Cyro adhuc incredulo. Magna autem res est,  
& dignissima admiratione potuisse eum credere  
in Deum Israel uictum à Babylonio rege, quem  
tamen ipse Cyrus uicerat.

Propter Iacob seruum meum.

Nota hunc locum, quod constituuntur &  
elevantur regna propter pios.

Affimilaui te, & non cognouisti me.

Verte sic. Nominauit te cum me nondum co-  
gnosceres. Sunt magna præconia, quod uictus à  
Babylonij Deus Iudeorum, omnes has præclaras  
victorias Cyro dederit, ut igitur cum confirmet  
contra hoc scandalum infirmitatis addit.

Ego Dominus, & non est aliis.

Quanquam triumpharint contra me Baby-  
lonij, tamen ego scilicet sum uerus Deus, & non est  
alius Deus præter me.

Formans lucem & creans tenebras.

Lucem & tenebras allegorice accipio, pro  
successu & calamitate. Quasi dicat. Si petitis pa-  
cem & liberationem, postulate eam à me. Si me-  
tuitis calamitatem, me timete. Ego enim utrumq;  
creo. Est necessaria hæc iactatio potentia contra  
scandalum infirmitatis. Fuit enim Deus Iudeorum  
tum tanquam blasphematum idolum inter gentes,  
quod non liberasset populum suum à captiuitate,  
& non defendisset à ui, quam impius rex Dei po-  
pulo

## IN ESAIAM

pulo attulerat. Et hoc scandalum etiam pios animauit. Quare iam adhortationem instituit.

Rorate cœli desuper & nubes &c.

Celeber hic locus est in ecclesia Papistorum, & illustre argumentum ignorantiae, quod ad beatam Virginem eum accommodarunt. Nos autem scimus agi in hoc capite de promissa liberatione per Cyruum. Hic igitur locus Mimiticus est. Dicitur enim in persona eorum, qui in captiuitate erant, & continet inerrabilem piorum gemitum, qui sentiebant se tantis malis premi ob peccata sua. Quasi dicant. Ecce sumus priuati sacerdotio, & regno, templo & omni cultu Dei, translati sumus in gentes. Ibi respondent nobis peccata nostra, Ea nos sic urgent, ut nulla salutis usquam spes sit. Nemo enim usquam est iustus, qui placare tantam Dei iram possit. Utinam igitur cœli rorent, & depluant iusticiam. Utinam contingat nobis diuinitus remissio poccatorum, & spiritus sanctus, qui nos perfundat gratia. Sic futurum esset, si primo sublata essent peccata, & reconciliatus Deus, ut reduceremur. Neque enim spes est fore ut cesset poena, dum manet reatus & culpa. Disrumpere igitur cœlum, & descende, Asperge nos iusticia tua, & breui fiet, ut restituamur &c. Est insignis locus, qui docet nos de omnibus temptationibus. In omni enim calamitate & pena terremur

terremur peccatis nostris et ira Dei. Inde sequuntur huiusmodi suspiria, qualia hic Propheta describit.

Facit autem gradus quosdam. Ros enim cœli est diuinus fauor, quo Deus suos complectitur & fouet. Hunc statim pluia ex nubibus sequitur. Primum enim gracie donum & opus est, dare pios doctores, qui uerbum pure doceant. Hoc cum sit, aperitur terra, hoc est, datur successus uerbi, ut multi sint discipuli. Inde germinatur salus, hoc est, liberantur conscientiae, & tolluntur quoque plague corporales, & oritur simul iusticia, id est, sequuntur fructus digni illâ prædicatione.

Ego Dominus creaui eum.

Gemitum & orationem populi captiui sequitur Exauditio. Petitis iusticiam & salutem, Ecce ego Dominus creaui illa, & do uobis, tantum ne deficite fide, sperate, & liberabo uos. Hæc est propria & germana sententia quæ nihil differt a precedentibus & sequentibus. Inepti igitur sunt Papistæ, qui in templis de beata Maria hæc legunt.

Væ qui dicit factori suo.

Hactenus de piorum affectu, nunc tractat alteram prosopopœam, hoc est, impiorum personam, qui offenduntur in factis Dei, quod uident se habentes nomen populi Dei, affligi, & Babylonios,

## IN ESAIAM

nios, impias gentes, florere, & miro successu frui.  
Incipiunt igitur cum Deo expostulare, quare id  
faciat. Est autem omnium longe periculosissima  
& maxima tentatio, disputare cum Deo, quare  
hoc uel illud sic faciat. Propterea quod opera  
Dei sunt incomprehensibilia. Neq; ulla ratio in=  
ueniri potuit, quare Deus totum populum una  
cum cultu & regno abicerit, & in impij regis  
manus dederit. Auget autem hanc cogitationem,  
quod uident totum mundum diuersam religionem  
sequi, & abundare omnibus bonis. Cogitant igi-  
tur infirme mentes, putas ne Deum tot populos  
abieciisse, & nos, qui minima portio sumus, elegis-  
se, praesertim cum res diuersum clamet, & totus  
mundus nos desertos & abiectos a Deo nostro iu-  
dicet. Hæc cum spectantur, non tantum obiectu,  
sed etiam affectu, hoc est, quod Sathan accedit  
corda suo habitu, hoc est, ira & odio contra De-  
um, fit ut uicti animi Diabolum pro Deo adorent,  
& Deum tanquam Diabolum fugiant ac oderint.  
Hinc nascuntur uoces illæ: Maledictus uir qui di-  
xit patri meo, natus tibi est filius. Item, Maledicta  
dies nativitatis meæ. Item, Seduxisti me Domine,  
& seductus sum. Eò usq; enim prolabuntur animi  
ex hac cogitatione, quando de factis Dei dispu-  
tant, quare hoc uel illud faciat. Quare dixi, sum  
mopere cauendam esse. Non est autem alia ratio  
emergendi

emergendi, quam simpliciter auertere oculos & mentem, & non admittere hanc questionem. Non enim potest comprehendи, & qui comprehendere volunt, precipites in infernum merguntur, nengantes Deum & omnia opera Dei. Prophetā igitur monet suos, ne offendantur facto Dei. Nolite cum creatore uestro expositulare, inquit. Nolite querere, cur uos sic affligam. Estote patientes in presenti, & nolite de futuro solliciti esse. Ego enim sum creator uester, qui omnia pro mea uoluntate facio & guberno &c.

Ventura interrogate me.

Emphasis est in pronomine M E. Dicuntur enim haec in consolationem futuram eorum, qui in Babylonem erant transferendi, ut praeueniat eos promissionibus, ut certi sint se Deo curae esse. Quasi dicat. Applicate aures uestras ad meum uerbum, & secundum meum uerbum iudicate. In tribulatione enim non sunt sequende cogitationes & sensus nostri, sed uerbum & promissiones. Dicit igitur. A me postulate consilium & consolationē, ne confugiatis ad impia consilia uestra &c. Ad me conuertimini & consulite uerbum meum, & consolabimini, & scietis, non fore perpetuam hanc captiuitatem &c.

Ego feci terram.

Mihī commendate causam uestram. Ego enim

## IN E S A I A M

possum uobis ferrere opem , estis opus manuum mearum , & filij mei , Ego sum creator uester , seruabo igitur uos , tantum ne desperetis . Dicuntur omnia ad consolandos eos , qui erant sensuri captiuitatem Babyloniam .

Ego suscitaui eum in iusticia .

De re futura tanquam de praesenti loquitur . Intelligit autem Cyrum , Eum suscitauit in iusticia , id est , misit eum , ut restauraret regnum & sacerdotium , & det iustum administrationem populo captiuo .

Labor Aegypti & negotiatio Aethiopiæ .

Promittit Cyro imperium , etiam in alias gentes , ceu premium laborum pro beneficio reductionis . Laborem Aegypti uocat opes .

Te adorabunt .

Adorare significat gestum , non cultum diuinum , sicut ij qui adeunt principes , genua flectunt , honesta & ciuili consuetudine . Sic deprecari , est supplicem fieri . Quod autem Latinus uertit , uiros sublimes , In Hebreo est , uiiri mensura , non à quantitate , sed quod sint diuites , opulentii ac potentes .

Vere tu es Deus absconditus .

Sunt uerba Prophetæ , qui post hanc propheciam in admirationem & stuporem uertitur , quod Deus mira ratione suos regat , gubernet et liberet . Confusi

**Confusi sunt omnes fabricatores  
Idolorum.**

Consolatur per antithesin. O Isracl, tu habes  
Deum uerum, qui dicto & facto ualeat. Omnes alij  
dij, omnes aliorum deorum cultores confunden-  
tur. Sed sunt hæc fidei uerba, coram mundo con-  
trarium est uerum. Ideo uocat Deum Israel, ab-  
scinditum Deum.

**Ipse Deus formans terram.**

Hic facit fidem promissionibus, & confirmat  
piorum animos, ne dubitent de futura liberatione.  
Quasi dicat. Credite tantum uerbo & promissio-  
nibus meis. Ego enim uolo uos liberare, & possum  
uos liberare. Non creauit terram ut uasta esset,  
sed ut habitetur. Et uerbum meum est efficax, non  
fallit uos, sed dabit hoc quod promittitur. Porro  
intelligo hic non totum terrarum orbem, sed Iu-  
deam, quæ uasta erat, translato populo in Baby-  
lonem. Quid enim opus est promittere de terra,  
quæ iam habitat? Intelligit igitur uastam ter-  
ram Iudeorum.

**Ego Dominus, & non est aliud.**

Iactat potentiam suam, ut uilescat in capti-  
uorum oculis potentia Babyloniorum. Sum Deus,  
nemo quantumvis potens resistet, quo minus fiant  
que promitto.

**Non in abscondito locutus sum.**

## IN E S A I A M

Omnia pertinent ad confirmandas superiores promissiones de Cyro, & ad erigendos annos captiuorum. Promissiones meæ, inquit, stabilientur, non enim loquor in uentum, loquor non in absconditum, seu in desertum, ubi nemo audit, sed ad homines, qui his promissionibus credant, apud quos uerbum meum erit efficax, & certo sient quæ nunc de futura per Cyrum liberatione promisi.

Ego Dominus loquens iusticiam.

Loquor iusticiam. Loqui autem Dei, est facta, sicut est in Genesi. Dixit & facta sunt. Dicit igitur. Haec meæ promissiones constituent uobis iustam administrationem, ut restauretur regnum & sacerdotium, & prædicetur remissio peccatorum & poenarum.

Congregamini & uenite & accedite.

Insultat Babylonij, potissimum autem ihs, qui præerant sacris. Quasi dicat. Hæc ego prædixi & promisi, prædicite uos similia, Quod Latini uerit, qui saluati estis ex gentibus. Debet actue legi, Saluatoris gentium, ut sit ironia, Vos qui presumitis, qui iactatis, quod possitis saluare homines, hominibus consulere, opem ferre &c. Pertinent autem hæc quoq; ad consolationem priorum.

Nescierunt qui leuant lignum.

vestra

Vestra doctrina nihil est, vestra religio, cultus uester, & iusticia vestra nihil sunt. Nota epitheton, quod uocat, portantes. Quasi dicat. Vestri Dij tales sunt, ut iphi eos portare, alere, & souere cogamini, alioqui iacerent. Sic regula Francisci, Carthusiani &c. est idolum, quod portare co-guntur, per se non posse consistere, & nisi ipsi portarent, corrueret. Sunt enim huiusmodi loci generaliter accipiendi de omnibus Idolatrijs.

Obseruandum hoc quoq; est, quod uocat, Deum non saluuntem.

Quis auditum fecit hoc ab initio.

Hoc, id est, hanc propheticam de Cyro.  
Deus iustus & saluans.

Hæc opponit Idolis. Iustus, quod affert iustiam. Saluator, quod saluat, donat remissionem peccatorum & graciam, qua iustificemur, & iustificati liberemur ab omnibus malis, & ita saluemur. Hæc nullus aliud deus, nulla alia religio, nullus cultus, & opus nullum potest.

Conuertimini ad me, & salui eritis.

Concludit hunc locum cum exhortatione: Quia ego ista prædixi, ergo ne sinatis me frustra loqui. Adhibete aures & cor uestrum, credite promittenti mihi, & omnia ista fient. Porro conuersio hæc fit fide. Verbum enim promissionis requirit fidem. Significat autem auersa esse corda,

u + quia

## IN E S A I A M

qui h̄erent in potentia Chaldaeorum, & in sua calamitate. Impossibilis igitur uidetur liberatio, quare uult ut auertant oculos à presenti rerum facie, & in solum uerbum respiquant.

In memet ipso iuraui, egredietur &c.

Versatur Propheta in generali sententia. Exhortatur enim post promissionem, ut ad se convertantur, & occulte à Cyro transit ad Christum. Ego, inquit, mittam aliquando uerbum, ut omnia Idola, & omnes falsi cultus euertantur, & sublati omnibus iuramentis, mihi soli iuretur. Porro subitæ huiusmodi transitiones crebra sunt in prophetis. Verbum iusticiæ est Euangelion, atq; affert iusticiam & remissionem peccatorum.

Hebraismus est, quod uerbo iurandi utuntur pro prædicare. Iuramentis enim prædicationes suas confirmare solebant.

Ergo in Domino dicet.

Hæc est forma iuramenti. Porro sic coniungit textum. Omnis lingua iurabit & dicet. In Domino habeo iusticiam & fortitudinem &c. Sic simpliciter fides in Christum est iusticia nostra. Non in operibus, non in cultibus, & studijs nostris, sed

IN D O M I N O .

Ad eum ueniet.

Lege. Qui tales sunt ad eum uenient, qui non tales sunt, quanquam lactant se Synagogam,

uel

*Nel Ecclesiam esse, non uenient ad eum, quia sunt  
alieni filij.*

**Et confundentur omnes qui repu-  
gnant ei.**

Sic ubi cuncti est Euangelion, necesse est esse  
imamicos Euangelij. Sicut in Psalmis est. In medio  
imamicorum tuorum ponam scabellum pedum tuo-  
rum. Et Lucc. 2. Christus erit signum cui contra-  
dicitur. Finis tamen aduersariorum erit, quod  
confundentur. Est insignis locus. Hic igitur ap-  
pendix est seu Allegoria historiae. Cyrus est Chri-  
stus, Babylon est mundus, Hierusalem autem est  
Ecclesia.

**Confractus est Bel.**

Coniungemus hæc quoq; huic capiti. Pro-  
pheta enim suo more canticum & quasi opinio[n]em  
addit, quo insultat Babylonij. Incipit autem à  
destructione religionis, quam secuta est destruc[ti]o  
Politiae. Est autem sine dubio irrigus hic locus à  
Babylonij, quod ea Idola, quorum cultus tunc  
erescet, cecidisse iactet.

**Facta sunt simulachra eorum.**

Fuerunt aurea Idola, quæ Cyrus in Persas  
inter reliquam prædam deferri curauit. Ludit au-  
tem propheta. Quasi dicat. Idola hæc sucre antea  
oneri hominibus, nunc etiam bestias affligunt &  
onerant, quæ ea defexunt in Persas, non sine maxi-  
mo labore.

IN ESAIAM  
IN CAPVT. XLVI.

**V**ersatur adhuc in promissiō-  
nibus & consolationibus, futurum  
ut Deus per Cyrum suos ex ca-  
ptiuitate Babylonica eripiat. Lo-  
quitur autem ad eos potissimum,  
qui calamitatibus uicti desperabant de redu-  
ctione, & respiciebant iam ad alia præsidia &  
ad alios Deos. Sic enim solent homines cala-  
mitatibus fracti, & dubitant se Deo curæ esse.  
Deficiunt igitur ad alios deos, & querunt  
alia auxilia. Hos confirmat Propheta, & uult eis  
persuadere, ut certo sentiant se Deo curæ esse, &  
ad tempus tantum affligi.

Continet autem hic locus magnificentissi-  
mam promissionem, in qua se tota misericordia  
effundit. Sumus autem indigni, ut hæc lega-  
mus propter incredulitatem nostram. Sic enim ca-  
ro solet, cum calamitate aliqua premitur, sentit  
Deum iratum esse, & proponit sibi omnia horri-  
bilia exempla diuini iudicij, cum diuersum potius  
faciendum esset, & ægrotus animus talibus pro-  
missionibus erigi deberet, quales hic sunt. Sic  
enim sunt distincta illa duo officia, quod petre,  
hoc est, duri & securi, debent conteri. Contra li-  
num fumigans non debet extingui.

Qui

Qui portamini in meo utero.

Suaissima figura est, quod dicit, eos portari a se in utero, et se esse matrem, quae portet eos, cœu tenerum foetum in utero. Primum igitur commendat nobis Deus suum erga afflictos animum, se non tyrannum esse, non tortorem, quam ita apparcat, sed matrem quæ sollicite curaret, ne foeti concluso in uterum alicubi noceat.

Secundo admonet, quid nos simus, et quales esse debeamus, nempe foetus conclusus in uterum, qui nihil uidet, nihil sentit, nihil curat, sed omnis cura est in matre, et quanquam habitatione angusta sit, tamen est mollis et bene munita. Sic admonet nos hac similitudine, ut in calamitate positi obmittamus curas nostras, ne sensu presentium malorum auertamur ad alium deum.

Porro uterus Dei est Verbum promissio-  
nis diuinæ, in quo portamur et formamur. Sic  
Paulus se Galatas et Corinthios genuisse uerbo  
Euangelij dicit. Non igitur debemus metuere,  
ne Dominus nos perdat, siquidem gestat in utero.  
Et foetus quanquam sit tenerrimus et infirmissi-  
mus, tamen non perit in utero. Hoc autem nostri  
officij est, curare ne nostro uicio ex utero cada-  
mus. Si enim in puro uerbo manserimus, habemus  
Christum compatientem, sicut mater compatitur  
cum enititur foetum.

Vſq;

IN E S A I A M

Vsq; ad senectam uos portabo, &  
usq; ad canos.

Primum portabo uos in utero, donec forme-  
mini. Deinde postquam nati & formati es-  
tis, por-  
tabo etiam uos perpetuo successu, donec cresca-  
tis. Sic mater gestat fætum in utero, infantem in  
gremio, puerum in dorso. Sic nos qui sumus in  
gracia, perpetuo poetamur. Sed sunt hæc fidei  
uerba, Si res & externam speciem consideres, ab-  
iecti uidemur.

Cui assimila stis me.

Loquitur de Iudeis in Babylone constitutis,  
qui, sicut initio dixi, calamitate impellente alie-  
nabantur à Deo, & quærebant externa consilia  
& remedia. Cor enim in periculis naturaliter spe-  
ctat auxilium, & calamitas creat Deum. Hinc in  
partu, in naufragijs, in alijs periculis tot studia et  
impia uota sunt suscepta. Monet igitur eos. Qua-  
re me alium esse fingitis, quam sum? Nolite ad  
Idola spectare. Redite ad me Deum uestrum, qui  
uolo & possum uos eripere, Idola non possunt.

Portant illum in humeris gestantes.

Est stultus & infirmus deus, quem uobis  
fingitis, Non portat uos sicut ego, sed portatur à  
uobis. Sic ridet eos, & increpat incredulitatem  
corum.

Mementote istud & corroboremini.  
Sic enim

Sic enim legendum est, non (confundamini) Alloquitur spiritus incredulos, & eos qui suis studijs querebant se saluare. Quid uestris studijs uos queritis? inquit. Cur auxilium ab alijs dijs expectatis & petitis? Ego tanto ante promisi liberationem, Ergo frustra sunt omnia uestra studia, & sola mea promissio liberabit uos, non Idola que colitis. Sic uult reuocare incredulos a suis studijs ad uerbum, & ad suam promissionem.

Corroboremini, id est, estote firmi, ne circumducamini in omni uento falsae doctrinæ.

Recordamini prioris sæculi.

Non puto cum loqui de miraculis in Aegypto, sed de promissionibus, que proprie ad captivitatem pertinebant. quasi dicat. Tanto ante promitto liberationem, que cum continget, propter promissionem meam continget, non propter aliqua uestra opera.

Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fieri.

Per antithesin sententia explicanda est, quod nostra consilia & uoluntas nostra, non stabunt nec fient, ut sic auferat a nobis omnem certitudinem, & referat eam in uerbum suum, extra quod nemo potest esse certus de uoluntate Dei, extra quod nihil ratum, firmum, aut certum est, quicquid de Deo, & iusticia coram Deo statuitur.

IN ESAIAM  
Vocans ab Oriente auem.  
Cyrum auem uocat à celeritate.

CAPVT. XLVII.

**P**Ropheta fatis luctatus est cum suis Iudeis idolatriis, qui libera-  
tionem querebant per sua studia,  
contemptis promissionibus. Iam igi-  
tur ad Babylonios conuertitur, eisq; minatur  
exitium, Omnia autem faciunt ad consolatio-  
nem captivi populi, quem reuocare conatur ad  
promittentem Deum. Quasi dicat. Vos ideo non  
creditis promissionibus meis, quia insuperabilis  
Babyloniorum potentia uobis uidetur. Agite,  
quantumuis invictos præcipites dabo, & perdam.

Audite me duro corde.

Hic incipiemus caput. 47. Commodius att-  
tem uertes. Audite me superbi cordc, qui scilicet  
contra me superbitis, & putatis me infirmum De-  
um, quod passus sum populum meum à uobis capi.  
Potissimum enim præsumptionem de religione &  
Idolis tangit. Ideo addit, Longe à uobis iusticia  
mea.

Prope feci iusticiam meam.

Breui Cyrus aderit, per eum dabo salutem  
populo, & restituam iusticiam, reddam sacerdo-  
tium, regnum, & omnem Dei cultum. Alij malunt  
hunc

bunc locum de Christo accipere, ut sit transitio  
à corporali regno ad spirituale,

Descende, sede in puluere virgo.

Est poeticum schema, quo significat destructio  
nem Monarchiae Babyloniorū. Es in fastigio mun=di,  
descende, redigeris in captiuitatem &c.

Tolle molam & mole farinam.

Significatur hac figura extrema seruitus.  
Minatur autem hic totus locus Babylonij irre=parabilem ruinam.

Denuda turpitudinem.

Verte sic. Dissolute fasciam tuam, & denuda  
plantam pedis. Hoc est, amittes politiam, & omnem  
gloriam tuam. Idem sequentia significant. Voluit  
enim Propheta claris & multis uerbis suos con=solari, futurum ut omnis potentia, sapientia, suc=cus, & dominatio Babylonij, qui eos captos  
tenebant, eripiatur.

Iratus sum super populum meum.

Lege in præterito. Iratus fui, uel cum ira=tus essem &c. Propheta enim hic significat pec=catum Babyloniorum, quo meruerunt tantas pœ=nas. Volui uos, inquit, flagellum populi mei esse,  
non volui ut penitus cum perderetis, id quod uos  
cogitatis.

Nec recordata es nouissimi tui.

Verte, Nouissima cius, scilicet, populi mei.

Hoc est,

## IN ESAIAM

Hoc est, non cogitas futurum ut libeventur, sicut  
promisi. Debebat autem te hoc exemplum mones-  
te, ne ita secura obambulares. Si enim populo meo  
praeuaricanti non pepercisti, quid de te fiet? Sed se-  
cura es, nec ponis haec super cor tuum.

Non sedebo uidua.

Sunt allegorica. Id est, semper habebo prin-  
cipes, semper habebo populos subditos.

Propter multitudinem maleficorum.

Sic uocat doctores, qui gubernabant recli-  
gionem & cultum Dei. Item qui praeerant reipu-  
blicæ, hoc est, sanctissimos & sapientissimos in  
regno isto.

Fiduciam habuisti in malitia tua.

Es secura, cogitas tuum peccatum non esse  
peccatum.

Sapientia tua & scientia tua, haec de-  
cepit te.

Est insignis locus, quod Resp. non euertan-  
tur nisi a sapientissimis, qui optime consulere se-  
credunt. Eius rei multa passim in historijs exem-  
pla sunt. Notus est Demosthenes, notus Cicero,  
Cæsar, Pompeius. Sic religio euertitur per san-  
ctissimos, sicut nos docent exempla Monachorum  
& totius Papatus. Ratio huius rei est, quod utriq[ue]  
& qui sapientia, & qui sanctitate ad homines  
clarent, sine timore Dei sunt, & in presumpcio-  
nem ruunt.

nem ruit. Hoc cum fit, actum est. Monentur autem hæc ideo à Prophetis, non ut leges, & bonos mores, in quibus sapientia & iusticia humana posita est, contemnamus. Sed ut humiliemur, & non infleamur donis Dei. Deus enim nihil minus ferre potest, quam præsumptionem. Ideo etiam Synagoga, populum suum, sanctam ciuitatem Hierusalem, & templum, cum omni cultu, à se instituto, funditus delevit.

Veniet super te repente miseria.

Hic finis est omnium impiorum, ut subito pereant, hoc est, nihil minus expectantes. Secure enim in suis consilijs ambulant, & omnia benigne sibi pollicentur, donec in medijs conatibus oppressi, pereant.

Sta cum incantatoribus tuis.

Insultat Babylonijs præsumentibus de sua sapientia. Tentate si quid potestis, facite periculum virium uestrarum, an impendens malum depellere possitis.

Non sunt prunæ quibus calefiant :

Significat subitam uastationem. Non erit durans ignis, sed in momento uestrum regnum à me stulto Deo euertetur.

Sic facta sunt tibi in quibus &c.

Nec sapientes, neq; religiosi tui, qui sua sapientia & religione in te negotiantur, prodesse

x tibi

## IN ESAIAM

tibi poterunt, sed peribunt et ipsi. Scribuntur autem omnia haec ad consolationem Iudeorum, ut eò facilius credant promissionibus magnificis, de liberatione per Cyrum futura, quæ impossibilis esse uidebatur in tanta Babyloniorum potentia.

## CAPVT. XLVII*i.*

**E**st quasi epilogus promissionis de liberatione. Monet enim suos, ut caueant sibi ab alijs propheticis, etiam si magna iacent, et sibi diris execrationibus ac iuramentis fident faciant. Etiam si per nomen Dei iurauerint, nolite, inquit, eis habere fidem. Istis enim magnificis iuramentis uos decipere uolunt. Hoc enim Pseudoprophetarum proprium est, temere iurare et se deuouere, ut eò facilius simplicibus imponant. Audiuimus etiam hoc nostro saeculo temerarios eiusmodi spiritus, prouocantes ad tribunal Christi, contra nos, qui sacramentorum dignitatem saluam uoluimus. Quia enim sciunt pios nomine Dei affici, ideo his artibus se commendant uulgo, Sed euentus indies magis ac magis declarabit, quam uere iurauerint. Contra eiusmodi doctores hic quoq; laborat Propheta, et uult ut sui simpliciter in promissione Dei hæreant.

Q*ui*

**Qui uocamini nomine Israel.**

Oblique perstringit corum infidelitatem.  
Quasi dicat. Nomine uocamini, sed utinam reuera-  
tis Israel hærens in promissione Israeli facta.

**De ciuitate enim sancta uocati sunt.**

Tangit præsumptionem eorum, quod dice-  
bant, Sumus populus Dei, sumus de sancta ciuitate.  
Non potest igitur nos Deus longius affligere,  
sicut hodie Papistæ dicunt. Successimus Christo  
& Apostolis. Non ergo possumus errare. Sumus  
Ecclesia, non ergo possumus deseriri a Deo. Sed Io-  
hannis primo scriptum est. Non qui ex uoluntate  
uiri, sed qui ex Deo nati sunt &c. Hoc tamen  
unum argumentum semper in mundo præcipuum  
fuit, & in illo populo ægre potuit solui. Quare  
Paulus multum in eo sudat in Epistola ad Roma-  
nos.

**Priora ex tunc annunciaui.**

Reddit rationem, quare tanto ante præueniat  
eos promissionibus. Propter uos, inquit, facio, quæ  
estis pseudo Israel, ut confundamini cum fiunt, &  
uideatis non uestra uobis studia & consilia, sed  
promissiones meas profuisse. Priora uocat promis-  
siones de Cyro, quem tanto post futurum, promit-  
tit liberatorem populi sui fore.

**Sciui enim, quia durus es tu.**

Hunc locum in genere accipe de omnibus

x = iusticiarijs

## IN ESAIAM.

iusticiarijs, qui conantur suis studijs se aliquid effecturos, & fidunt operibus suis. Hic uides, cur non flecti possint Papistæ. Hic uides, cur heretici nostri pertinaciter resistant ueritati, & ne quidem horribilibus exemplis suorum moniti resipiscant. Ferreus enim neruus est ceruix eorum, & frons æred.

Quæ audisti, uide omnia.

Verte sic. Omnia hæc audis & uides, & tandem non annuncias. Pertinent autem omnia hac ad confundendos pseudodoctores, ut reuocet populum ad uerbum suum, à vanis studijs idolatriæ. Prædico, inquit, & promitto noua, quæ nunquam cogitasti, illa etiam tum abscondita sunt cum dico, Sed ueniunt tamen suo tempore. Vos autem ne uno quidem dic præscire hæc potestis, priusquam fiant.

Transgressorem ab utero uocauit te.

Ab utero uocatus es transgressor, mereris dici transgressor. Ab utero enim idem est, quod semper. Sunt epitheta, & propriæ passiones omnium impiorum, præsertim autem falsorum doctorum & hereticorum.

Propter nomen meum longe faciam.

Verte sic. Propter nomen meu[m] su[m] longa[n]nis, & propter laudem meam refranabo metitibi (id est, propter uel in tuum commodum) ne excindaris.

excindaris. Est insignis sententia contra operum  
merita. Propter M E V M nomen, non propter  
tuum, aut Francisci, aut Augustini, aut Bernhar-  
di &c. Sic haurit uno uerbo omnes mundi iusti-  
cias & religiones.

Ecce excoxi te, sed non quasi argen-  
tum.

Est insignis consolatio in Cruce. Promittit  
enim quod se continere & refrenare uelit, ne pe-  
nitus perdat suum populum. Quæ igitur est ratio?  
qui est modus, quo seruat Deus suos ne pereant?  
Nempe hic, Quod excoquit in camyno, hoc est,  
quod affligit, & crucem nobis imponit. Ergo af-  
flictio non iræ diuinæ signum est, sed gracia. Ergo  
afflictio non est damnatio, sed salus. Et Deus cum  
affligit ideo affligit, ut seruemur, & non cum hoc  
mundo damnemur. Quod addit (non sicut argen-  
tum) ideo addit, ne corporalis purgatio intelli-  
gatur. Sicut in Amos spiritualem famem uocat fa-  
mem, sed non panis. Simile est quod sequitur. In  
camyno afflictionis elegi te, seu electum te facio.  
Sed diuersum sentimus, cum in camyno hoc tor-  
remur.

Propter me faciam, ut non blasphe-  
mer.

Ecce blasphemiam uocat, conari ut operibus  
nostris placemus Deum. Ideo enim promittit libe-  
rationem,

## IN ESAIAM

rationem, ne operibus deberi eam impij sentiant,  
qua summa est blasphemia. Alij malunt ad Baby=  
lonios referre. Eripiam uos, ne Babylonij pergat  
me blasphemare. Vtrq; apta et bona sententia est.

**Q**uia gloriam meam alteri non dabo.

Si quid facio, propter me facio, non propter  
opera uestra. Hoc enim eſet operibus diuinitatem  
tribuere. Ergo omnes iusticiarij affectant diuini=  
tatem. Ideo autem tot exempla gracie nobis in sa=  
cris literis proposita sunt, ut quemadmodum pro=  
pter peccata no n est desperandum. Ita eti propter  
nostra opera & nostrā iusticiā nihil præsumamus.

**Audite me Iacob & Israel, quem.**

Ego sum primus & sum nouissimus, semper  
fui, & semper ero. Promitto uobis futura, prius=  
quam fiant, idq; gratis. Liberabitini igitur pro=  
pter meā promissionem, non propter uestra studia  
& opera. Sic uult ut in solo uerbo & gracia hæ=  
reamus. Non autem ociosum est, quod dicit, Ego  
primus et ego nouissimus. Sic enim sumus homines,  
deum ferē mutamus, & credimus mutatū, Hoc non  
credimus, quod idem primus sit & nouissimus. Sic  
totus Papatus uocatus est in remissione peccato=  
rum, & tamen in satisfactione operū uiuit. Sic Iu=br/>dæi promissiones de Christo amplectuntur, exhibi=br/>tum Christum repudiant. Magnum igitur est scire  
eundem Deum primum & nouissimum esse, ut qui  
uocantur

Mocantur in Ecclesiam, transcant in regnum gracie durantis, ut etiam si nos peccemus & sepe labamur, tamen tanquam in cœlum gracie conclusi, non excidamus à gracia.

**Manus quoq; mea fundauit terram.**

Quare configuitis ad alios deos, & alia praesidia, an diffiditis meæ potentie? Satis habeo ui-  
rium, tantum expectate in silentio & spe, & ueniet liberatio.

**Quis de eis annunciauit hæc.**

Hæc scilicet de Cyro. q. d. Solus ego promitto,  
ergo expectate quoq; solum me largitorem. Est epi-  
logus prophœciae de Cyro, cōmendat igitur eum.

**Dominus dilexit eum.**

Cyrum intelligit.

**Accedite ad me, & audite hæc.**

Hic locus mirabiliter obscuratus est. Iudæi personam Prophetæ intelligunt, quam sententiam ego quoq; sequar. Hoc enim incommodum est, si de Christi persona intelligas, quod dicit, se missum in Babylonem, ut istuc redemptionem faceret, Se- mel enim missus est ad tempus noui Testamenti. Quod si spiritualem missionem intelligas, non ualde pugnabit hic locus pro mysterio Trinitatis, & tamen sequitur quisq; utram uoluerit. Habemus enim alia & firmiora de Trinitate testimonia. Ego personam Prophetæ, tanquam in media Ba-

## IN ESAIAM

bylone constituti, & suos consolantis, decipio.  
Accedite ad me Esaiam. Non in abscondito locu-  
tus sum. Res sequentur, certo fient que predixit  
per me Dominus. Eo enim tempore, cum essem ibi,  
fiebant, Id est, Cum uiuerem & predicerem hac  
de Cyro, fiebant fide. Nunc autem Dominus Deus  
misit me, & spiritum eius, id est, Nunc cum imple-  
tur prophecia mea, uenio spiritu. Similes loci  
sunt in Ezechiele cap. 3. Sustulit me in spiritu. Et  
in Apocalypsi. Raptus sum spiritu. Item apud Lut-  
cam. Antecedet eum in spiritu Heliæ. Sic Esaias  
primo in Babel uenit per promissiones, licet esset  
in Iudea, Sicut Paulus dicit, se spiritu Romæ esse.  
Secundo, spiritu uenit in Babel, cum implerentur  
promissiones illæ. Valet autem hic locus ad con-  
firmando Iudeos, ut credant promissionibus, quæ  
stanta certitudine Prophetam prædictissime uident.

Ego Dominus Deus tuus docens  
utilia.

Loquitur ad populum diuersa à uerbo fa-  
cientem. Omnes alias vias & rationes liberandi  
quæris, præter me, Cum tamen omnes sint proorsus  
inutiles & impie, quia sunt sine fide, & sine uer-  
bo, à te electæ. Audi igitur ( tu qui in Babylonie  
captus es ) prophecias meas, & noli à me diuelli,  
& ad alios deos deficere, noli sequi tua studia.  
Ego enim Deus & redemptor tuus sum, qui te  
utilia

*utilia doceo. Fige igitur pedem in uerbo meo, &  
nusquam alibi.*

Vtinam attendisses mandata mea.

Declarat quomodo sint utilia. Quasi dicat.  
*Vos queritis pacis viam, deferendo uerbum meum, & uestris studijs seruandis. Sed non est pax impijs, & contritio est in vijs eorum, sic non impetrabitis pacem, Vna uia est, si pacem habere multis, nempe ut credatis uerbo. Est insignis locus, qui nobis uerbum commendat, & minatur impijs uerbi contemptoribus omnia mala. Iusticiam uocat remissionem peccatorum, & iustum administrationem, tam politie, quam sacerdotij.*

Egredimini de Babylone.

Post prædicationem contra incredulos Chaldeos & Iudeos, concludit hanc propheciam exhortatione ad Iudeos, ut relictis omnibus religiis & studijs suis, sequantur Cyrum reducturum eos. Sed contempta & hec exhortatio a Iudeis fuit. Maior enim pars remansit in Babylone.

Annunciate, auditum facite hoc.

Sacrificate sacrificium laudis, & agite Deo pro tanto beneficio gratias.

Non sitierunt in deserto.

Alludit ad Aegyptum. Iam idem faciet Deus, quod in Aegypto fecit. Liberabit populum suum, & cum summa securitate reducat.

IN · E S A I A M  
Non est pax impiis.

Est generalis sententia, quod sine fide neq;  
bona conscientia, neq; diuturnus successus erit.  
Proprietatem autem pertinet ad incredulos Iudeos, qui  
in Babylone substiterant.

IN CAPVT. XLIX.

**P**Rophetæ duo feré agunt. Pri-  
mo populum sui temporis docent de  
fide & bonis moribus. Consolantur  
afflictos, & incredulos terrent.  
Secundo parant etiam in futurum Christum. Esai-  
as igitur prima parte absoluta, hic nouum quasi  
librum orditur, & prophetat de futuro regno  
Christi, usq; ad finem. Nonnunquam etiam obiter  
obiurgat incredulos & duros hypocritas. Porro  
quia regnum Christi erat fidei regnum futurum,  
in quo mundus multa tanquam stulta & absurdata  
reprehenderet. Ideo Prophetæ magnifice de eo  
loquuntur, ne piij offendantur humili specie. Iudæi  
autem his magnificis promissionibus decepti, expe-  
ctant corporale regnum, Id quia hactenus non con-  
tigit, non putant per Christum omnia impleta &  
exhibita esse. Quare haec promissiones spiritu intel-  
ligi debent, neq; pertinent ad corporale regnum.  
Neq; enim sustinere hoc corruptibile sacerdotium  
plenitudinem

Plenitudinem tantarum promissionum potest. De latemus igitur corda nostra, & fide uerbum apprehendamus, quod sola fide apprehendi potest. Coram mundo enim contrarium appetit.

Audite Insulæ & attendite populi.

Propheta in persona Christi loquitur. Vide autem ad quos loquatur. Non dicit sicut ante. Audite domus Jacob, domus Israel, sed erumpit in totum orbem, & uocat omnes gentes.

Dominus ab utero uocauit me.

Iactat uocationem suam ad confirmandos gentium animos, ne offendantur stulta & infirma Christi specie, qui prædicatur Crucifixus. Nolite me ideo contemnere, inquit, uenio diuina auctoritate. Nolite contemnere uerbum meum, Non enim est meum, sed eius qui misit me. Sic Paulus etiam suam uocationem iactat, non ad uanam gloriam, sed ad confirmandos discipulos, ne dubitarent, hoc uerbum quod ipse prædicat, Dei uerbum esse.

Recordatus est nominis mei.

Non uenio temere ad uos, sed ab utero ordinatus sum & destinatus, ut essem uester saluator & redemptor. Hoc nomen, hoc officium dedit mihi pater.

Et posuit os meum quasi gladium.

Mirabile hoc regnum est. Iactauit se uocatum, &

## IN. E S A I A M

tum, & diuinitus nominatum esse, & erexit nos in  
expectatione magni & potentis Regis, qui totus  
aureus incedat. Et ecce subiicit. Posuit os meum  
sicut gladium, hoc est, Regnum meum consistit  
non in armis, non in potentia, sapientia, opibus  
mundi, sed in ore, hoc est, Meum officium est praed-  
icare remissionem peccatorum gratuitam. Ideo  
autem os gladio acuto comparat, ut significet  
uerbum Christi esse efficax, & penetrare corda.  
Sic uidemus nostro saeculo, quomodo penetret &  
uastet Papatum. Arguit enim mundum, & ostendit  
iusticiam Christi, Alias omnes iusticias, relia-  
giones, opera, studia, damnat & abhominatur.

Quod autem addit, se protegi in umbra manus  
Dei, significat fortunam et successum uerbi. Obs-  
titur enim ei in mundo. Sicut nostra etiam sae-  
cula testantur, & tamen non potest opprimi, sed  
perrumpit inuito Sathanam & portis inferi.

Posuit me sicut sagittam electam.

Idem est, quod gladius supra. Significat enim  
efficaciam & successum.

Seruus meus es tu Israel.

Pertinent, sicut dixi, ad consolando nos, & con-  
firmando, ut sciamus uerbum nostrum esse ucri Dei  
uerbum, quamquam totus mundus id negat, offen-  
sus infirma specie. Commendat quoq; hic locus  
nobis plerophorian, hoc est, certitudinem uocati-  
onis

onis nostræ, ut quicquid facimus, certi simus de uocante Dei, quod placeat Deo. Alioqui nemo in calamitate uel temptationibus subsistere poterit, si non certus est, se diuinitus ad id uocatum esse.

Vocat autem Christum, Israel, quia conuoluit in hoc nomen totum regnum Christi, seu totam Ecclesiam ex reliquis Iudeorum primum, deinde ex gentibus collectam.

Quia in te gloriabor.

Verte. Glorificabor in te, id est, Tu docebis tantam gloriam meam. Porro gloria Dei est, quod solus sit iustus, bonus, sapientia, potens. Inde sequitur, quod omnes homines sunt mendaces, stulti, mali, peccatores &c. Sed hoc cum docemus, contumus in nos totum mundum, & damnamur pro hereticis, quod prohibeamus bona opera, damnamus Ecclesiam &c.

In uacuum laborauit.

Consolatur se contra scandalum, quod pauci sequuntur uerbum, & totus ferè populus Christum reiicit. Quanquam, inquit, pauci meam doctrinam sequantur, & plures eam damnent, tamen hoc me consolatur, quod iudicium, id est, officium meum, non meum, sed Domini est. Uerbum nihilominus potens est apud eos, qui id sequuntur, quantum sint pauci. Est necessaria consolatio in temptatione, que nos sepius recreauit, in tot scandalis

## IN ESAIAM

dalis doctrinæ nostræ, quod scimus eam non nostram, sed Dei esse, illum gubernare opus suum, ad quod inuitos nos pertraxit.

Et nunc hæc dicit Dominus.

Allegat iterum uocationem suam. Maior pars, inquit, rapitur in errores. Misit igitur me dominus ad reliquias populi per Euangelion seruandas, ne totus Israel percitat.

Parum est, ut sis mihi seruus &c.

Gentes quoq; sunt per Euangelion saluandæ. Est autem hic apertissimus locus, quod nos gentes sumus incorporandæ corpori & regno Christi, ut sumus participes testamenti, promissum & gracie Dei. Christus enim debet esse lux gentium, Magister & Doctor gentium, ut gentes per eum saluentur. Quare sumus uerum semen Abrahæ, quicunq; ex gentibus Christum recipimus. Continet hic locus efficacissimam solutionem omnium argumentorum, quibus Iudei nituntur contra nos gentes.

Hæc dicit Dominus redemptor Israel.

Postquam unum nouum hominem ex duplo homine constituit, hoc est, unam ecclesiam ex Iudeis & gentibus per uerbum Euangeliū condidit, addit generalem consolationem eorum, qui in ista fide Christi stant: Fidem enim statim crux sequitur, sicut Psalmus dicit. Credidi propter quod

quod locutus sum. Ego autem humiliatus sum nimis. Mundus enim, & diabolus mundi pater, omnes alias religiones, omnes idolatrias ferre posseunt. In hanc solam Christi fidem fœuiunt, hanc ferre non possunt. Consolatur igitur credentes. Nolite desperare, inquit, nolite deficere, dum sic propter me affligimini, Vestrum uerbum, quod sequimini, quod mundus cupit extinctum, manebit in eternum, & illi ipsi, qui id iam persequuntur, conuertentur & uerbum meum amplectentur.

Vocat se redemptorem Iacob. Eo igitur ipso vocabulo, quo se commendat, significat faciem Ecclesiae, quod sit talis, qua habeat opus redemptore, sanctificatore et iustificatore. Coram mundo enim nihil Ecclesia est calamitosius, nihil improbius, nihil magis prophanum. Quare uocat eam animam contemptibilem, gentem ab hominibus, & seruum tyrannorum. Hi sunt magnifici tituli Christianorum, quorum si quos pudet, ille cogitent, se frustra Christum querere. Et sic implentur magnifica promissio, quod dicit. Semen tuum erit semen sanctum &c. Dixi igitur initio, spiritu accipias esse et in fide uerbi. Contrarium enim in mundo experimur.

Reges uidebunt & consurgent principes.

Illi qui nunc persequuntur uos, adorabunt uos & conuertentur.

Propter

IN BSAIAM

Propter Dominum, quia fidelis est.

Mundus diuersum sentit, Deum esse mendacem, & nos damnatos esse. Propheta autem Christum uocat sanctum Israel, quod sanctificet suos.

In tempore placido exaudiui te.

Pergit in consolatione. Paulus. 2. Corin. 9.  
ad exhortationem transfert, Quærite lucem dum  
habetis &c. Sicut etiam Christus exhortatur, &  
Paulus Roma. 13. Est enim grauissima tentatio, qua  
saturi fastidimus uerbum. Cum enim Sathan hanc  
doctrinam primo ui per principes mundi, deinde  
dolo per hereticos oppugnet, priuatim etiam  
unumquenq; tentat uicio, quod Græci ἀκάρα  
dicunt, de quo scriptura ait. Impleta est anima  
eorum nausea. Hæc quia latissime patet, plurimum  
nocet. Nam tyranni & heretici Ecclesiæ prosunt  
& exercent fidem & doctrinam Ecclesiæ. Aces  
dia autem stertentes, securos, saturos, & omnibus  
Sathanæ telis expositos facit. Necessaria igitur  
hæc adhortatio est, ut simus uigilantes. Ego sane  
ante hoc saeculum omnibus mundi opibus unum  
aliquem Psalmum bene intellectum prætulisse, Sed erat cœlum tum æreum, & terra clausa. Nunc  
autem postquam cataractæ cœli effusæ sunt, incipiimus id fastidire. Qui semel nouum Testamentum  
perlegit, admiratur se, & nihil restare putat,  
quod non teneat. Fiet igitur, ut auferatur ab in-  
gratia

gratis uerbum, & detur aliæ genti, quam fortasse nos ignoramus.

In tempore placito exaudiui te.

Sic uocat tempus inuulgati Euangelij, quod  
quoniam uarie impeditur a mundo, tamen seruat  
contra Sathanam, tyramos & haereses, quia  
est tempus placitum.

Et dedi te in foedus populi.

Sicut Christus est foedus inter Deum & ho-  
minem, Sic ecclesia credentium est foedus inter  
populos. Sicut dicit Christus. Qui uos audit, me  
audit. Item, quorum remiseritis peccata in terra,  
eorum peccata remissa sunt in celo. Est igitur  
aureus textus pro confirmando ministerio Ecclesie  
in uerbo, quod a Christo translatum est in Ec-  
clesiam, ut ipsa per uerbum seu absolutionem uero  
iustificet. Sic tamen ut hoc præcedat, quod dixit.  
Ego seruauit te.. Neg; enim ualeat sententia illa,  
Qui uos audit me audit, in ijs que præcipi-  
unt Episcopi contra uerbum Dei. Et Ecclesia ea  
solum est, qua habet purum uerbum & pura sa-  
cramenta.

Et posvideres haereditates dissipatas.

Id est, gentes uastatas idolatrijs & falsis  
iusticijs per diabolum & impios doctores. Nam  
quoties Euangelion uenit, inuenit terram destru-  
tam impietate & idolatria.

## IN E S A I A M

Vt dices his qui uincti suut, exite.

Euangelion docet, ut omnes sciant, se non suis studijs aut operibus liberandos. Sed gratuita misericordia, per uerbum oblata. Primum igitur liberat a peccatis & morte, deinde docet uiam pacis, & facit certos de omnibus generibus uitæ.

Super uias pascentur & in omnib. xc.

Hæc cōmodius per antithesin intelligas. Ante cognitū Euangelion arbitrabamur, nulla esse pacifica, nisi intra regulas certas uitæ & operum. Franciscanus se extra angulum suum, & cuculum, non credebat saluari posse, sic alij. Nunc autem reuelato Euangelio cessant sectæ, & inueniuntur remissio peccatorum, & uita æterna, in omnibus locis, personis, ætatibus, & uitæ generibus. Est enim Euangelion libera doctrina, nulli ordini, loco, personæ, nulli certo uitæ generi aliigata.

Non esurient neq; sitient.

Euangelion inundabit iusticiam sicut fluvius. Potare & pascere, sunt ferē exhortari et docere. Potus est exhortatio, quæ est necessaria, & quasi uiuificat cibū, id est, doctrinam. Vbi ergo uerbum est, ibi necesse est hos fructus sequi. Fastidiosi autem, qui amiserunt uerbum, illi diuersum faciunt sicut uidemus in nostris hæreticis, illi suppriet terram, & dissipant hæreditates &c.

Nox

**Non percutient eos æstus & sol.**

Non intelligo de persecutione, sed æstu conscientiae. Erunt instructi & habebunt consolationem per uerbum, ut conscientia non possit eos terrere.

**Quia miserator eorum reget eos.**

Sunt in regno misericordiae, non sub tyranno, sed sub miseratore, qui eis uerbum non sic commendauit, ut ipse absit, sed adest, sicut dicit. Vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi. Item Domino cooperante sequentibus signis &c. Fontes aquarum uocat consolationes scripturarum. Porro si rem uideas, omnia sunt contraria in Ecclesia, quare uerbo opus est, quo erigatur, & credat se talem esse, qualis hic describitur, quam diuersum sentiat.

**Et ponam omnes montes meos in uiam.**

Sic uidemus apud nos omnia genera uitæ incedere in sua uia. Magistratus, pater, mater, filius, seruus, nouit quod placeat Deo suum uitæ genus. Ante hanc cognitionem soli Monachi putabantur in statu Deo placente esse.

Porro hoc etiam significat, quod in fide nullus sit personarum respectus. Serui secundum fidem sunt pares magnis regibus & econtra.

IN E S A I A M  
Ecce isti de longe uenient.

Per quatuor partes significat conditionem omnium generum uitæ, quod non soli Iudæi sint futuri populus Dei, quod non soli cœlibes, & monachi, sed quod in omnibus ordinibus, et atibus, locis, erunt Christiani.

A mari, Hebreis est, ab Occidente.

Quod Latinus fecit (à terra australi) recte sententiam reddidit, nisi quod hic nomen proprium ponitur, à terra Sinim, de qua Exo. 17. Utitur autem plurali numero, ut significet se loqui generaliter, quod uerbum non faciat distinctionem personarum, ordinum &c.

Quia consolatus est Dominus populum suum.

Hoc est, quia dedit uerbum gracie & remissionis peccatorum.

Et dixit Sion, dereliquit me dominus.

Audiuiimus magnificas consolationes & promissiones Ecclesiæ, sed si sensum consulas, contrarium est uerum. Sicut Paulus dicit ad Corinthios 1. Corin. 5. & 2. Corin. 6. Preuenit igitur hic spiritus sanctus nostras cogitationes, ac si dicat. Audis consolationes meas & promissionem liberacionis & illuminationem. Sed scio quid tu his opponas. Sentis enim te obscuratam, uincitam, oppressam à Sathanæ, peccatis, ira Dei, & metus mortis.

## SCHOLIA.

171.

mortis. Sentis te derelictam esse, sed audi uerbum  
 & obmitte cogitationes tuas, neq; sequaris sensum  
 tuum, sed apprehende fide has meas promissiones:  
 Ego enim non fallam te, sed experieris, quantum=  
 uis secundum externarū faciem contrarium sentia-  
 tur, certo omnia euentura quæ promitto &c. Vi-  
 des autem hic gemitum, de quo Paulus etiam di-  
 cit, quod sit inenarrabilis. Et Zion, hoc est, iij quæ  
 uere sunt Ecclesia, & habent Euangelion &  
 tantam promissionum opulentiam, clamant se de-  
 relictos à Deo esse. Id quod imprimis obseruan-  
 dum est: Magnam enim hic locus consolationem  
 afferre potest, tentatis & afflictis animis, quod  
 pauores quos sentiunt, non sint mala signa, neq;  
 soli eos patiantur, sed sint signa uerae Ecclesiae &  
 uerorum membrorum Christi.

Nunquid obliuisci potest mulier in-  
 fantis sui, ut non misereatur filio  
 uteri sui, & si illa oblita fuerit, ego ta-  
 men non obliuiscar tui.

Insignis consolatio, sed quæ sine fide non in-  
 telligitur. Confutat clamores afflictorum notissi-  
 mo exemplo. Sexus enim muliebris natura est  
 misericors, quia ad misericordiam & ad fouen-  
 dum est natus. Vnde Hebrei etiam mulierem uo-  
 cant à matrice seu utero, quod ad fouendum sit  
 facta, sicut uir ad defendendum. Nullum igitur

## IN ESAIAM

animal est plenus misericordia, quam mulier,  
præsertim respectu sui infantis. Inde maternum cor  
proverbio dicimus, pro amicissimo & suauissima  
corde. Consolatur igitur nos a simili spiritus S. C.  
iubet ut inspiciamus matrem, quæ habet filium,  
Quemadmodū illam natura non sinit obliuisci aut  
deserere filium, ita neq; ego tui obliuisci possum.  
Hic ratio similitudinem quidem agnoscit, sed non  
credit se esse fœtum, neq; portari se, sed abiici &  
crudeliter iactari sentit. Hic nullū aliud consilium  
est, quam ut exclusis omnibus sensibus, in solum  
uerbum te reiicias, & simplici fide contra sensum  
& spem, credas sic esse, sicut uerbum dicit. Quic-  
quid enim extra uerbum est, nihil est nisi tribula-  
tio & afflictio. Sic nos hodie uarie uexamur. Pri-  
mum à tyrannis, qui gladio, aqua, & igni nos per-  
sequuntur, deinde à sectarijs. Huc accedit, quod no-  
men nostrum in summa apud omnes inuidia et odio  
est, & Sathan priuatim ununquamq; tentat pauci-  
ribus conscientiæ & iræ diuinæ. Secundum iudi-  
cium igitur carnis simpliciter perimus. Nisi ergo  
superemus hos sensus, et hæreamus in nudo uerbo,  
credentes, quod non reliquerit nos Deus, sed sit  
blandissima mater, fouens & portans nos, actua-  
de nobis est. Neq; enim ideo dedit uerbum, Non  
ideo nos ad ecclesiam suam per uerbum uocauit,  
quod uellet nos relinquere, sed uult per tentatio-

nes C.

Nes & afflictiones nostras, nobis uim & uirtutem  
uerbi sui ostendere. Quæ igitur in specie desertio  
uidetur, probatio potius est, ut nostro exemplo uer-  
bi uirtutem discamus &c. Et huiusmodi promissi-  
ones credendæ tantum sunt, non palpandæ.

**Ecce in manibus meis descripsite.**

In palmis meis descripsi te. Palmae signifi-  
cant potentiam diuinam & operationes diuinæ.  
Dicit igitur. Non possum tui obliuisci, es enim  
scriptus in palmis meis, id est, sum memor tui in  
omnibus quæ facio. Siue tyrannos contra te exci-  
to, siue sectas. In summa, quicquid facio, in tuum  
commodum facio. Sicut Paulus dicit. Puis omnia  
cooperantur in bonum. Sic Augustus per pacem  
aperuit orbem, ut Euangelion latius spargeretur.  
Sic rex Babylonis transstulit Iudeos in Babylo-  
nem, ut uerbum & lex Dei seminaretur etiam in  
gentes. Sic Joseph in aula Pharaonis admissus est.  
Sic quicquid operor, inquit, fit in tuum cōmodum,  
semper es in cōspectu meo, quia es depictus in pal-  
mis meis. Sunt fidei uerba, quæ credenda sunt. Si  
enim rationem consulas, diuersum appetet.

**Muri tui coram oculis meis semper.**

Emphasis est, coram oculis M E I S, non tuis.  
Nos enim sentimus, quod sumus expositi homini-  
bus, dæmonibus, peccatis, morti & inferno. Sunt  
igitur muri inuisibiles & tantum credibiles.

IN ESAIAM

Sectarij uident suos muros . Tyranni uident suos muros . Hic est immutandus sensus, quod illorum muri nulli sint, quia sunt coram oculis hominum, Nostrri autem coram oculis Dei.

Venerunt structores tui.

Est promissio de propagatione. Non ex ahaurieris, sed propagaberis.

Destruentes & dissipantes, à te exhibunt.

Concedit esse in Ecclesia destructores, tam tyrannos, quam hæreticos . Sustine, inquit, modicum, & recedent à te, Tu autem liberaberis.

Leua in circuitu oculos tuos, & uide.

Vbi nunc sunt tyranni & hæretici, ibi post uidebis omnia lœta. Vbi iam sunt gentes idolatre, ibi post erunt fratres tui, idem uerbum & eandem religionem sequentes. Sic legimus eas gentes, que occiderunt Apostolos, post adorasse eos, conuersas ad fidem.

Viuo ego, dicit Dominus, quia &c.

Qui iam tibi sunt oneri, & premunt te, illi conuersi debent tibi laudi, gloriae & honori esse.

Quia deserta tua & solitudines tuae.

Es tanquam desolata & uastata terra, pau- ci sunt qui te sequuntur, sed propagaberis feliz- cissime. Sed nota propagationē incipere à desola- tione & uastatione : Non igitur desperabimus  
hodie

hodie, quantumvis enim misera Ecclesiæ facies sit,  
non tamen ruet, sed propagabitur.

Dicunt filii sterilitatis tue.

Dicit Ecclesiam esse sterilem, et tamen habere numerosam sobolem. Fœcunditas enim in abscondito est, sterilitas est in specie. Hinc sunt iste uoces in Psalmis. Pauper et unicus ego sum. Item, Salua de ore leonis unica mea est.

Quis genuit mihi illos?

Sunt notanda tragica illa uerba, quibus spiritus sanctus Ecclesiam describit, quod sit sterilis, non pariens, translata, eiecta, destituta, sola et ceterum. Exponunt enim faciem Ecclesiæ, Sed numero desperandum? Non. Sequitur enim, quod haec sterilis admiratur numerosam sobolem. Sic Deus potens est dare supra quam intelligimus, Sicut Paulus dicit. Sic cum Ecclesia sollicita pro Iudeis esset, etiam gentes sunt addita, et ex Iudeis meritis Apostoli et duces Ecclesiæ facti sunt. Idem nobiscum accidet. Sanguis fratris Henrici Zudphaniensis, et Leonhardi Kesers et aliorum sanctorum, si modo in uerbo permanescimus, excitabit copiosum semen credentium. Hac enim est forma propagandæ Ecclesiæ, non multiplicatur, nisi sit sterilis et solitaria, et contra aduersarij et heretici non prius extirpantur, quam antea multiplicati sint et creuerint. Est insignis consolatio pro nostro tempore.

y 5 Ecce

IN E S A I A M

**Ecce leuabo ad gentes manū meam.**

Respondet spiritus sanctus, ad illam futuram Ecclesiæ admirationem, Quia enim Ecclesia futurum successum non uidet, ideo obiectit præsentem faciem rerum. Quasi dicat. Promittis quidem magnifice me fœcundam futuram, sed contrarium video & sentio. Ostende igitur digito filios & fratres meos. Respondet igitur spiritus sanctus. Scio, inquit, te non uidere filios tuos, quos promitto. Verum nihil id te moueat, Labora tu in partu, exerce uerbum, patere in fide, & expecta me. Ego enim te propagabo, & uerbum erit mihi seu uexillum, ad quod colligam filios tuos &c.

**Afferent filios tuos in ulnis.**

**F**uangelion non est violenta doctrina, sicut leges sunt, sed suauiter portat in uerbo, ut sponte affluant filii, non coacti.

**Et erunt reges nutricij tui.**

Significat etiam Reges conuertendos esse. Sic Carolus Magnus, Theodosius, & alij magni principes, uerbum amplexi sunt, & Ecclesiam liberalibus elemosynis sustentarunt, conseruarunt pacem, defenderunt Christianos a ui & iniuria. Accepérunt hunc locum de bonis donatis Ecclesiæ. Sed ego uix unquam iudico bona Ecclesie propter Euangelion donata esse, sed fraude, & furtis Pontificum Imperatoribus erecta sunt.

Puluerens

Puluerem pedum tuorum lingent.

Figurate exprimit reuerentiam, quam Christianis exhibuti sunt magni principes.

Scies, quia ego Dominus super quo non confundentur qui expectant eum.

Concludit has magnas promissiones uerbo expectandi, ut scilicet duremus in afflictione, tum futurum ut omnia ista, quantumuis impossibilia videantur, recipiamus. Est autem proprium Christianorum opus expectare Dominum, quod simulari a nullo potest. Ratio enim naturaliter ad alia praesidia refudit.

Nunquid tolletur a forti praeda.

Est occupatio, in qua de modo disputat, quomodo parare filios possit. Quasi dicat afflita ecclesia. Tu promittis magnam posteritatem, uerum ego video, quam id sit impossibile in tanta adversariorum potentia. Filij enim quos promittis, sunt sub tyrannis, qui eos tenent sicut Gygas rapinam. Sunt inter gentes sic excæcati & indurati, ut impossibile sit eos morti & inferno, a qui bus tyrannis quasi iure tenentur, cripere. Respondet igitur, Ego Dominus faciam, ut & magnam posteritatem habeas, & qui se tibi opponunt, suis uiribus pereant. Hoc enim est, quod dicit. Cibabo hostes tuos carnibus suis &c.

CAPUT

IN E S A I A M

C A P V T . L.

**Q**VIA Propheta cæpit tractare in posteriore suæ prophecie parte, regnum Christi, quod incepsum & confirmatum est per uocationem gentium & abiectionem Iudeorum. Sicut Paulus Rom. 11. dicit de Oleo. Ideo ferè in his duobus locis uersatur, ut & gentes ad Ecclesiam uocet, & reliquias Iudeorum consoleatur, exhortetur, & prouocet.

Porro sunt due legittime rationes, quibus diuidebatur in lege maritus & uxor. Prima, quod uxor repudiabatur. Secunda, quod uendebatur. Quid igitur Synagoga ab Ecclesia recessit, accusat eam, tanquam meretricem, quæ sine ulla causa discesserit a marito. Non repudiavi, non uendi te, inquit, sed tua iniustas & malicia causa est huius repudij.

Ecce enim in iniquitatibus uestris uenditi estis.

Hæc est causa reiectionis. Sicut hodie nihil obmittitur a nobis, ut reducamus tum Papistas, tum sectarios in viam. Non excludimus eos ab Ecclesia, sed ipsi se excludunt.

Quia ueni, & non erat uir.

Probat ipsorum malitiam in causa fuisse. Veni in carnem, inquit, sum mortuus pro uobis, resurrexi,

resurrexi, impleui et exhibui præsens omnes præmissiones. Verum uos me non recepistis. Sicut est Iohan. i. Venit in propria, & sui eum non receperunt.

Nunquid abbreviata & paruula &c:

Iactat potentiam suam contra Iudeos, & obiurgat eos. Quasi dicat. Vos me ideo negligatis, quod sine aliqua pompa ueniam, Spectatis aor- porale regnum, & hanc infirmitatem contemnitis. Verum ego sic soleo, nunquam liberaui uos per uirtutem, sed semper per infirmitatem, in qua summa uirtus & potentia est, & tum soleo esse potentissimus, cum prorsus nihil posse existimor. Sic enim solet Deus, quoties nobiscum uult agere, apprehendit eas formas, quas mundus iudicat stu- tissimas & infirmissimas esse. Sic in Baptismo in- bet suos perfundi aqua, ut eluantur peccata. Quid autem inceptius fangi potest, ad superandam mor- tem & infernum, quam perfundi aqua, ad quam accedit miser halitus peccatoris ministrantis. Sic sunt omnia alia Dei opera, ut nostram sapientiam stultificet, ne quid præsumamus.

Ecce increpatione desertum facio  
mare.

Ego infirmus Deus, uerbo, quo nihil infir-  
mius putatur, mare rubrum exiccaui, ut libera-  
rem te, ne igitur offendaris humili specie. Quan-  
quam

## IN ESAIAM

quam autem historica hæc sint, tamen possunt allægorice exponi, quod potentes deponat de sede.

Induo cœlos tenebris.

Infirmus ego Deus in monte Sina induxi cœlum nubibus, ut nulla stella conficeretur.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum uerbo, qui lassus est.

Si te offendit infirma species, præbe aures & audi uerbum, quod mihi Dominus dedit. Sic ab externa specie, in qua cernitur infirmitas, remittit ad uerbum, ut qui in specie scandalizantur, uerbo se ædificant. Epitasis est in nomine (eruditam linguam) quasi dicas, linguam discipulatam, quæ nihil loquitur, nisi quod à Deo didicit. Non est lingua magistri, sed lingua discipuli.

Erigit mane.

Hic usum & uim uerbi ostendit, quod scilicet nunquam sit sine fructu, sed ferat fructum, & in docente, & in discente. Est obseruandus locus pro externo uerbo, quod prophani & seditiosi spiritus hodie contemnunt.

Dominus aperuit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.

Verte. Ut audiam sicut discipulus? Dominus cum dat uerbum, simul dat & discipulos. Nostri sectarij

sectorij, quanquam multa audiant, legant & dicant, tamen dicunt, legunt & audiunt omnia sicut magistri, ad ostendandū se, & nos iudicandos, imo et ad uerbum Dei iudicandum, non ad discendum.

Ego autem non contradico.

Suo exemplo ostendit hic fructum uerbi. Verbum enim facit, ut patienter feram quicquid mihi obtigerit, non fugio crucem, sed uerbo consolatus, etiam mortem subire non recuso.

Corpus meum dedi percutientibus.

Sunt intelligenda de passione Christi. Celebrat enim & commendat nobis uim uerbi. Sic Ecclesia decies potius mortem subiret, quam ut uerbum Dei, siue opere, siue ore negaret. Tanta est uirtus in uerbo Dei, quod infirmum & stultum est ijs, qui percunt, & qui uolunt esse magistri. Nobis autem qui sumus discipuli, est summa uirtus.

Porro qualem Christus hic se esse dicit, talis est Ecclesia hodie & omnibus temporibus, exposta scilicet percussoribus & uellicatoribus.

Dominus Deus auxiliator meus.

Hæc est uis uerbi, qua sustentatur Christus. Porro si speciem consideres, diuersum apparet, & iudicatur premi Christus cum Ecclesia à Deo, & Sathanā simul, nec usquam esse auxilium,

IN E S A I A M.

Ideo posui faciem meam ut petram.

Facies est per se mollissima & tenerrima pars corporis, Hanc in Christo & Ecclesia operat esse duram sicut silicem, ad sustinendas plagas. Non ergo desperent Christiani in malis, sed scient ponendas facies sicut petras, ut omnia in spiritu & uerbo superare possunt. Est insignis confirmation & consolatio illorum, qui propter uerbum patiuntur.

Quis est qui condemnnet me?

Hic insurgit petrea facies contra aduersarios magna plerophoria, quam nos quoque habere necesse est. Varie hodie accusamur, damnamur tanquam heretici & seditiosi. Alij clamant, nos reuocare Papatum, alijs alijs calumnijs nos gravant. Recurrimus igitur ad uerbum, & hic cum Christo dicimus, Quis est qui condemnnet nos? Scimus enim falso omnia ista crimina nobis imponi aaduersarijs. Sicut David etiam suis hostibus insultat coram Domino. Si feci istud, si est iniquitas in manibus meis &c. Psal. 7.

Ecce omnes quasi uestimentum conterentur.

Insignis consolatio contra aduersarios Christi & Ecclesiae. Sed quemadmodum auxilium piorum coram mundo non apparet, sed potius premitur, Ita nec contritio impiorum apparet, sed florent, &

flarent, & ipsi conterunt ac comedunt alios, non conteruntur, non comeduntur. Quare fide hic opus est, qua expectemus illa aliquando futura. Non enim mentietur spiritus sanctus, & uidetur propheta ideo hac similitudine esse usus, ut significaret, non statim perire impios, sed dare Deum spaciū pœnitendi. Quod si neglexerint, fieri ut tyranni pereant, Verbum autem Domini maneat in eternum.

### Quis ex uobis timens Dominum.

Christus nobis dupliciter præponitur. Primo sicut donum, deinde sicut exemplum. Hic igitur communicat personam suam omnibus tanquam exemplum. Si quis est, inquit, qui timet Dominum, & delectatur uerbo, ille uarijs calamitatibus obuetur, ambulabit in tenebris, hoc est, affligetur in mundo. Sequatur igitur meum exemplum, & speret in nomine Domini, & certo experietur, quemadmodum ego seruatus & glorificatus sum, hostes autem mei interierunt, sic se seruatum iri, & hostes suos iri perditum.

### Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.

Hæc una ratio liberationis, hoc unum in asperis rebus refugium est, sperare, non in humana consilia & auxilia, sed in nomen, non hominis, sed Dei. Est autem scandalosa species, nihil habere

## IN ESAIAM

qui innitaris, nisi nudum nomen Domini, & uerbum, quod quasi arx quedam est, ad quam confugiat iustus, ne pereat in tempore malo.

Ecce uos omnes accidentes ignem.

Ignem quem succendistis, & flamas, quas in me congerere uoluistis, in uos conuertam. Sicut in Psal. dicit. Incidit in fouem quam fecit.

In doloribus dormietis.

In doloribus iacebitis. Non dicit, stabitis aut sedebitis, sed, iacebitis tanquam nunquam surrecturi, sine regno & sacerdotio. Hæc uobis sient de mea manu, quem tanquam infirmum Deum contemnitis & repudiatis.

## CAPVT. LI.



Ergit in consolatione Ecclesie, ex reliquijs Iudeorum & ex gentibus collectæ, quæ propter uerbum affilitur. Tu Ecclesia putas te desertam uiduam esse, & repudiatam à me, uerum ne desperes, cum paucitatem tuam & sterilitatem tuam consideras, quia is, cui credis, potens est te multiplicare, & ex sterili fœcundam facere. Respice effectum Abraham & sterilem Saram, in quam numerosam posteritatem excreuerint. Porro tu nondum ita desperata es, sicut Abraham & Sara

Sera fuerunt, noli igitur succumbere, confide ergo?  
Sic consolatur insigni exemplo Abrahe omnes  
solitarios, derelictos, & steriles in speciem pro-  
pter uerbum.

Audite qui sequimini quod iustum est.

Vos qui non contemnitis uerbum, sed uelle-  
tis recte omnia ubiq; geri & administrari.

Attendite ad petram, unde excisi estis.

Quasi dicat. Quam impossibile est, ex saxo  
homines nasci, tam erat impossibile ex Abraham  
aliquid propagari. Et tamen ex illo uno, effecto,  
& desperato uiro, uos, tantus populus, propagati  
estis.

Et ad cauernam laci, de qua præcisi  
estis.

Sic appellat sterilem Saram.

Quia unum uocauimus eum, & bene-  
dixi ei.

Emphasis est in nomine (unum). Quasi di-  
cat. Noli spectare multitudinem repudiatorum,  
& tuam paucitatem, etiamsi unica & solitaria  
sis. Possum enim te facere in maximum populum.  
Sine dubio autem hoc exemplum Abrabæ, magna  
consolationi Apostolis fuit, qui scandalo multitu-  
dis abiectæ mouebantur, & nos hodie in misera  
Ecclesiæ facie similiter nos consolamur, ut quan-  
cumquis pauci sint, qui ueram religionem ample-  
ctantur,

## IN ESAIAM

*Estantur, fore tamen, ut benedictione diuina, sicut Abraham crescamus, & aliqua Ecclesiæ forma etiam ad posteros nostros perueniat.*

**Consolabitur ergo Dominus Zion.**

*Iam accommodat exemplum Abrahae, & exponit statum seu formam Ecclesiæ, quod Ecclesia sit tanquam solitarius Abraham, & sicut desertum & ruina. Fore tamen, ut benedictione diuina crescat, & sit tanquam cultus hortus. Accommodari autem hæc priuatim quoq; debent, ut si quis se in fide, spe, castitate, & alijs donis, sentiat quasi desertum esse, non tamen desperet, sed credit Deo promittenti benedictionem.*

**Attendite ad me popule meus.**

*Hic modum & formam addit, quomodo Ecclesia sit multiplicanda & paranda in hortum, non manibus & ui aliqua, sed noua lege, hoc est, Euangilio, quod non Moses in Iudeos tantum, sed ipse Christus per Apostolos suos in totum orbem fit diuulgaturus. Ideo non potest accipi de lege Mosi. Et est insignis locus & clarus de abrogatione legis.*

**Brachia mea populos iudicabunt.**

*Ego ipse regnabo per meam potentiam in populis. Iudicare enim idem est, quod regere, ut Samson iudicauit. 25. annis, id est, regnauit.*

**Me Insulae expectabunt.**

*Propagabitis*

Propagabitur Ecclesia in gentes, & sic crea-  
scet.

Leuate in cœlum oculos uestros.

Vos qui ita desperati estis, & defatigamini  
illa specie sterilitatis, inspicite cœlum & terram,  
quæ uidentur æterna esse. Prius tamen peribunt  
cœlum & terra, quam salus & iusticia mea, quam  
nobis promitto. Non enim temporalis aut corpo-  
ralis iusticia est, sed æterna. Sicut in Psal. est. Iu-  
sticia eius manet in sæculum sæculi. Quantumuis  
igitur externa species cum mea promissione pu-  
gnet, tamen suscipiemini à me, & suscipiemini in  
iusticia & salute æterna.

Habitationes eius sicut hæc interibūt.

Hæc, est δικτικὸν, quasi pilum aut floccum  
ostendat. Est autem magni animi & ingentis ple-  
rophoria, credere, quod iusticia, quæ nobis in nu-  
do uerbo promittitur, maior & stabilior sit, quam  
cœlum & terra. Ad quam comparatum cœlum  
& terra, nihil sunt.

Audite me qui scitis iustum.

Est exhortatio. Cum igitur tanta sit uestra  
iusticia, quid metuitis tyrannos, qui nihilo poten-  
tiores sunt, quam tineæ & uermes? Sunt autem  
opprobria & blasphemiae, de quibus dicit, non so-  
lum quæ homines in nos congerunt, sed multo ma-  
gis, quæ Sathan & conscientia nobis obijciunt.

## IN E S A I A M

Quare fide omnia hæc sunt accipienda . Coram  
mundo enim nos sumus tineæ & uermes , sicut  
Christus etiam queritur . Contra aduersariorum  
iusticia æterna uidetur splendet & triumphat , &  
tamen uerum est , esse tineas omnes nostros aduer-  
sarios , tam spirituales quam corporales . Tineas  
non potest tactum ferre , sed statim conteritur . Ta-  
les credit fides esse ferreos & æneos illos tyran-  
nos eorum mundo .

Consurge , consurge , induere fortis .

Consolationi subiicit siue cantilenam , siue  
gratiarum actionem , siue orationem , & rogat , ut  
uelit ostendere uirtutem suam . Sunt autem uerba  
affectionis , quod dicit , Consurge . Perinde atq; si  
Deus altum somnum dormiat . Noster enim Deus  
coram mundo infirmus & stultus est , talis quoq;  
est populus eius . nec potest se vindicare contra  
tyrannos & hereticos . Ad orationem igitur re-  
currit , & orat auxilium .

Consurge sicut in diebus antiquis .

Olim satis potenter ostendisti brachium &  
potentiam tuam , cum percussisti superbos Acgy-  
ptios , & Draconem , hoc est , Pharaonem in exitu  
populi tui mersisti . Idem nunc facito .

Et nunc qui redempti sunt à domino .

Fatetur Ecclesiam captiuam & nondum li-  
berata esse , carere gaudio et letitia . Sentit enim  
Ecclesia

Ecclesia suam Aegyptum, & premitur uarijs tentationibus mundi, Sathanæ & conscientie. Christus tamen promittit, tristitia uestra uertetur in gaudium. Iterum uidebo uos & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet a uobis. Sic habent credentes certissimam consolationem quod Deus aderit & liberabit eos. Sed hoc molestum est, quod Christus & Petrus dicunt, modicum expectandum esse. Videtur enim hoc modicum tum cum in temptatione sumus aeternitas quædam esse, quare opus habemus his consolationibus uerbi.

Ego, ego ipse consolabor uos.

Excitat corda nostra ad contemplandum eum qui nobis loquitur. Ego Deus consolor te, non aurum, non argentum, non gloria, non mundus &c. sed uerbum & spiritus meus sustentabunt & defendant te.

Quis tu, ut timeas ab homine mortali?

Times hominem, qui te terret, quare etiam non erigeris me consolante? Deus enim sum qui impleo cœlum & terram, illi sunt bullæ aquæ, tinea, stipula, stilla situla, momentum stateræ, puluis, incensæ spinae &c. Dicit igitur se consolationem esse, non perturbatorem, quanquam caro tempore tribulationis sic iudicet, sed male iudicat. Non

## IN ESAIAM

eat. Non enim tentamur, ut tribulemur & peres-  
amus, sed ut uirtus uerbi clarescat & fides crea-  
scat, quæ ocio languesceret.

Oblitus es Domini factoris tui.

Tuus factor ego sum, non carnifex aut tor-  
tor, & tanta est potentia mea, ut cœlos exten-  
dam, & terram fundauerim. Non igitur est ut me-  
tuas parum uirium in me esse ad te liberandum.

Vbi nunc est furor tribulantis.

Allegat exemplum Pharaonis & populi  
Iudaici, ut erigat afflictam Ecclesiam. Quemad-  
modum ille periit, ita quoq; tui hostes peribunt.  
Porro hunc locum sic uerte. Vbi nunc est furor  
tribulantis? dum acceleraret, & discurreret ad  
aperiendum (hoc est, ad dimittendum populum  
Israel) Ipsi autem (scilicet populus Israel) non  
moriebantur in fouea, nec deficiebat eos (id est,  
populum) panis.

Ponam uerba mea in ore tuo.

Hic debet esse modus, quo nos consolatur  
& triumphare facit Deus, nempe per uerbum.  
Non dat arma in manus, sed SVVM uerbum  
in os ponit, cum eo uerbo consolamur fratres, &  
profligamus Sathanam cum aduersarijs nostris.  
Magna igitur res est, certum esse, quod uerbum  
Dei habeas & doceas. In hoc solo uirtus nostra  
est sita. Quare hoc primum est statuendum, an sit  
uerbum

uerbum Dei, quod nos docemus & sequimur, hoc cum statutum est, & confirmatus est animus plerophoria, tum facile est queuis ferre, pati, & superare.

**Et in umbra manus meæ protexi te.**

Promittit defensionem, quæ omnino necessaria est ijs qui uerbum habent, propter mundi & Sathanæ insidias & insultus. Sicut igitur dixi, primum uideamus, an hoc sit uerbum Dei, quod docemus, tum certo aderit defensio manus diuinæ in medijs tribulationibus.

**Vt plantes cœlos & fundes terram.**

Nouos cœlos & nouam terram spiritualem significat, Ecclesiam scilicet, quam plantat & fundat Deus per externum & uocale uerbum, & os nostrum carneum, ut sic dicam. Quare impij & prophani spiritus sunt, qui uocale uerbum contemnunt.

**Eleuare, eleuare.**

Verte Expergiscere. Significat enim Ecclesiam stertere profundo somno præ malis, quibus exercetur. Pertinent autem hæc quoq; ad consolationem. Concedit esse Ecclesiam afflictam & proculcatam, quæ omnium iniurijs pateat, prematur à tyrannis & scæcis. Id enim significat per calicem iræ, quem usq; ad fecem bibisse dicit. Calicem enim uocat, quod sit deputata mensura cru-

## IN E S A I A M

cis. Calicem autem soporis dicit, sicut Pfab. 59.  
uinum compunctionis. Item, uinum quod cum bibi-  
tur facit nutare. Sicut etiam in Psalmo. 160. Moti-  
sunt pedes mei sicut ebrij. Hoc est, quod ita non  
nunquam deserimur, & immarginur temptationi-  
bus, ut nullum consilium, & euasio nulla usquam  
appareat, ut desperabundi gemamus & suffire-  
mus auxilium. Hæc enim est ebrietas, de qua Pro-  
pheta hic dicit, quæ complectitur spiritualia &  
corporalia mala omnia.

Non erat qui sustentaret eam.

Tantum est malum, ut nullus hominum quic-  
quam auxiliij ad id afferre possit.

Duo sunt quæ occurrerunt tibi.

Ebrietas scilicet nutabunda, & desertio fi-  
liorum, ut & oppressa essem ex omnibus partis  
bus, & neminem haberem qui te subleuaret, in cu-  
ius sinum euomere molestias tantas possem. Sic pre-  
uenit nos spiritus sanctus. Quasi dicat. Scio hac  
ita futura esse, non est quod putas me ignorare  
passiones tuas, non potest aliter fieri. Ego autem  
scio, & numero gemitus & lachrimas tuas, sicut  
in Psal. 66. dicit. Numera fugam meam, & collige  
lachrimas meas in utrem tuum.

Vastitas, contritio, fames, gladius.

His ferè infestatur Ecclesia. Gladium &  
uum impiorum sentimus hodie, sentimus etiam  
famem

famem. Videtur enim mundus conspirasse, ut Euangeli ministros fame enecet, tanta passim rustorum, ciuium, & nobilitatis malitia est.

Filiū tui proiecti sunt.

Quid sit Orix, disputant grammatici. Nos accipimus pro silvestri boue. Est enim Ecclesia sicut silvestris fera, in qua omnes sua odia exercent, uenando, illaqueando, mactando. Sic Paulus dicit, pro piaculis Christianos haberi, quorum morte placetur Deus, & liberentur homines ab ira Dei. Non solum autem persecutionem patiuntur, sed etiam indignationem Domini, & increpationem Dei N O S T R I. Hoc est, quod laborat conscientia, & sentit se premū ira & indignatio ne Dei. Hæc inquam Christiani patiuntur. Contra Epicuri & porci illi sunt securi, & letissime successu fruuntur, sed tamen usq; ad tempus.

Hæc dicit dominator tuus.

Est promissio, futurum ut à malis omnibus Ecclesia liberetur, & male pereant eius inimici. Ecce tuli calicem soporis de manu.

Vocat calicem indignationis, non quod sit vera indignatio & ira. Quomodo enim nobis irasci Deus potest, quos adoptauit in filios? Sed spiritus sanctus loquitur ex affectu nostro. Nos enim sentimus ueram esse iram, tum cum à domino corrigitur.

Et ponam

IN E S A I A M

Et ponam illum in manum eorum  
qui te humiliauerunt.

Sic hodie non prius cessant Papistæ nos persequi & humiliare, quam pereant. Pacem nolunt, quæ eis offertur. Posuimus igitur corpus nostrum ut terram & quasi uiam transcurrentibus, calcauerunt dorsum nostrum ut lutum. Fiet igitur alia quando, ut experiantur ea quæ hic Deus persecutoribus Ecclesiæ minatur.

Hactenus igitur Propheta insignes consolationes Ecclesiæ tractauit, quæ in uerbum collecte sunt, non in aliqua externa, uisibilia aut sensibilia presidia. Ergo noster thesaurus est occultus & inuisibilis. Extra uerbum enim nulla est consolatio. Prophanū homines hodie, qui tamen sibi spiritum arrogant, docent spiritum alia uia, quam per uerbum, contingere. Id quod periculosisimum est. In temptatione enim tales, aut desperabunt, aut sibi ipsis manus afferent. Sunt enim expostissimi Satha næ, quia non sunt alligati ad uerbum externum, & ad petram illam, quæ sola uim aquarum & tempestatis sustinet. Quare meminerit unusquisque, ut hoc uerbum, quod in Biblia legit, quod ex ore hominis audit, maximū faciat. Non enim frustra Paulus admonet, habentes spem per consolationem scripturarum. Item, Omnis doctrina diuinitus inspirata, ad docendum utilis &c.

CAPVT

## CAPVT. LII.

 Aepit Propheta propheciā  
de regno Christi, Euangelio, fide &  
Ecclesia. Non autem uno sermone  
hoc argumentum tractauit, sed sicut  
nos quoq; in nostris concionibus so-  
lemus, uariauit tractationem alia atq; alia forma.  
Videtur igitur hic nouum sermonem de eadem re  
instituere. Videt Synagogam uarijs calamitatibus  
oppressam, uarijs bellis & captiuitatibus uexa-  
tam esse. Promittit igitur Christum hoc capite.  
Quasi dicat. Toties capti, redempti, & deinde  
iterum uastati estis, age instituam aliquando re-  
demptionem, que sit æterna, quam nulla alia ca-  
ptiuitas, nulla uastatio sequatur. Ea redemptio est,  
qua Christus morte sua exhaust in cruce pecca-  
tum, mortem & infernum, & redemit nos libera-  
tione perpetua.

Iuduere fortitudine tua Sion.

Quasi dicat. Pre manibus est ut libereris,  
& constituaris in regnum nouum & æternum, er-  
go sis animosa, & inde ornatum, utere ista libera-  
tate & gracia. Coniungit autem fortitudinem,  
que ad bellum requiritur, & ornatum qui requi-  
ritur tempore pacis. Euangelion utrumq; præstat.  
Munit nos fortitudine contra peccata & mortem.

Ornat

## IN ESAIAM.

Ornat quoque exercitijs fidei, caritate, & doma  
qua spiritus sanctus credentibus assert, castida  
tem, sapientiam &c.

Quia non adiicit ultra ut pertranseat.

Intrare Hebraica consuetudine significat ad-  
ministrare, regere. Promittit igitur fore, ut neque  
gentiles tyranni (hos enim incircumcisos vocat)  
neque hypocritæ Iudei sint in administratione uerae  
Ecclesiæ.

Excurere de puluere.

Distinguenda hæc sunt, puluis, & vincula.  
Prius enim significat corporalem captiuitatem,  
Posterior autem spiritualem, quæ est sub legibus  
& traditionibus, extra Christum. Captiuitas enim  
conscientie est, qua homo captiuatur opinione fal-  
si peccati. Vbi enim Christus non lucet in cordi-  
bus, ibi impossibile est hominem sibi non facere ca-  
ptiuitatem ex legibus. Ratio hæc est, quod homo  
naturaliter hanc sapientiam habet, si hoc & hoc  
non seruaueris, damnaberis. Huc faciunt tyranni  
corporales & spirituales, qui exigunt a nobis  
legis & aliarum traditionum opera. In Ecclesia  
autem & fidei Christi, neque ciuiles leges, nec di-  
uinæ leges Mosi, conscientiam ligant, aut da-  
mnant. Extendi enim debent tantum super  
corpus & res externas. Et conscientia debet  
in Christo, qui super & extra omnes leges est,  
hæc.

SCHOLIA:

184.

barere. Et hæc est libertas Christiana, de qua  
alibi plura scripsimus.

Gratis uenundati estis, & sine argen-  
to redimemini.

Gratis estis traditi in manus gentium, hoc  
est, gentes pro ista direptione non dederunt pœ-  
nas, sed pro libidine sua uobiscum impune ege-  
runt. Fiet igitur ut uos uicissim gratis redimam-  
ini. Sic nos hodie liberati sumus a iugo Papæ gra-  
tis, hoc est, sine ullo præcedente merito, & sine  
pena peccati, quod Christum in omnibus con-  
cionibus & aris blasphemauimus & crucifi-  
ximus, sicut adhuc hodie totus Papatus facit  
sine penitentia. Quare necesse est cum ruere.

In Aegyptum descendit popu-  
lus meus.

Exaggerat collatione tyrannidem Phari-  
seorum. Grauiter afflictus est populus meus in  
Aegypto sub Pharaone, grauiter ab Assyrio,  
Sed nihil est, si conferas ad tyrannidem exactio-  
rum legis, Phariseorum & Saduceorum, qui  
conscientias miserrime uexant. Perinde atq; si  
hodie dicamus, Magna est principum tyra-  
nis, sed quid ea ad Papam? Ili enim corpora-  
tentum, & res, ab Papa animas crudeliter per-  
dit.

Dominatores eius inique agunt.

Verte.

## IN ESAIA M

Verte. Fecerunt ullulare. Videmus autem  
hic, quam magnum peccatum sit, male docere.  
Non enim est docere, sed ullulare & blasphemare.  
Et mali doctores sunt obscenæ aues, que in te-  
nebris uolant, & ullulatibus suis turbant & ter-  
rent conscientias, & fatigant miseris auditores  
uanis operibus. Blasphemi etiam sunt, quod negant  
graciam, & tribuunt iusticiam operibus. Tales  
noctuas & bubones hodie alit & habet Papatus.  
Videtur autem Paulus ad hunc locum allusisse  
Roma.2. Nomen Dei propter uos blasphematur  
in gentibus.

Propter hoc sciet populus meus no-  
men meum.

Adimam his hypocritis & pseudoprophe-  
tis officium, & congregabo populum ad me, ut me  
unum audiant. Si c abrogat officium docendi Mosi  
& veteri sacerdotio, quod in certa familia erat,  
& dicit se fore pastorem, quem unum oues audi-  
ant, & sequantur. Reliquos autem omnes conte-  
mnant, siue sint episcopi, siue pontifices, siue Mo-  
ses ipse. Hæc libertas ab Apostolis cæpta est, &  
durat adhuc hodie in Ecclesia. Est autem libertas  
non carnis, sed spiritus. In carne enim nulla debet  
esse libertas. Debemus enim subiecti esse parenti-  
bus, magistratibus, & in summa omnium serui es-  
se. Sed in spiritu & conscientia sumus liberrimi  
ab omni

ab omni seruitute, ibi nulli credimus, nulli confidimus, nullum timemus, nisi solum Christum, qui regnat inter medias afflictiones cum gaudio & laetitia. Inter media peccata cum uirtute & fortitudine. Porro si quis dubitet prophetam de regno quod in uerbo positum est loqui, audiat sequentias.

### Quām pulchri super montes pedes.

Est collatio Euangelij & legis, & commen-  
datio Christi loquentis per Apostolos suos. Qui  
docent legem, sunt tristes bubones, & terrent ul-  
tulatu suo, sed nuncij Euangelij habent amabiles  
pedes. Afferunt enim lētissimum uerbum pro con-  
scientijs turbatis, Id quod illi norunt, quorum  
conscientia aliquando periclitata est. Sunt autem  
hi nuncij in montibus. Neq; enim Euangelion sic  
est alligatum, uni monti & populo, sicut lex, Sed  
liberrime spargitur in montes, id est, populos, &  
in omnem terram, & affert eis pacem, id est, re-  
missionem peccatorum. Affert bona, id est, lētitiam  
& gaudium, & alios fructus spiritus. Affert etiam  
salutem, id est, libertatem & redemptionem a pec-  
catis, morte et inferno, & uictoriam contra omnia  
mala &c. Contrarium lex in animis hominum ef-  
ficit.

### Zion Deus tutus regnat.

Hæc est ratio, unde sint tanta dona in Ec-  
clesia. Quod scilicet ipse Deus Christus, est rex

A & doctoy.

## IN E S A I A M

¶ doctor. Quomodo autem non possunt omnia bona istie esse , ubi Deus est , & regnat, ubi non regnant mors & peccatum , sed Christus ex ipsa salus ? Sic continet hic locus manifestam propheciam de nouo uerbo inuulgando. Abrogat enim omnia regna, Mosis, sacerdotij, Phariseorum &c. & unum Christum regem constituit. Id quod diligenter notandum est , ut constituamus Christum in proprium suum officium , ne, sicut Papatus fecit, iudicem ex eo faciamus.

Porro multa alia ex hoc loco possunt colligi, si diligenter sententias inter se conferas. Dicit enim alios seduxisse populum suum , ergo habet populum corporalem in hac uita. Item promittit se eius populi fore doctorem , Ergo Christus est uerus homo , & regnum Christi tantum consistit in uerbo . Quod autem addit, blasphemari nomen suum. Item, Deus tuus regnabit , ergo simul Deus est , & eadem persona est uerus Deus & uerus homo. Hinc necesse est sequi , quod sit moriturus, tanquam homo , & quod sit resurrecturus ex morte, tanquam Deus . Hinc apparet regnum Christi esse spirituale, & non corporale, Ergo non potest regi legibus ex ratione sumptis , sed solo uerbo spiritus , ubi cor in & per gratiam uiuit & agit, liberum ab omnibus legibus, paenit & paucibus. Errant igitur , qui putant Christum esse legislatorem.

gislatorem, qui formet mores, & sicut Socrates aliquis exempla perfecta morum proponat. Quanquam enim etiam externas actiones format, tamen primum internum hominem instituit, & renouat, deinde etiam corpus, manus, & pedes gubernat: Fidem enim sequuntur opera, sicut umbra corpus sequitur.

**Specularores tui leuauerunt uocem.**

Speculatores uocat ministros uerbi, qui uno ore leta & iucunda loquuntur. Significat tamen proprie per speculatores successionem uerbi. Per Apostolos enim fundatum est regnum Christi, per speculatores autem propagatur. Porro in speculatori uox requiritur. Nostri Episcopi hodie sunt speculatores sine uoce, & uere muti canes.

Pertinet autem hec quoq; particula ad descriptionem regni Christi, ut id discernamus ab omnibus alijs regnis, quod non in armis, ui, legibus consistat, sed simpliciter in latu uerbo Euangelij. Ne confundamus politicum & ecclesiasticum regnum.

**Gaudete & laudate simul deserta Hierusalem.**

Sic uocat reliquias Synagoge, & simul indicat, Euangelion esse prædicationem pauperum, sicut Christus dicit. Pauperes Euangelizantur. Sicut in Psal. quoq;. Pauper & imops laudabant te

## IN ESAIAM

Bunt te Domine.

Quod autem dicit, laudate, significat sacrificium εὐχαριστίας quod unicum Christiani habent, ut agnoscant beneficia Dei, & sint grati, laudando & prædicando Deum, non abutendo donis ad suam gloriam contra proximum.

Recedite, recedite.

Post tantas promissiones subiicit Propheta exhortationem, qualis illa Pauli est. 2. Corin. 6. & Roma. 13. Recedite, inquit, à regno mundi, peccatorum & conscientie. Amplectimini Evangelion, & nolite tempus gracie negligere.

Pollutum nolite tangere.

Figura sumpta ex lege, quam transfert ad spiritualem mundiciam & immundiciam. Pollutum autem est, quicquid non simpliciter ex fide Christi & gratuita gratia pendet.

Mundamini qui fertis uasa Domini.

Pertinet hoc proprio ad ministros uerbi & doctores. Hi enim ferunt uasa Domini. Quasi dicat. Vos qui estis doctores, uidete ut sitis mundi, nolite cauponari uerbum, sed docete in simplicitate. Est autem necessaria adhortatio, qua moneamur primo, ut maneamus in uera fide, Secundo, ut maneamus in puro uerbo.

Quoniam non in tumultu exhibitis.

Respicit ad historiam exitus de Aegypto. Inde enim cum pauore & festinatione exierunt.

Qua

Qye figura bene conuenit cum iusticiarijs, illi se-  
stinant & pauent, cum paululum tentantur, ex-  
audiq; auxilia & praesidia conquirunt. Hinc tot  
regulae Monachorum, tot opera & cultus mana-  
runt, quod crediderunt se talibus operibus con-  
scientiam subleuare & quietam reddere posse.

Monet igitur Propheta pios. Vos pijs, inquit,  
nolite imitaris impios, neq; enim cum tumultu exi-  
bitis. Iussi uos, ne tangeretis polluta, & ut mundi  
effetis, Id non fiet tumultu & fuga, hoc est, uiribus  
uestris. Alia ratio est qua liberabitini ab impie-  
tate. Nempe quod Dominus precedet uos, & quod  
uos congregabit Deus Israel. Hoc est, simpliciter  
audite uerbum, quod Dominus uos precedet. Ab-  
stinetе à uestris studijs, & nolite ipsi fieri autores  
salutis uestrae, sed finite ut Dominus regat uos  
uerbo & spiritu suo, ut in eo solo hæreatis, &  
præterea in nullius operis aut cultus fiducia. Est  
igitur insignis exhortatio, ut simplici fide in so-  
lum Christum ducem nostrum respiçiamus, qui nos  
colliget ut maneamus in uerbo, & simus tuti ab  
omnibus peccatis. Sic legimus de quadam sancta  
Moniali. Ea cum tentaretur ob admissa peccata,  
nihil aliud respondit, quam se Christianam esse.  
Sensit enim se nec suis malis operibus damnari,  
quod haberet Christum, nec bonis operibus sal-  
uari posse, sed Christum pro se traditam uicti-

IN ESAIAM  
mam &c. satisfecisse pro peccatis suis, & uitam  
eternam meruisse &c.

CAPVT. LIII.

De Christi passione & glorifi-  
catione.

**H**ACTENVS descripsit Propheta Christi regnum sub cruce, & multas ac magnificas Ecclesie & sanctorum consolationes addidit. In hoc autem capite principaliter de ipso capite regni & principe Ecclesiae agit, de Christo. Et describit etiam modum, quo parauit redemtionem suorum. Est igitur uix alius locus in tota scriptura apertior, tum de passione Christi, tum etiam de resurrectione. Quare etiam ediscendus erat ad confirmationem fidei nostre contra Iudeos, qui illo crucis scandalo offensi, nostrum Christum pro Messia non agnoscunt. Hoc enim negari non potest, quin Propheta de Christo seu Messia hoc capite agat, quem dicit sublimiter exaltandum, & simul humiliationem eius describit. Non igitur potest intelligi corporale Christi regnum. Observandum hoc quoque est quod dicit aperte, Messiae regnum glorioissimum simul & potentissimum fore, sed post eius mortem. Inde

Inde enim certo colligitur, Christi regnum non corporale, sicut Iudei somniant, sed spirituale esse. Porro uolumus hoc capite, quia præ reliquias insigne est, magis sententiam quam uerba reddere. Nam Latinus textus paulo est obscurior.

**Ecce seruus meus prudenter aget.**

Seruus dicitur, non qualis fuit Moses, aut homines sunt iusticiarij & Monachi, qui iactant se Deo seruire, sed quod sit in ministerio uerbi, & quod publicum docendi officium habeat. Quod autem addit, prudenter aget, commendat nobis ministerium uerbi, quod Christus, cum in carne esset, habuit. Christus enim cum inuenisset omnia impeditissima & intricatissima propter malos doctores, tanta tamen prudentia rem gessit, ut omnia felicissime succederent, & cum summa tranquillitate uitaret pericula, & sine ullius incommode, id quod uoluit, efficeret. Est autem antithesis in uocabulo, prudenter aget. Quasi dicat. Moses non ita prudenter, neque adeo moderate omnia gessit, sed est violentius doctor. Christus autem à morte, peccato & inferno nos liberat, non violentia aliqua. Sed quia prudenter agit, quia uerbum uitæ dat, quo consolatur, seruat, & defendit nos &c.

**Ipse exaltabitur, & sublimis erit ualde.**

## IN E S A I A M

Ministerium descripsit, iam gloriam quoque describit. Post ministerium fore eum in gloria super omnes reges. Quanquam autem possit intelligentia de gloria, quam habuit in uita apud bonos ex miraculis, tamen ego alteram sententiam malo, quod tempore seruitutis rem gesturus sit gnauer, & post mortem in summa sit gloria.

Ita ut multi obstupescant super te.

Erit Christus in gloria, sed ita ut omnibus sit scandalo, nemo credet eum esse aut Christum, aut regem. Verbum quod hic est (obstupescant) significat abhominantis & nauseabundi gestum.

Quoniam deformior est aspectus eius quam aliorum hominum, & forma eius deformior quam filiorum hominum.

Hie describit gloriosum illum regem in summa humilitate. Species eius, inquit, turpior est quam omnium aliorum. Ergo, Messias non erit in corporali regno expectandus, sed in specie contemptissimus & turpissimus. Non enim de carnis specie loquitur, sed de specie gerentis rem, quod scilicet nulla in eo sit species regis, sed ministri, atque eius quidem contemptissimi. Et haec quidem est scandali, de quo supra dixit, causa. Sicut Paulus quoque dicit, Christum crucifixum, Iudeis scandalo esse &c.

verum

Verum sic multas gentes asperget,  
ut etiam Reges contineant os suum  
coram eo. Quoniam in quibus non  
est annunciatum, uidebunt, & qui  
non audierunt, intelligent.

Hic redit ad gloriam Christi, quod omnes  
Reges alios superabit gloria. Est igitur Christus  
& Rex regum, ex quoque deformatis pre filiis homi-  
num, necessario igitur consequitur, Christi re-  
gnum spirituale esse.

Aspergere predicare significat. Cum igitur  
passus fuerit, inquit, praedicabitur non solum apud  
Iudeos, sed & apud Gentes. Porro Christus cru-  
cifixus est praedicandus, sicut Paulus quoque ait,  
& is tamen credendus est Dominus dominorum.  
Hoc autem nulli suorum regum, qui unquam fue-  
runt, tribuere Iudei possunt, quod Reges gentium  
continuerint os coram eo, id quod de Christo di-  
cit.

Porro propagationem huius predicationis de  
crucifixo Christo describit, cum ait. Quibus non  
est annunciatum, iij uidebunt, Hoc est, ubi cunq;  
ante non est auditus Christus, ibi audiatur. Propa-  
gabitur illa praedicatio non solum in Iudeos, qui  
promissiones de Christo audierunt, sed in gentes  
quoque, qui illas promissiones prorsus ignorant. Si-  
gnificat etiam spirituale regnum cum dicit, quibus

A s non est

## IN ESAIAM

non est annunciatum. Quod hic rex cognoscetur,  
non ex specie externa, non ex apparatu armorum,  
et insignibus regalibus, sed uerbo audietur et ui-  
debitur &c. Est igitur haec confirmatio fidei no-  
stre, qui tales Christum prædicamus passum  
scilicet et glorificatum, et per uerbum propa-  
gatum.

Sed quis credit auditui nostro? &  
brachium Domini cui reuelatur?

Propheta uidens magnitudinem et gloriam  
Christi, item mirabile hoc Christi regnum in spi-  
ritu plenum scandalis, praesertim autem confusa-  
rans suos Iudeos exclamat. Ah quis ista tum, cum  
fient, credet? Nam et ij qui hodie sunt Iudei,  
omnia facilius credunt, quam nostrum Christum.  
Et in Euangilio quoq; uidemus, quanta Iudeorum  
fuerit incredulitas. Offendit enim eos illa infirma  
species. Et oportet illam fidem per spiritum san-  
ctum mentibus imprimi. Ratio omnino ista a se qui  
non potest. Dicit igitur, quis credet sub hac specie  
tantam esse gloriam? &c.

Ascendit enim sicut uirgultum co-  
ram eo, & sicut radix de terra arida.  
Non forma ei est, nec decor. Vidi-  
mus eum, uerum nulla erat forma,  
quæ faceret ut eum desideraremus.

Pergit in prophecia de passione. Perinde  
est, inquit,

est, inquit, cum hoc Christo, atq; si quis elegans surculus ex arido quodam loco proueniret. Est igitur Christus surculus, et crescit non coram mundo, neq; enim habet speciem ullam, sicut iam dicit, sed coram EO. Hic enim latet emphasis, quod illa gloria Christi sit spiritualis. Ita fit, ut Christus in nulla specie, sit tamen speciosissimus, in humilitate gloriosissimus, in paupertate opulentissimus. Terra sitiens est eius passio, quod igitur a morte resurgit, simile est surculo crescenti in loco arido.

Non est ei species &c. In furibus, in latronibus & alijs sceleratis hominibus, est quedam species, mouentur enim homines ad commiserationem, tum cum ad supplicium rapiuntur. In Christo autem omnia sunt abominabilia & horribilia. Maximis enim cruciatibus affectum etiam conuicijs afficiunt, & acerbe rident Iudei &c.

Despectus & nouissimus uirorum, plenus doloribus & infirmitatibus. Adeo contemptus ut auerterentur uultus ab eo, atq; ideo eum non reputauimus.

Concluditur ex his manifeste, quod Meſſiam oportuerit pati, & turpissime pati. Neq; enim que hic dicit de gloria, sed de extrema turpitudine & passione intelligi possunt. Coegit autem hic locus

## IN E S A I A M

locus Iudeos, ut duos Messias fingerent. Alterum  
qui iam olim uenerit, et etiamnum in terris ob-  
ambulet in mendici specie, ut satisfaciat pro pec-  
catis Iudeorum. Alterum autem regem gloriosum,  
quem adhuc expectant.

Profecto languores nostros ipse  
portauit, & nostros dolores in se re-  
cepit, & tamen nos reputauimus  
eum tanquam plaga percussum à  
Deo, & infirmatum.

Hactenus passionem & glorificationem Chri-  
sti descripsit. Iam addit quid misera illa & labo-  
riosa specie effecerit. Atq; hic est articulus iusti-  
ficationis, credere Christum PRO NOBIS  
passum. Sicut Paulus quoq; dicit, Christus est fi-  
lius maledictum pro nobis. Neq; enim satis est,  
nosse quod Christus sit passus, sed sicut hic dicit,  
credendum etiam est, quod nostros languores tu-  
lerit, quod non pro se, neq; pro suis peccatis sit  
passus, sed pro nobis. Quod illos morbos tulerit,  
illos dolores in se receperit, quos nos oportuit  
pati. Atq; hunc locum qui recte tenet, ille summa  
mam Christianismi tenet. Ex hoc enim loco Pau-  
lus tot Epistolas, tot sententiārum & consolatio-  
num flumina hausit. Porro consequētiae que inde  
colliguntur, damnant uniuersa omnium hominum  
studia, omnem sapientiam, iusticiam, religionem,  
opera,

opera, & merita omnia, quibus salus queritur.  
 Tolluntur enim omnia haec unica illa sententia,  
 Christum PRO NOBIS passum. Si enim hoc  
 uerum est, tunc omnia opera & merita omnia, in  
 quæ impie confiditur, sunt abiicienda, & disce-  
 dendum est etiam ex nobis ipsis, & simpliciter ex  
 toto corde in alienam iusticiam est confidendum,  
 ut quasi inter cœlum & terram hæcamus, &  
 credamus eam iusticiam, quam nullo sensu accipi-  
 mus, quæ per uerbum tantum nobis offertur. Atq;  
 hinc est, quod haec doctrina non discitur, nisi Spi-  
 ritu sancto magistro. Iudæi enim, quia nolebant  
 suam iusticiam sibi eripi & damnari opera legis,  
 ideo Christum non accipiebant, qui ideo apparuit  
 in carne, ut nos, qui ire filij eramus, & deputati  
 ad eternas pœnas, sua iusticia defensi & tecti, sal-  
 viaremur.

Imprimis igitur obscurandum est pronomen,  
 Nostros dolores, nostros languores ipse portauit.  
 Communicatur enim nobis per hoc pronomen  
 passio Christi, & sit proprie nostra. Si enim ipse  
 tulit meos dolores & languores, hoc est, peccata  
 mea & pœnam meorum peccatorum, Ergo, ego  
 liber sum, tam à culpa, quam à pœna, nec est quod  
 metuam iudicium Dei &c.

Reputauimus eum tanquam percus-  
 sum à Deo.

Id est.

## IN ESAIAM

Id est, putabamus eum a Deo propter sui delicta punitum. Sic enim mundus et ratio iudicant, unumquemque sui peccati penas dare debere. Hic autem diuersum fit, contra humanas et diuinas leges, que penam uertunt im autorem peccati. Christus enim propter nos punitur, id quod ratio nunquam potest assequi. Iam se exponet latius, quid nam sit quod dixit, portasse eum nostros labores. Est autem clarissimus locus contra Iudeos, quod Messias sit homo, minister uerbi, passus et c.

Verum propter iniquitates nostras est uulneratus, & propter peccata nostra percussus.

Est haec quasi definitio Christi, quam omnibus alijs religionibus opponere conuenit. Propter nostras iniquitates est uulneratus. Quasi dicat. Nos non potuimus nostris operibus iustificari, infirmitates nostrae manebant super nos, manebat reatus et pena ineuitabilis. Solus autem Christus portat eas. Sicut Iohannes quoque dicit. Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Quod agnum appellat, significat eum victimam esse. Quod addit, tolle eum peccata, idem dicit, quod hic Esaias. Atque ex hoc loco omnem suam sapientiam Apostoli hauserunt. Et nos hodie Papatum uno hoc articulo apud nos euertimus. Si enim Christus propter peccata nostra est uulneratus, Ergo Papa est Antichristus.

Antichristus, qui uult ut nostris satisfactionibus peccata nostra expiemus. Ergo Monachorum opera sunt damnata & impia, Ergo nulla sunt merita &c. Mirum autem est insignem hunc locum adeo non obseruatum esse, cum tamen in Ecclesiis sit tam saepe decantatus. Grauissime enim contra meritoria opera pugnat. Quare etiam diligentius a nobis est tractandus.

Præterquam enim quod unusquisque priuatim fiducia operum tentatur, multæ quoque in sacris literis sententiae extant, quæ hoc ferè operibus tribueri uidentur, quod alias fidei tribuitur. Difficile igitur est illis sententijs non moueri, cum natura quoque eō nos trahat. Ad quam accedit etiam prævia institutio & consuetudo peruersissima. Magna igitur res est, & omnino impossibilis carni & sanguini, in fide simplici consistere, ut non desperes in peccatis tuis, sed te erigas, & dicas. Siue bene siue male egerim, nihil ad me, Habeo hic Christum pro me passum. Objiciuntur enim & ab aduersariis nostris, et a conscientia nostra contrarie sententiae, quæ peccata nostra arguunt, & poemam minantur, ut dubij de uoluntate Dei trepidemus. Sola autem Christi passione omnia illa argumenta soluere possumus, siue priuatim tentemur, siue sententiae de operibus nobis opponantur. Si enim Christus talis est persona, quæ nostra peccata tulit,

## IN E SALAM

**E**stulit, Sequitur igitur, quod nostris meritis peccata non tollimus, quia iam ante sublata sunt. Neq; enim nostra opera sunt Christus, et nos non percutimur propter nostra peccata, neq; ea portamus, imo neq; portare possumus. Neq; enim uenisset Christus, si ipsi nobis potuissimus mederi. Sic apparet, quam nihil ad iustificationem & remissionem peccatorum omnia opera humana, quantumvis in speciem bona & splendida sint, faciant.

Est autem nulla religio in orbe terrarum, quia  
hanc sententiam de iustificatione admittat, & nos  
ipsi priuatum & gre eam credimus, quanquam pra-  
blice eam doceamus. Ideo quoq; diligentius hic  
locus cognosci debet, quod sit ceu fundamentum,  
quo Nouum testamentum seu Euangelion nititur,  
qui solus nos & religionem nostram ab omnibus  
alijs religionibus distinguit. Soli enim Christiani  
hunc locum credunt, & sunt iusti, non quia ipsi  
operantur, sed quia alterius opera apprehendunt,  
nempe passionem Christi. Qui igitur hunc articulo  
lum credit, ille tutus est ab omnibus erroribus, &  
necessario ei aderit Spiritus sanctus. Neq; enim  
sine Spiritu sancto doceri aut cognosci potest:  
Qui autem ab hoc articulo exciderunt, illi expositi  
sunt omni uento false doctrinæ.

Oportet igitur in Christiano singularem qualitatem prudentiam esse, ut leges ex opera in suam ordinem et

ordinem & usum reponere norit. Hunc autem locum tam longe supra leges omnes et opera omnia collocet, quam longe inter se cœlum & terra sunt dissita. Christianus enim quasi in alio mundo collocatus, neque peccata neque merita aliqua nosse debet. Quod si peccata habeat, respiciat ea in illo loco, in quem a Deo sunt coniecta, hoc est, non in se, nec in conscientia sua, sed in Christo, in quo expiata & deuicta sunt. Sic fiet, ut cor habeat purum, & mundum ab omni peccato per fidem, quæ credit peccata sua in Christo uicta & prostrata esse, & sit quoque tutus contra mortem, quia credit sibi per Christi passionem & meritum oblatam & donatam iusticiam et salutem perpetuam. Hæc enim omnia locus hic Esaiæ secum assert. Sacrilegus igitur peccati aspectus is est, cum peccatum in tuo corde aspicis. Diabolus enim istuc peccatum reponit, non Deus. Sed Christus spectandus est, in quo cum peccata tua hærere uidebis, securus eris a peccatis, morte & inferno. Dices enim, peccata mea non sunt mea, quia non sunt in me, sed sunt aliena, Christi uidelicet, non ergo me ledere poterunt.

Est autem maximus labor, posse hæc ita fide apprehendere & credere, ut dicas, Peccavi & non peccavi, ut sic uincatur conscientia potentissima domina, quæ sepe ad desperationem, ad glau-

## IN ESAIAM

dium, & ad laqueum homines adigit. Notum est exemplum illius, qui tentatus conscientia dicebat. Non peccavi. Neq; enim potest conscientia secura esse, si non peccata procul è conspectu remota sint. Sic autem remouenda sunt è conspectu, ut non factum tuum, non uitam, non conscientiam tuam, sed Christum inspicias, ita sicut ut transferaris extra te in Christum, & trasplanteris ex oleastro, ut cum Paulo loquar, & ex mundo in Christum. Non autem sum frustra in hoc loco uerbosus, scio quantum mihi profuerit. Neq; est Christianismus aliud quam perpetuum huius loci exercitium, nempe sentire te non habere peccatum, quamvis peccaris, sed peccata tua in Christo haerere, qui est saluator in eternum à peccato, morte & inferno. Quoniam autem opera liberare à morte & peccato non possunt, necessario sequitur, alium quendam operum esse usum, quam iustificare. De qua re supra abunde disputationavimus. Videlicet igitur quam disertum hic locus Paulum fecerit. Comprehendit enim alios theologicos locos ferre omnes, peccatum, mortem, uitam, opera &c.

Non autem ideo desperandum est de salute, si qui in corde hac non sic sentiunt, & sunt infirmi in fide. Solet enim Sathan nonnunquam sic tentare nos, & uere ex antidoto uenenum, ex summa iusticia peccatum facere. Verum consolari infirmos hoc

hoc debet, quod nemo hominum perfecte hunc locum teneat, neq; enim ideo ista prædicantur, ut statim perdiscas, & non amplius peccatum sentias, inquit hoc summo studio cauendum est. Id enim proprium est hæretorum, semel totum Christianismum perdiscere. Christiani autem & sentiunt infirmitatem fidei & tentantur desperatione ob sensum peccati. Quia autem nihil est pestilentius securitate, erigere te debes cum fidei infirmitatem sentis. Est enim signum boni animi, & timentis Deum. Hæres enim in Christo, quantumvis infirmiter hæreas. Et est quoq; mandatum diuinitus, quod infirmi non sunt reiiciendi, Ergo Deus non odit infirmos. Manet enim in pijs quoq; mortis timor, animi imbecillitas, peccatum &c. Quare si qui hec comprehendere aut intelligere non possunt, illi admonendi sunt, ne terreatur illa sua infirmitate, sed orent una cum Apostolis, Domine adauge nobis fidem. Neq; enim ideo es extra hanc doctrinam, quia non perfecte eam tenes. Nam & Paulus confitetur se nondum apprehendisse. Et est Christianus, non qui absolute illa intelligit, sed qui quoquo modo in Christo hæret. Is enim iusticiam Christi iam habet, quia eam incipit habere. In Euangelio ubiq; scriptum est, & dixit Ihesus DISCIPVLIS suis. Maðhtós enim uocat, non Magistros. Habent autem nomen à discendo, quia di-

## IN ESAIAM

scunt Christum, non quia perfecte eum norint  
Quanquam enim imperfecta illa noticia sit, tamen  
est noticia Christi, si maneant discipuli in uerbo.  
Doctrina igitur absoluta & perfecta est, illi au-  
tem qui eam discunt, non sunt absoluti nec perfe-  
cti, sed sumus primitiae & tendimus ad ulteriora.  
Christiani ergo illi sunt, qui uehementer sentiunt  
mortem & uim peccati, iij autem quid faciunt?  
In ipso sensu peccati & mortis, utcunq; tamen in  
Christo harent, non negant uerbum, patiuntur, &  
manent in Christo. Non querunt aliunde salutem  
& pacem. Id quod diligenter discendum est, ne ex  
Christiano faciamus truncum aliquem, qui pecca-  
tum non sentiat. Habet enim adhuc carnem &  
Sanguinem, ideo necessario sentit peccatum & in-  
firmitatem fidei &c. Hec copiosius à me sunt di-  
cta, ut commendarem uobis hunc locum, qui est  
ceu fundatum Noui Testamenti, ex quo tan-  
quam ex patenti fonte omnes thesauri diuina sa-  
pientiae profluunt.

Correctio super eum, ut nos habe-  
mus pacem.

Est citata sententia à Petro. Voluit autem  
Propheta in hoc loco copiosus esse ad confirmans  
dos nos, ut certo sciremus Christum non iudicem  
esse, sed talem qui portet nos. Naturaliter enim  
metuimus nobis à Deo tanquam à iudice, non agnos-  
scimus

scimus eum saluatorem. Sic Papistæ alios saluatorēs & intercessores fecerunt, Mariam & reliquos sanctos. Sic accidit ut ad malam naturam etiam impia doctrina accederet. Felices igitur iam illi sunt, qui iuuenes hanc doctrinam audiunt, quorum corda impijs doctrinis nondum sunt comaculata. Quando igitur Christi nomen audietis, cogitabit unusquisq; non de iudice, sed de baiulo sui peccati, neq; admittet aliam cogitationem, ut sic corda assuefiant ad fidem, & in tribulatione habeant consolationem. Sic enim Propheta dicit. Castigatus ipse est, ut nos haberemus pacem, id est, remissionem peccatorum, & conscientiam sedatam. Si igitur habere pacem uolumus, necesse est id fieri per disciplinam ipsius. Ipse merito pacem, nos nostrorum peccatorum poenas habere debemus, sed sunt hic inuersa omnia. Alius peccat, & aliis plectitur. Ego sectarijs, qui iam tumultuantur, hoc unicum imprecor, ut aliquandiu desperationibus & paucoribus mortis tententur, ut uel sic cognoscant, quæ nam uis sit in his uerbis, Ihesus Christus pro nobis est mortuus.

### Liuore eius sanati sumus.

Est iucundissima consolatio. Liuores ipsius sunt nostrum emplastrum, atqui nos meriti eramus liuores, & ipsi debebatur sanitas. Si quis ergo sanitatem optat, ille non suam castigationem &

## IN E S A I A M

crucem consideret , sed tantum respiciat in Christum & credat , tum sanabitur , hoc est , habebit iusticiam eternam ,

Omnis nos sicut oves errauimus ,  
unusquisque in viam suam . Verum  
Dominus O M N I V M N O S T R U M  
peccata in illum reiecit .

Hic de uia & usu passionis dicere incipit .  
Est autem confutatio quod dicit , nos errasse .  
Quasi dicant aduersarij , qui fatigant se operibus  
pro iusticia asequenda , quid ergo sunt nostre religiones ? Respondet , errores sunt . Et sic danitat  
uniuersam iusticiam legis , & omnes religiones ,  
etiam illam diuinitus institutam in lege Mosi .  
Atq; hic textus Paulum ad abrogationem legis  
animauit . Hic nos quoque confirmauit , ut pronunciemus omnia monasteria , omnia collegia , omnes  
cultus Dei esse errores . Propterea quod uelint  
per ista opera se iustificare . Prophetia autem hic  
omnia talia opera & studia errores appellat .

Sunt autem diligenter obseruande uocula  
omnium nostrum , & in illum . Est enim  
summus articulus , huic prophecie credere , quod  
peccata nostra non sint nostra , sed posita super  
Christum . Hic unicus articulus est fundamentum  
totius Ecclesie & Christianismi , qui si saluus  
manserit , nullae haereses illedere nos possunt .

Neg

Neq; Sathanas alia re magis offenditur, ideo tot  
tentationes priuatim, tot hereticos, tot sectas,  
contra hanc doctrinam excitat. Et mundus quoq;  
omnes alias religiones potest ferre, hanc solam  
doctrinam ferre nec uult, nec potest. Tulit quod  
quidam docuerunt nos saluari per Franciscani cu-  
cullum, & multa alia stultissima. Amplectitur  
enim talia quæ confirmant nostras uires & sapi-  
entiam. Hanc autem unam doctrinam, quæ tamen  
innocia, imo salutaris est, ferre non potest, sed im-  
merito eam accusat, tanquam prohibeat bona  
opera. Cum tamen facultatem bonorum operum  
faciendorum præbeat, & doceat etiam, quod no-  
stra opera uere bona esse debent, hoc tantum ope-  
ribus derogat, quod iusticia nostra extra nos sit in  
Christo. Hæc quoniam nos docemus & prædica-  
mus, ideo persequitur nos mundus, Cum tamen soli  
nos magistratui suum honorem tribuamus, & pu-  
blice tranquillitati consulamus, prohibemus scor-  
tationem, castitatem coniugalem iuuamus & sua-  
demus. Sed sinamus ingratum & impium mundum  
suo more facere. Nós autem hanc doctrinam, quæ  
alienæ iusticie innititur, retineamus, Ea enim so-  
la, bona opera gignit, extra hanc quicquid est, est  
impietas & hypocrisis.

Est autem omnino incomprehensibile quod ad-  
dit Propheta, omnium nostrum. Quid igitur

B + Christus

## IN ESAIAM

Christus à nobis habet: nihil scilicet quam ini-  
quitates. Nos neq; iusticiam, nec sapientiam, neq;  
solatium ullum habemus. Rursus ab e<sup>r</sup> in Christo  
habemus illa omnia copiosissime. Hæc Rottenses  
nostrí prorsus ignorant.

Est e<sup>r</sup> hoc emphaticum quod dicit, Do-  
minus posuit, ut scilicet conscientia certior e<sup>r</sup>  
confirmation<sup>r</sup> esset, neq; ab ullius facie paueret.  
Quasi dicat. Est beneplacitum patris, ne metuas  
forte alium esse patris animum, & alium filij. Cum  
autem idem patris & filij sit animus, ut uelint me  
redemptum, & omnibus peccatis liberatum, quis  
alius Deus accusare me poterit? Repositu enim  
sunt peccata nostra in illum, non super nos, con-  
tra Moysi & omnes alias politicas leges. Sic enim  
Moses minatur, Vnusquisq; morietur in suo pec-  
cato, Et in politia, nostra peccata sunt nostra. In  
iustificatione autem peccata nostra non sunt no-  
stra. Sic Abraham & Isaac conscedunt montem.  
serui autem & iumenta, id est, nostra opera ad  
montis radices manent. Adeo scilicet magno in-  
teruallo ciuilis iusticia à iusticia Dei abest.

Cum multaretur & infirmare-  
tur, non aperuit os suum sicut ouis,  
quæ ducitur ad victimam, & agnus,  
qui cum tondetur obmutescit, nec  
aperit os suum.

Alitc<sup>r</sup>

Aliter legerunt hunc textum in Ecclesia, eoq; sunt abusi contra scandalum crucis. Dicunt, passus est, sed sua sponte, alias satis erat uirium ad uitam suam defendendam. Est quidem pia & bona sententia, sed nos Hebraicam lectionem sequimur. Hactenus enim passionem & passionis usum descripsit, iam gestum describit & summam patientiam, quam Christus in sua passione habuit. Conuenit autem plane Prophetam cum Petro, qui ait. Tradebat uindictam iudicanti iuste. Ita hic affectus gestum Christi describit, quanta patientia sit passus. Quasi dicat. Cum tam grauia pateretur, non minabatur, non cogitabat de uindicta &c. Ac talis quidem omnium Christianorum passio esse debet. Mundus si nihil aliud, tamen de uindicta cogitat, sed Christus non sic, Maledicentibus potius benedixit, deprecatus est patrem pro crucifixoribus suis. Voluit autem nobis Prophetam insinuare hunc patientis affectum, quomodo se erga crucifixores suos habuerit, apta similitudine significare. Ovis iam mactanda tacet, neq; ullum edit gemitum, aliæ bestiæ omnes horribiliter uociferantur, Sic Christus fuit patientissimus. Atq; hec huius passionis epitasis est. Iam ad glorificationem accedit & ad resurrectionem Christi, quæ pater remuneravit passionis meritum.

IN ESATIAM  
De angustia & de iudicio sublatus  
est.

Confiteatur Propheta hic cum resuscitatum,  
quia ante dixit eum sicut uictimam mactatum esse.  
Hactenus mortis uerba tantum fuerunt, iam in con-  
trarium partem uertitur, & dicit. Christus non est  
mortuus, est susceptus a Dco. Sic autem non lo-  
queretur de mortuo homine, manente in sepul-  
chro. Necessse igitur est, ut de resurrectione hec  
intelligamus. Per Pilatum est iudicatus, sed rursus  
sublatus de iudicio est.

Generarionem eius quis enarrabit?

Generatio hic significat etatem, seu dura-  
tionem, uel seculum. Sicut in Ecclesi. Generatio  
præterit. Dicit igitur Propheta. Hic Christus  
quoq; etatem habet & durationem, quis autem  
eam explicare poterit? Vita enim Christi est eter-  
na uita. Deus eum constituit in etatem, quam nemo  
uerbis potest consequi, est enim eterna. Sic Petrus  
in Actis, dicit eum solutum doloribus mortis. Nisi  
igitur fide credamus, eternitas illa est incompre-  
hensibilis.

De terra enim uiuentium abscis-  
sus est cum affligeretur propter  
transgressiones populi mei.  
Pertinent & haec ad resurrectionem. Non autem  
frustra est quod tum passionem Christi, tum quod  
propter

propter nos passus est, repetit. Vult enim hunc articulum alte nostris animis impressum, ut non credamus Christi passionem sicut aliam historiam, sed potius ut usum spectemus, quod propter nostra peccata sit passus. Quod autem dicit, cum abscissum de terra uiuentium, significat duplum esse uitam, Aliam eorum qui hic uiuunt in terra, & aliam Christi, eternam scilicet, & nouam. Ergo Iudei frustra cum expectant, est enim de hac uita abscissus, cum supplicio crucis afficeretur. Inde transiuit in aliam uitam, sicut dicit, Vado ad patrem meum. Sic Christi passio nihil fuit aliud, quam acceptio de angustia, & via ad immortalē uitam, in qua nunc est constitutus rex, & caput Ecclesiae sue, quam per uerbum & spiritum suum regit & seruat. Errant igitur Iudei, quod corporale regnum expectant.

Et sepultus est sicut impij, & mortuus sicut diuites, quanquam neminem iniuria affecerit, neq; fuerit dolor in ore eius.

Etiam si cauillari priora Iudei possint, tandem haec clarissima sunt testimonia, quod Christus fuerit homo, & uere mortuus. Concludimus igitur ex hoc loco, Si Christum mori oportuit, ergo regnum eius non regnum corporale potest esse in hoc mundo, Sicut somniant Iudei.

Sicut

## IN E S A I A M

Sicut diuites . Est obscurus Hebraismus,  
quod diuitem ponit pro impio . Fortasse autem in-  
de natura tropus est , quod diutes plerumq; sunt im-  
pij . Sicut in Euangelio Christus uocat Mammona  
iniquitatis . Item , difficile est diuitem ingredi re-  
gnum cœlorum . Significat igitur Prophetæ Chri-  
stum mortuum esse , sicut seditionem & seduc-  
rem . Cum autem talis mors per Prophetam sit  
prædicta , certum argumentum est , nostrum Chri-  
stum esse uerum Messiam .

Quanquam neminem iniuria &c.

Est citata à Petro sententia . 1. Pet. 3. Chri-  
stus tulit peccata , & tamen nulla fecit , sed acce-  
pit ea à nobis . Excusat igitur iam Christum , &  
dicit fuisse innocentissimum , qui nec uerbo , nec  
uita quenquam læserit . Hæc enim summa innocen-  
tia est , neminem læsisse , neq; dicto nec facto . Inno-  
centissimus igitur pro nocentissimo est iudicatus .  
Atq; ideo etiam factum est , quod mors cum tenere  
non potuerit .

Vbi dederit animam suam pro ho-  
ftia peccati , tum posteritatem habe-  
bit , & erit longæuus .

Ergo nos nostris operibus peccata non pos-  
terimus expiare . Siquidem Christi passio , est pas-  
sio pro delictis & peccatis nostris . Posteritas , de-  
qua dicit , est Ecclesia . Videbit semen , inquit , ha-  
bebit regnum , & regios quoq; liberos . Et

Et habebit dies longos, id est, eternos. Est an-  
tithesis, vestri reges relinquunt successores filios  
suos, ipsi non diu manent superstites, sed Christus  
ille una cum filiis suis durat in eternum et re-  
gnat, non moritur sicut reges mundi.

Et uoluntas Domini per manum  
eius dirigetur.

Id est, habebit spiritum sanctum, per illum  
diriget Euangelion. Porro uoluntas Domini est,  
quod posuit omnium iniquitates super Christum.

Pro eo quod laborauit anima eius,  
uidebit, & saturabitur.

Laborem hic uocat calamitatem, afflictio-  
nem. Labor eius, inquit, remunerabitur. Habebit  
enim Ecclesiam, que pura fide cum colet, et pre-  
dicabit. Porro uerbum uidendi Hebreis significat  
cum gaudio et uoluptate uidere. Sein lust an ei-  
nem ding sehen.

Saturabitur, id est, replebitur omnibus bonis,  
habebit potestatem in diabolum, et in mortem.  
Iam modum describit, quo ille successus regni  
fiat. Sic generabit semen.

Et noticia sui seruus meus iustus,  
multos iustificabit, ipse enim portat  
peccata ipsorum.

Est insignis locus. Noticia sui multos iusti-  
ficabit, hoc est, quod iij quorum peccata Christus  
portat

## IN ESAIAM

portat, quiq; credunt, & sciunt sua peccata a Christo portari, illi sunt iusti. Est breuis iusticie Christiane definitio, que nihil est, quam cognoscere Christum. Hoc autem quid sit, nullus Sophista intelligit. Illi enim sic cogitant. Noticiam intellectu esse, iusticia autem est in uoluntate. In de concludunt, ergo noticia Christi non potest esse iusticia. Verum Propheta contrarium dicit, Christum scilicet solum esse iustum, & per sui noticiam alios quoq; iustificare. Ergo iusticia Christiana non accipitur, nisi ante cognoscatur Christus. Porro Christus non cognoscitur, nisi per doctrinam & externum uerbum. Euangelion igitur est ecce uehiculum quoddam, per quod ad nos deferuntur Christus cum iusticia sua & omnibus donis suis. Sicut Aristoteles quoq; dicit, cognitionem intellectuam requirere ante sensituum. Necesse igitur est prius audiri uerbum, quam credere illud possumus, & iustificemur.

Iam quod dicit, noticiam Christi iustificare, manifeste sequitur, Ergo neq; regula Erancisci, uel Dominici &c. ergo neq; cucullus, nec Missa, ergo nullum electitum opus, imo ne quidem legis diuinae opera, cum omnibus alijs legibus & operibus, iustificant. Ratio hæc est, quia non sunt cognitio seu noticia Christi. Ergo sunt frustra, imo etiam damnata & damnantia, cum seruitur cum opinione

opinione iusticie, tanquam cultus Dei & bona opera. Sic simpliciter omnes regulas, omnes leges & opera omnia damnat & abjecit Propheta. Hec autem quis audeat profiteri inter Papistas & Atq; hinc est quod Paulus & Petrus tam multa de hac cognitione dicant. Crescite in cognitione Ihesu Christi &c. Nondum estis perfecti, crescite &c. & similes alij loci.

Ad liberationem igitur à morte & à peccatis nulla alia ratio est, quam nosse & scire Christum. Hec cognitio sola nos liberabit, neq; est aliud ultimum solatum. Falsi igitur illi sunt, qui noticiam actiue acceperunt. Dicit enim de cognitione, qua Christus cognoscitur, & scitur per prædicacionem, nempe, quod Christus filius Dei conceptus ē spiritu sancto natus ex Maria uirgine, sub Pontio Pilato sit passus, non propter suum aliquod peccatum (summa enim in eo fuit innocentia) sed propter totius mundi peccata, quæ in se recepit, ut nos à peccatis liberati in æterna iusticia cum ipso uiueremus. Sunt igitur hæc uerba non oscitanter legenda, sed quia uigilanter posita sunt, à nobis diligentissime legi & obseruari debent, ut scili- et cogitemus, & quid illa noticia sit, & contra quid ponatur, nempe contra omnia humana studia, opera, & noticias. Sic enim solet scriptura, sere semper ad antitheses respicit. Est autem mirabilis

## IN ESAIAM

rabilis iusticie definitio, quod sit noticia Dei,<sup>ut</sup>  
cor tantum nitatur, in noticia Christi crucifi-  
xi. Sicut Hieremias quoq; dicit. In hoc glorie-  
tur uir nosse me &c. Ratio humana hanc iusticiam  
neq; inuenire, neq; inuentam capere & intellige-  
re potest, quæ secundum substantiam nihil aliud  
est, quam noticia Christi, hoc est, fides qua appre-  
henditur Christus in corde, quod dederit se ~~aut~~<sup>aut</sup>  
AUT<sup>GOV</sup> pro nobis & peccatis nostris, sicut Paulus  
dicit. 1. Timot. 2. Verbum quidem prædicat & of-  
fert omnibus Christum, tanquam victimam pro no-  
stris peccatis. Nisi autem Spiritus sanctus corda  
illuminet, huic uerbo assentiri nemo potest. Assen-  
timur autem cum apprehendimus promissionem,  
quod in semine illius sit benedictio gentium. Hec  
igitur gloria Christiani est, scire quod sua iusti-  
cia sit, credere in hunc Christum, diuina miseri-  
cordia sic reputante, & promittente. Sic Christi-  
anorum iusticia reputatiue tantum iusticia est,  
non formaliter. Sunt autem hæc diligenter discen-  
da & inculcanda in concionibus, ut sciamus nos  
nulla alia re iustos & iustificandos esse, quam illa  
noticia, non per nostra opera, non per decalogum,  
non per alias leges, non per iura, non per iudicia,  
non per poenas, quantumuis acerbas, quas uel ipsi  
nobis sponte imponimus, uel alij inuitis imponunt.  
Hæc enim omnia antithesis excludit à iusticia,  
quia non

quia non sunt noticia Christi. Ergo Monachatus,  
& Pharisaismus, ergo alij uite ordines non iusti-  
ficant, quia hoc solum iustificat, Scire & nosse  
Christum, quod Christus sit seruus Dei, qui portat  
iniquitates nostras.

Atq; in hac definitione nobis est cosistendum,  
ne scilicet cogitemus, cum esse iudicem aut torto-  
rem. Nam cor sine fide & uerbo non potest aliter  
de Deo iudicare, quam quod sit seuerus iudex. Est  
quidem iudex, sed in futurum, ad damnandos im-  
pios, & liberandos pios. Iam autem agnus prædi-  
catur, cuius officium est portare nostra peccata.  
Hæc qui nouit, is plenus est sapientia, & poterit  
iudicare omnibus de rebus. Præsertim autem hæc  
inde colligere potest, quod nos non portamus no-  
stra peccata, quod Christianus baptisatus non ha-  
bet peccata, quia habet Christum. Item quod omnes  
illæ cogitationes, quæ contristant conscientiam,  
sunt diaboli & blasphemæ cogitationes. Item  
quod omnes doctrina, quicquid item uiuitur, quic-  
quid docetur ubiq; pro remissione peccatorum,  
sunt contra Christum & impia, & quod pereunt  
unico hoc uerbo omnes ordines, omnia genera ui-  
ta, quæ iusticiam querunt. Sicut Paulus dicit.  
Circumcisio ad iusticiam non peruenit, gentes au-  
tem peruererunt &c. Hic igitur articulus impri-  
mis est discendus & urgendus, qui tamen negli-

C gentissime

## IN ESAIAM

gentissime tractatur à multis . Si quis autem hunc locum non penitus perspexerit , similis est uiro consideranti uultum suum in unda , sicut Iacob ait . Sic Schwermerij quasi in speculum intuentur , quād diu hanc doctrinam audiunt . Cum autem in tentationem ueniunt , in alias doctrinas , in alia opera , tunc obruuntur & obliuiscuntur huius loci . Euanuit enim imago postquam recesserunt à speculo . Est igitur res maxima & difficillima in hac noticia persistere .

Ego igitur magnam multitudinem ei dabo pro spolijs , & fortis erunt ei pro præda , propterea quod tradidit in mortem animam suam & cum sceleratis reputatus est , & mul torum peccata portauit , & pro trans gressoribus rogauit .

Repetit idem quasi per epiphonema , quia ergo tradidit in mortem animam suam , ideo dabo ei magnam posteritatem . Sic & passionem & passionis usum repetit . Hoc enim maximum est , agnoscere hunc Christum contra opinionem Iudeorum , qui expectabant eum tanquam regem corporalem . Dicit autem eum moriturum .

Cum sceleratis reputatus est &c.

Non solum mortalis erit , sed turpissime quoque morietur , sicut pessimus aliquis nebulo . Quasi dicit . Si

*Pat. Si uultis Christum uestrum nosse, diligenter obseruate eum, apparebit enim non gloriosus, sed occidendus inter latrones. Sed frustra fuit haec Prophetæ admonitio. Cum enim Christus occideretur, nemini hic textus in mentem uenit. Expectant igitur adhuc gloriosum Christum, priusquam credant in eum crucifixum.*

### Multorum peccata portauit.

*Repetit quoq; passionis usum. Videt enim hunc articulum omnium esse difficillimum. Non hoc geritur illa morte, inquit, ut ipse pereat, sed ut alij saluentur, et ut satisfiat promissionibus. Nam neq; ppromissiones impleri, nec nos redimere poteramus, nisi ipse peccata nostra portaret. Ipse, inquit, non nos.*

### Pro transgressoribus rogauit.

*Commendat hic nimiam Christi patientiam, quod cum summa caritate sit passus, non remale-dixerit, non cogitauerit de vindicta, sed quod ar-scrit ardentissimo caritatis igne, ita ut oblitus passionis, etiam pro transgressoribus rogaret, imo etiam pro crucifixoribus suis. Vbi autem iam sunt corda, que haec ita, ut merebantur, ponderare queant. Quod si id possemus, tum salui essemus. Sic nihil in hoc Christo est, nisi profusa liberali-tas misericordie et remissionis peccatorum. Atq; haec pro explicatione huius capititis sufficient,*

C 2      quod

## IN ESAIAM

quod dignissimus erat saepius legi , atq; etiam in  
publico carmine cantari , ut sedula inspectione  
quasi incorporetur nobis , ut nihil audiremus,  
quam intercedentem pro nobis , portantem , conso-  
lantem , & ardentissime nos amantem Christum.  
Impij hæc legunt , perinde atq; somniantes , uolunt  
autem habere uigilantem lectorem.

## CAPUT. LIII.

**S**Icut in præcedenti capite , Chri-  
stum caput regni descripsit , ita hic  
corpus eius , hoc est , Ecclesiam de-  
scribet oppressam sub cruce , steri-  
lem , & derelictam . Consolatur autem  
eum , & promittit magnam posteritatem :  
**Lauda sterilis , quæ non paris .**

Ecclesiam uocat sterilem collatione Syna-  
gogæ , quæ est populus fœcundus , abundans disci-  
pulis , & celebris propter doctrinam legis &  
operum . Est igitur quasi florentissimum regnum .  
Contra , Ecclesia contempta est , sterilis , sine disci-  
pulis . Ratio autem hæc est , quod doctrina legis est  
eiusmodi , ut eam humanus intellectus capere pos-  
sit . Quanquam igitur nos fiduciam operum & su-  
perstitionem damnamus , tamen non possumus eam  
penitus ejcere animo , quod sit quasi innata carnis  
pestis

pestis, quæ uehementius spiritum uexat, quam ulla libido carnem. Huc accedunt consuetudo & institutio, quod non solum nati, sed facti & instituti ad superstitionem sub Papa sumus. Huic quia aduersatur Euangelion, & damnat omnem fiduciam extra Christum. Ideo paucissimos inuenit discipulos, & contradicitur ei à toto mundo. Hæc est causa sterilitatis, de qua Propheta hic dicit.

Porro hic totus locus est accipiendus de abrogatione ueteris Testamenti, ut sit confirmatio noui populi sine lege, in fide Christi uiuentis, si-  
cut citatur à Paulo in Galatis. Nam populus uete-  
ris Testamenti erat ligatus intus in conscientia,  
& seruus peccati, foris autem uidebatur liberri-  
mus & speciosus in uarijs mundicijs. Contra, no-  
nus populus intus in spiritu est liber, & rex super  
omnes leges & opera omnia, foris autem nihil co-  
est infirmius & contemptius. In spiritu habet li-  
bertatem, in carne persecutionem. Opus igitur est  
magnificis consolationibus & exhortationibus,  
ne externa specie offensus desperet, aut se abie-  
ctum esse credat.

Quoniam multi filij desertæ.

Est insignis promissio & magnifica, quam  
Propheta nobis commendatam uult esse, quod ad-  
dit, dicit Dominus. Non autem pro Apostolorum  
tempore tantum ualeat, sed durat omnibus sæculis.

C 3      Nam

## IN E S A I A M

Nam Dei uerbum stat in æternum, quare nihil mos-  
ueat nos hodie nostra paucitas, & aduersariorum  
multitudo & potentia. Habet enim Ecclesia hic  
promotionem, fore ut latissime propagetur.

Dilata locum tentorij.

Sunt figuræ, quibus amplificat promotionem:  
Significat autem Euangelion in fines orbis terræ  
extendendum esse.

Semen tuum gentes hæreditabit,

Non corporali hæreditate (Est enim steri-  
lis) sed spirituali, nempe per uerbum. Est clarus  
locus de uocatione gentium.

Noli timere, quia non confunderis.

Significat eam proximam esse confusione. In  
eo enim periculo Ecclesia debet uersari, sed non  
manebit.

Oblivisceris confusionis adolescen-  
tiæ tuæ.

Confusionem adolescentiæ uocat, quod sit sis-  
ne marito, & ideo sine liberis quoq;. Huius confu-  
sionis obliuisceris, qui a dominabitur tui &c. Hunc  
locum sic uerte, Quia maritus tuus factor tuus,  
&c. hoc est, habebis maritum, non Mosen, non Pe-  
trum, non Paulum, non Papam &c. sed Dominum  
qui fecit te.

Quia mulierem ut derelictam &c.  
Hæc est facies Ecclesiæ, & sic implentur  
magnifica

## SCHOLIA.

204.

magnificæ promissiones , quod Christus fit Ecclesie maritus. Quare opus est fide , qnæ nitatur rebus non apparentibus , hoc est , solo uerbo .

Mœrentem spiritu , idem est quod Germanice dicimus , Von hertzen betrubt. Sic sëpe in Euangelio Christus gauisus est spiritu &c.

Ad punctum in modico reliqui te.

In signis consolatio , qui promittit breuem & momentaneam afflictionem fore , quæ magnum gloriæ pondus in futurum operatur . Sed meninæ ris hic spiritum loqui . Ratio enim non potest credere momentum & punctum esse temptationem , sed putat æternam & infinitam esse , quia tantum in præsenti sensu hæret , nihil sentit , uidet , audit , cogitat , intelligit , quam præsentem dolorem , & præsens malum . Quare spiritualis hæc est practica , omnia apparentia spectra relinquere , & assefacere cor ad non apparentia , hoc est , fide , in uerbo hæretere , Solum enim uerbum contra sensum nostrum docet & promittit , non æternum fore malum , sed momentaneum & punctuale , ut sic dicitur.

In miserationibus magnis congregate te.

Sensus iræ diuinæ in temptatione , sensus afflictionis , est quasi centrum . Misericordia autem mea est quasi sphæra . Ira est minutum temporis , contra

C 3 quam

## IN ESAIAM

quam misericordia est sicut totum tempus æternitatis. Sed hic quoq; memineris, hanc non esse sphæram materialem, sed spiritualem, Hoc est, esse uerba fidei, ut si rationem & iudicium sensuum se quaris, contrarium appareat uerum esse, & misericordia uideatur esse centrum, contra ira & sensus mali sit infinita sphæra. Sunt autem hæc accommodanda etiam ad alias res. Turca, Papa, quid sunt ad Christum? Hoc scilicet, quod est punctum temporis ad æternitatem. Hæretici nostri quid sunt ad Ecclesiam? Hoc scilicet, quod est centrum ad circumferentiam.

## Sicut in diebus Noe.

Confirmatio à simili. Sicut fidem Noe datum non fecelli, ita hæc quoq; que nunc promitto rata & firma erunt. Species quedam iræ tibi uidebitur, sed reuera non erit ira, Sicut nonnunquam pluit, ut sit species aliqua futuri diluvij, non tamen reddit diluvium. Porro hæc copia consolationum ostendit nobis, quam difficile sit, animum ira Dei territum consolari & erigere.

## Montes enim commouebuntur.

Aduersarij tui, tam spiritualcs, quam corporales, quos tu tanquam inuictos montes formidab, contremiscen. Tu autem, qui tibi uideris tremulus, nutans, incertus, stabis sicut Marpesia catus.

Paupercula,

Paupercula, tempestate conuulsa &c.

Non solum momentanea tribulatio crit, sed proderit ad multiplicationem Ecclesiae, ut quo plus premitur, eò plus fructificet, & quo plus arctatur, eò magis propagetur. Ideo etiam palmæ comparatur, quæ non cedit ponderi, sed assurgit contra pondus.

Ecce ego struam per ordinem lapides.

Magna promissio, quod Deus uelit ædificare Ecclesiam tanquam regnum quoddam ex preciosis lapidibus & gemmis. Sunt autem preciosi lapides, quos iam dicet à Deo doctos. Ponit uaria gemmarum genera propter uaria dona quæ sunt in Ecclesia, De quibus vide Paulum. I. Corinth. 12. & Ephe. 4. &c.

Vniuersos tuos filios doctos à Domi-

Hi sunt preciosi lapides. Porro citatur sententia Iohannis. 6. Ideo autem dicit à Deo doctos, quia doctrina Christianorum est talis, quam ratio non solum non potest inuenire, sed inuentam & traditam quoq; non potest intelligere. Et quod maius est, necessario cogitur eam odisse. Idq; ideo, quia est doctrina de rebus non apparentibus, contra rationis iudicium & sensum. Quare Christiani tanquam asini ridentur, quod doceant de rebus quæ nusquam sunt, & auocent ab iis quæ sunt. Contra philosophia, studium iuris, & omnes

C S alie

## IN ESAIAM

aliae artes, quæ uersantur circa actiones, docent de rebus præsentibus & apparentibus. Ideo præsentur apud rationem Euangelio. Quia igitur ratio offenditur Euangelio, impossibile est Christianum humanitus edoctum esse, & qui adhærent uerbo, faciunt id non proprijs uiribus, sed dono Dei, & quod sunt diuinitus docti.

Odiosi isti homines sunt, qui in signi hac sententia abutuntur contra uerbum uocale. Quod si uerbum uocale inefficax est, cur ipsi non cessant docere? cur non cessant libros scribere? Aut unde ipsi ea habent quæ docent? Propheta rectius facit qui utraq; coniungit & uerbum uocale, & spiritum. Ecclesiam uocat matrem, quæ parit filios, & tamen constat, Ecclesiam non posse dare spiritum sanctum. Parit igitur per ministerium externum uerbi, cui adest Dominus. Sicut est in Actis cooperante Domino, & sermonem confirmante per miracula. Ergo quia dicit esse filios Ecclesiae, significat adesse uerbum uocale. Rursus, quia dicit filios à Deo doctos, significat adesse quoq; spirituale uerbum. Sic igitur hæc distinguenda sunt. Audire habemus ab Ecclesia, credere à Domino. Verbum à matre, spiritum à patre. Vocem à predicatoribus, uim & efficaciam à spiritu sancto. Vox nos congregat, spiritus illuminat & copulat nos Deo &c. Qui igitur habuerit uerbum, & crediderit

erediderit uerbo, est filius Dei, & habet utrumq;  
uerbum scilicet uocale & spirituale. Neq; potest  
alterum sine altero esse, quia Deus sic ordinauit.

Multitudinem pacis filijs tuis.

Sicut Roma. 5. Iustificati fide pacem habe=  
mus erga Deum per Ihesum Christum. Quando  
ergo confirmatus est animus fide, quod Deus sit  
pro nobis, dicit, quis ergo contra nos? quem time=br/>bo? mundum? At quid mundus erga Deum? quid  
creatura erga creatorem? Mortem? at quid mors  
erga uitam, quæ in Christo est? Peccatum? at  
quid peccatum erga eternam iusticiam, quæ in  
nobis est etc? Verum hæc certitudo non potest  
esse in animo, nisi Deus prius doceat uerbum, &  
treat per uerbum pacem in corde.

In iusticia præparaberis.

Fidem hæc sequuntur, pax cordis, & bona  
opera. Qui enim credunt ultra hoc quod pacem  
habent, offertur etiam eis materia beneficiendi, ut  
possint docere, consolari, respondere ad dubias  
causas, ciuitatibus & Oeconomijs scriri, orare,  
largiri alijs, regere etc.

Recede procul à calumnia.

Verte. Longe eris à calumnia. Non quod ca=brum  
lumnia & iniuria non assint, hærent enim in dor=so  
Christianorum, sed procul erunt à conscientia  
tua. Malum enim accedit in carnem, & non in  
conscientiam

## IN E S A I A M

conscientiam, sed spiritus etiam malis bene potest  
uti, & per patientiam uincit malum.

Ecce accola ueniet, qui &c.

Grammatica hic obscura est. Sententia tam  
men sic potest reddi. Ecce quis accola contra te  
ueniet, ut te obruat, cum absq; me ueniet.

Consolatur Ecclesiam contra uim tyranno-  
rum. Quod autem addit, absq; me, tollit illam in-  
tollerabilem iactantiam aduersariorum, quod id=

stant se Deo obsequium præstare, cum persequun-  
tur pios, se pugnare pro Ecclesia & pro fide,  
contra hæreticos. Sic enim solent, ornant uim  
quam pijs afferunt titulo nominis diuini & Ec-  
clesiae. Verum Christus confirmat hic nos, & dia-  
cit quod faciant id, sed absq; me.

Ecce ego creauit fabrum.

Promittit futurum quoq; ut hæretici percant,  
qui uehementius multo concutiunt & conuellunt  
ecclesiā, quam externa uis tyrannorum. Vocat igi-  
tur eos fabros, qui sufflent in ignē ad inflamandum  
totum orbem. Ego eos creo, inquit, ad opus suum,  
id est, ad perniciem. Erunt sibi ipsis exitio &c.  
Huiusmodi multos fabros nostrum saculum protul-  
lit, sed uidemus eos quoq; ad opus suum creatos.

Omne uas quod fictum est contra te.

Fatetur parari contra nos uasa, & esse con-  
tra nos linguas. Sed addit, non dirigentur, hoc est,  
carcibunt

carebunt successu & benedictione, ac peribunt.  
Sic quanquam multa in nos aduersarij statuerint,  
quanquam multa in nos Sectarij scripserint, tamen  
nihil esse cerunt, sed euauerunt sicut uentus.

Iusticia eorum apud me.

Mundus enim eam non uidet, sed damnat pro  
hæresi & seditiosa doctrina.

## CAPVT. LV.

Mnes fitientes uenire ad  
aqua.

Docuit hactenus multis capiti-  
bus, quid sit Christus, item quid Ec-  
clesia, nempe congregatio eorum  
qui hærent in uerbo, & non in rebus apparenti-  
bus. Hanc consolatus est uarijs promissionibus  
contra scandalum crucis. Nunc exhortatur quoq;  
ut sit assidua in uerbo, ne in contemptum aut fasti-  
dium uerbi incidat, qua tentatione haud alia pe-  
stilentior et communior est, unde natae sunt omnes  
hæreses. Quare opus est, ut retineamur in assiduo  
usu uerbi, & fugiamus persuasionem illam nocen-  
tissimam, nos satis intelligere & nosse uerbum, si-  
c ut hodie multi sibi persuadent. Pij autem animi,  
quia credunt Dei uerbum esse, & diuinitus inspi-  
ratum esse per spiritum sanctum, Ideo uenerantur  
maiestatem,

## IN ESAIAM

mai statem, & cupiunt perpetuo discipuli esse, non fatigantur lectione assidua. Hinc fit ut & fastidio longissime absint, & quotidie nouum ardorem ad uerbum afferant, quod alij ceu satari uentres, nauseant. Quare necessaria hec Prophetae exhortatio est post doctrinam quam supra trax didit.

Prima autem pars exhortationis hæc est. Se-  
quimini Euangelion quod gratis uobis offertur, &  
offert gratis iusticiam æternam. Omnes aliae do-  
ctrinae, omnis alia iusticia, labore & sumptibus  
parantur, & tamen nihil ualent.

### Vinum & lac.

Secunda commendatio uerbi, qua exhorta-  
tur nos, quod scilicet Euangelion sit doctrina, qua-  
ualeat in omnes partes, ut unusquisq; inueniat re-  
medium sue necessitatibus. Quia enim in Ecclesia  
sunt infirmi & robusti. Robustis, qui tentationi-  
nibus peccati & mortis exerceantur, datur uirium  
ad consolationem. Rudibus autem & infirmis da-  
tur lac ad alimentum, quo instituuntur & docen-  
tur.

### Quare appenditis argentum non &c.

Est confutatio & abrogatio omnium alia-  
rum religionum, doctrinarum & operum. Quod  
omnes religiones, omnes doctrinæ et studia omnia,  
extra hanc gratiæ doctrinam sint frustranea, &  
tamen

tamen laboriosa, quæ non quietent animum, sed affligant. Diligenter autem notabis hoc prædicatum quod tribuit omnibus iusticijs, quæ sunt extra gratiam, quod scilicet sunt laboriosæ, & tamen frustrane, sicut sub Papa experti sumus.

Inclinate aurem uestram.

Tertia commendatio, quod sola Euangeliæ doctrina uiuiscat, & saturat. Omnes aliae doctrinæ, omnia alia studia, occidunt. Ergo iusticia Moysi, iusticia omnium monachorum, sacerdotum &c: est mors & interitus.

Et feriam uobiscum pactum sempi.

Abrogat manifeste uetus pactum, & promittit nouum, nempe

Misericordias Dauid fideles.

Hoc est, pactum gracie & remissionis peccatorum. Est enim emphasis in nomine misericordie, quam opponit omnibus meritis & operibus, ut intelligamus iusticiam nostram esse gratuitum donum.

Quod autem addit, fideles, acuit exhortationem. Pauidæ enim & infirmæ mentes semper meatuunt, ne tanta promissio (quia in nudo uerbo offeruntur) irritæ sint, & fallant credentes. Ut igitur infirmitati nostræ consulat, uocat fideles misericordias, hoc est, ueraces, quas uelut uere prestare & exhibere, sicut creduntur. Huc affer antithesin,

## IN E S A I A M

antithesin & hoc prædicatum, fideles, aufer omnibus alijs doctrinis & iusticijs, quod non sint fideles, sed fallant.

Porro ne intelligantur promissiones corporales, de terra Canaan, ideo addit, misericordias fideles Dauid, ut distinguat noui pacti misericordias, à misericordijs ueteris pacti, qui promisit terram Canaan patribus.

### In testem populis dedi eum.

Hactenus Iudeos exhortatus est. Iam dicit propagandam misericordiam hanc in fines terre. Non solum uos Iudei impinguabimini, sed gentes etiam, ergo latius patebit hoc pactum nouum, quam uetus.

Est autem emphasis in uocabulo testis. Testis enim est qui loquitur, Ergo Christus, quia regnabit in populis, positus in testem, regnabit per testimonium, id est, per prædicationem Euangelij. Ita omnia colliguntur in uerbum, & non in res præsentes.

### Quærите Dominum dum inueniri potest.

Quarta pars exhortationis minas continet. Quasi dicat. Prædicauit uobis commoda Euangelij, Iam si uos non mouet uestra utilitas, moueat saltem periculum & incommoda, quæ in uos ingruent. Si enim uerbum iam non suscepitis, sicut ut a uobis

Ut à uobis auferatur, post frustra erunt omnia uestra studia. Queretis & non inuenictis, inuocabis, & nemo exaudiet uos &c.

Derelinquat impius uiam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Impij et uiri iniqui sunt speciosissimi sancti, & in summa omnes illi, qui nō hærent in hac gratuita misericordia & iusticia Christi. Quanquam igitur sit suauissima promissio, qua exhortatur impios, tamen frustra fere est apud impios, quod misericordia & ignoscientiam nolunt, sed uolunt iusti esse. Quare hoc primo faciendū est, ut agnoscamus peccata. Hoc si fecerimus, non destituet nos misericordia.

Non enim cogitationes meæ &c.

Est confutatio aduersariorum, qui cum audiunt has promissiones & exhortationes, opponunt merita & opera sua, quæ faciunt. Sicut ille in Euangelio, Luce. 18. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do &c. Hic inflati obijciunt, an non hæc sunt bona opera? Respondet igitur hic Deus. Haec cogitationes sunt, inquit. Ego autem prorsus diuersum cogito. Cessa igitur a tuis cogitationibus, & despera de tuis uiribus, & respice in gratitam misericordiam, tum attinges cogitationes

D meæ,

## IN ESAIAM

meas, id est, iusticiam meam, qua te gratis iustifico.  
Emphasis enim est in pronomine uestræ, scilicet,  
quas spiritus sanctus non insculpsit, quantumvis  
in speciem sint bona.

Est fortissima confutatio, qua damnat omnes  
humanas cogitationes de Deo, & iusticia Dei:  
Non enim loquitur de cogitationibus adulteri,  
scortatoris, furis &c. quid enim opus esset illa da-  
mnare, quæ alioqui totus mundus damnat? Quare  
inepta est distinctio illa, quod Deus malas tantum  
cogitationes damnet, & non bonas. Nam cogita-  
tiones de propria iusticia sanctissimæ cogitationes  
sunt, secundum rationem. Hinc etiam patet,  
quam belle statuant suum liberum arbitrium ada-  
uersarij.

**Q**uia sicut exaltantur coeli à terra.  
Damnat omnes nostras vias, studia, religio-  
nes & opera, quod sunt terrena, & exigit pro ijs  
coelestia, hoc est, misericordiam & gratuitam ius-  
ticiam Christi.

Vias suas non dicit prædestinationis viam, sed  
iusticiæ, qua debemus iustificari. Est enim duplex  
via. Una nostra, quam affectat & parat sibi homo  
proprijs viribus & studijs. Altera Dei, quam non  
nos, sed Iohannes Baptista etiam per uerbum pre-  
parat, ut Dominus omnia in nobis faciat & ope-  
retur. Hæc via est, credere ex toto corde Ihesum  
Christum

Christum pro nobis in cruce satisfecisse, & suum  
meritum nobis donasse. Hanc fidem deinde sequun-  
tur digni fructus. Facit autem hæc in nobis spiritus  
sanctus, quare cui non sunt diuinitus per spiritum  
sanctum impressa, ille perdurare non poterit.

**Et quomodo descendit nubes de cœlo.**

Hactenus exhortatio, nunc erigit infirmos,  
ne offendantur exilitate & stultitia Christi, qui  
tantas res præsumit gerere per uocem humanam.  
Si enim uerbum consideres, nulla apparet eius  
virtus. Os enim hominis, non vires, non arma hoc  
regnum conseruat. Offenduntur igitur animi, cum  
audiunt tantas res per uerbum efficiendas esse.  
Quare necessaria fuit hæc commendatio, quam  
apta similitudine tractat, qua omnia tribuit uer-  
bo. Quod terra profert fructum, ea non terræ sed  
pluie & niuis est gloria. Ita etiam uerbum effi-  
cit in nobis, ut gerimur, & bene operemur,  
postquam iustificati sumus fide in uerbum.

Sic erit uerbum meum quod egre-  
dierit de ore meo, Non reuertetur ad  
me uacuum, sed faciet quæcumq; uo-  
lui, & prosperabitur in his, ad quæ  
misi illud.

Sequamur igitur hoc uerbum & dabitur  
nobis spiritus, qui operetur in nobis. Porro os ac-  
cipiendum est non pro inuisibili ore. Sed os

D 2 Christi

## IN E S A I A M

Christi est os Petri, Pauli, & omnium qui uerbum  
Dei loquuntur. Impossibile igitur est Ecclesiam  
sine uerbo, & uerbum sine Ecclesia esse.

Quod dicit, prosperabitur in his ad que misericordia  
illud, significat fore ut afferat uerbum ad nos iustitiam &  
salutem. Sed hoc non sit sine tentatione &  
cruce. Ideo bene addidit, prosperabitur. Quasi  
dicat. Quantumvis resistatur a mundo, Sathanas,  
& uestra conscientia, tamen prosperabitur.

Quia in laetitia egrediemini.

Alludit ad exitum de Aegypto. Educam uos  
in laetitia de noua Aegypto, de morte, inferno,  
peccato, & de laboriosa iusticia, in regnum gra-  
cie & remissionem peccatorum, ut habeatis per-  
petuum gaudium in spiritu. Antea cum sub lege  
eratis, omnia erant plena luctu & labore, quia  
cor non erat quietum. Nunc autem per fidem in  
Christum, pacem & gaudium habebitis. Possumus  
autem ex gudio intelligere defectum fidei nostra,  
quantum enim credimus, tantum necesse est gau-  
dere. Est tamen gaudium hoc in tribulatione, ut  
quoniam sentiamus peccata, in opiam, persecutio-  
nem &c. tamen dicamus, quid ad me? Habeo Christum,  
qui unus nubi est pro omnibus thesauris mun-  
di, sicut de quodam Romano ciue legimus, qui  
cum propter fidem Christi, exutus facultatibus in  
exilium ageretur. Saltem Christum, inquit, relin-  
quuntis

quetis mihi, huic in corporali tentatione, montes  
& colles omnes cantare & ridere uidebantur.

Pro saliuncula ascendet abies.

Non relinquentur in Ecclesia tristes & ste-  
riles frutices, hoc est, steriles & noxiæ tradicio-  
nes humanae eradicabuntur, non erunt amplius  
perturbatæ conscientiæ, sed utiles, fructuose &  
proceræ arbores succrescent. Erunt in Ecclesia  
frugi homines, & multa bona opera. Porro hæc  
omnia fiunt per imbreem, hoc est, per uerbum.

Et erit Domino nomen & signum  
æternum, quod non auferetur.

Nomen Christi est, quod sit saluator, qui gra-  
tis iustificet, & damnet omnia opera nostra, &  
donet nobis opera sua. Vbi hoc nomen & hæc do-  
ctrina est, ibi est signum presentiæ Christi. Au-  
gustiniani, Franciscani, Dominicastri & alij ami-  
serunt hoc nomen &c. quia habent aliud, quo uo-  
lunt seruari, nempe regulam & uota sua. Debet  
autem hoc nomen Christi æternum esse, quod non  
eradicabunt portæ inferi, Sicut est in symbolo.  
Credo Ecclesiam sanctam &c.

## CAPVT. LVI.

Principio

D 3

## IN ESAIAM

**P**rincipio capitinis ministrum legis agit Esaias, & exhortatur populum ad iusticiam illam legalem, ut per legem ceu per paedagogum paretur ad futurum Christi regnum. In reliqua parte consolatur proselytos sui temporis, ne se pertinent alienos a populo Dei, & promittit, quam non sint de semine Abraham, tamen illorum sacrificia accepturum Deum, & plures uocatum.

## Custodite iudicium.

Sunt legis uerba. Estote, inquit, in illa legis paedagogia boni & iusti, donec ueniat Christus. Tangit autem duas partes iusticie, & seruare innocentem, & nocentem damnare.

## Quia iuxta est salus MEA.

Promittit aduentum Christi. Notabis autem quod distinguit iusticiam & salutem suam, a iusticia & salute legali. Est enim Emphasis in pronomine MEA. Nam legis iusticia puerilis & servilis quedam est iusticia, qua discimus esurire iusticiam Dei, sic coniungit fidem & timorem. Ut enim a fiducia operum retrahat populum, Dei iusticiam promittit, & simul, ne licentia deteriores reddantur, in legis iusticia eos retinet.

## Custodiens sabbathum.

In Sabbatho uacabant cultui Dei. Comprehendit

bendit igitur nomine Sabbathi omnia ea quæ nos  
Deo debemus, hoc est, primam tabulam. Rursus  
cum dicit, Custodiens manus suas &c. Omnia cha-  
ritatis opera complectitur, hoc est, secundam ta-  
bulam.

### Non dicat filius aduenæ.

Hic principalis huius capitinis est locus. Flu-  
tuabant enim proselyti, & se frustra in Iudeo-  
rum religione laborare iudicabant, quia non ha-  
berent promissiones, nec essent de semine Abra-  
ham. Has desperationis cogitationes pulchre in-  
dicat Propheta, quis scit an placeam Deo. Sepa-  
ratione diuidet me Dominus à populo suo &c.  
Ea enim vox est vox conscientiae, sentientis pec-  
catum, mortem & damnationem. Präoccupat igi-  
tur eos Spiritus sanctus, & dicit. Non es separa-  
tus, credere te coniunctum huic populo &c. Parti-  
cula, NON, erat scribenda aureis literis, & infa-  
genda cordibus nostris dubitantibus de gracia.  
Sunt enim tales desperationis cogitationes, non  
Dei cogitationes, sed Sathanæ. Felix autem ille est  
qui tempore temptationis hoc NON apprehendere  
in suo corde potest.

### Eunuchus.

Potest intelligi de Eunuchis ad literam uel  
per allegoriam, ut significet proselytos steriles in  
populo. In lege enim maledicti erant, qui non re-  
linquebant semen.

IN ESAIAM

Sum lignum aridum.

Quanquam multa in hac religione faciam,  
tamen conscientia mea mihi dicit, esse me aridum  
lignum paratum ad ignem.

Tenuerunt foedus meum :

Scilicet de promisso Christo .

Et nomen melius.

Tales Eunuchos quanquam non sint de semine Abrahæ corporaliter, præferam tamen incredulis Iudeis, qui sunt de populo. Quasi dicat. Malo seruum fidem, quam filium infidem, lucta illud, Prouocabo eos in populo non populo &c.

Stulti Papistæ hoc loco abusi sunt ad laudem castitatis. Sed castæ sunt non solum uideæ & uirgines, sed habet suam castitatem quoq; & eant quidem purissimam, matrimonium. Et quod ad iusticiam aut meritum attinet, neq; coniuges uirginibus, neq; uirgines coniugibus sunt preferenda. Sunt enim ordines uitæ laudabiles, sed iusticia in solo Christo, non in generibus uitæ sita est. Secundo Propheta hic non uersatur in laude uirginitas, sed consolatur steriles Eunuchos, ne desperent de sua uocatione, & diserte dicit, de Eunuchis seruantibus Sabbathum, et tenentibus foedus diuinum. Non igitur agit de laude Eunuchatus aut uirginitas, sed de laude seruantium mandata. Cornelius in Actis erat melior multis Iudeis, Inde non sequitur fuisse

tur fuisse eum meliorem alijs propter militiam, Ita  
de hoc etiam loco iudicandum est.

Adducam eos in montem sanctum  
meum.

Etiam gentes proselyti debent esse parti-  
cipes huius religionis & promissionum, Et quia  
credunt promissionibus meis, ideo mihi grata  
erunt sacrificia eorum.

Domus mea &c.

Hæc est ratio, quare Eunuchos & prosely-  
tos probet, quod non solis Iudeis latus hic cultus  
Dei sit, neq; illi soli Dei sint populus, sed quod  
est domus orationis CVNCTIS populis. Sic etiam  
ante natum Christum compleri illud oportuit,  
quod promissum erat Abrahæ, ut esset Pater mul-  
tarum gentium.

Omnis bestiæ agri uenite.

Consolatus est hactenus desperabundas men-  
tes, & pias. Iam ad alteram populi partem con-  
uertitur, ad superbos & præfractos, qui se sic pu-  
tabant congregatos, ut dispergi non possent. Eos  
terret minis, futurum ut uastentur per Assyrios,  
& alios uicimos populos. Est enim Prophecia fu-  
ture calamitatis.

Bestias uocat maxime Assyrios & Persas.

Speculatores eius cæci omnes.

Causa futuri mali, quod lex & uerbume  
D s perierit

## IN ESAIAM

perierit. Ipsi principes populi et doctores, inquit, quorum erat alios docere, suum officium non faciunt. Muti & tamen fortes sunt canes, pascunt uentre suos, præterea nihil agunt. Est descriptio pseudoprophetarum elegans, quod nihil sciant & sint muti canes, ignavi, auari & dediti luxui. Tales hodie sunt columnæ, quibus nititur Papatus. Non igitur mirum est, quod tam belle defenditur.

Omnis in viam suam declinauerunt.

Potest intelligi de externis criminibus, sed mihi magis placet, ut accipiatur de speciosis uis, in quibus ambulant hypocrita. Sic Franciscanus Francisci regulam sequitur, decalogum & Euangelij doctrinam negligit.

Venite sumamus uinum.

Sunt Mimeses. Quasi dicat. Nihil aliud docendo & uiuendo querunt, quam ut sint pingues & lauti uentres. Neq; enim puto allegoriam hic querendam esse.

Iustus autem perit.

Iustos, inquit, illi uentres negligunt, uerum habent iusti propitium Deum, qui eos in pacem & iucundam quietem ante faciem calamitatis, constituet, id est, priusquam insigni aliqua calamitate Deus perdat impios. Sicut ad Iosiam dicit. Tolleris ne uideant oculi tui hoc malum &c. Sic excidio Hierosolymitano erepti sunt Apostoli, & reliqui

reliqui sancti. Impia autem multitudo in unum  
collecta dedit poenas.

A facie enim malicie.

Clarius erit si sic uertas. Antequam ueniat  
calamitas, auferentur iusti, & uenient in pacem,  
& requiescent in cubilibus suis, quia recte ambu-  
lauerunt. Est autem insignis locus, qui consolatur  
nos, fore ut securi post mortem in pace quiesca-  
mus, ubi nulla sentiamus incommoda, quomodo au-  
tem hoc fiat, aut ubi, non est nostrum scire, Satis  
enim hoc est scire, fore pacificam quietem.

CAPVT. LVI.

**E**t generalis quædam increpa-  
tio hypocitarum, & eorum qui ad-  
uersantur uerbo. Damnat enim iusti-  
ciarios & idolatras, quod contra  
primum præceptum peccent. Pri-  
mum in eo, quod alium deligunt locum, quam diui-  
nitus erat mandatum. Secundo, quod fidunt in  
propria opera, & in brachium carnis, & conte-  
mnant uerum Deum. Quare minatur futurum, ut  
tempore calamitatis omnia illa studia nihil sint  
profutura. Deinde adiicit antithesin, & consola-  
tur pios. Pij abundabunt omnibus bonis, quod si  
affligantur, affore Deum, qui eos consoletur &  
recrœctæ

## IN ESAIAM

recreet. De iustis, ait, dixi, fore ut tollantur ante diem calamitatis. Vos autem impij non sic. Reseruamini enim calamitati propter uestram impietatem. Perinde atq; si nos nostros tyrannos obiurgemus. Agite, occiditis iam sanctos uerbi ministros, ferro, igni & aqua, membra Christi persecutimis. Fiet autem cum hos sustuleritis, ut ipsi quoq; pereatis et in aeternum damnemini.

### Super quem lufistis.

Melius sic. In quo nunc oblectabimini, scis licet tempore calamitatis. Notabis autem hic, quanquam haec grauissima sint conuicia, non tam peccare Esaiam. Excusant enim cum prima officium et ministerium uerbi, quod debet arguer. Secundo etiam studium corrigendi et emendandi, neq; enim facit ut infamet Iudeos, aut ulciscatur suam iniuriam, sed ut redeant in uiam agnitione peccato. Accusat autem hic fidei tantum peccata, non externa crimina, et agit contra sanctissimos in speciem et religiosissimos, non contra fanorosos, quos ratio et mundus etiam dannat. Ideo enim uocat diuinatrixis et adulterae (hoc est, Synagogæ) filios quod confidebant se suis operibus iustos esse, quæ ipsi eligebant. Augurium est falsum, Adulterium est impium. Tales sunt omnes doctrinae et traditiones humanæ.

### Eiecistis linguam.

Hag

Hæc debet esse uerbi gloria, & ministra-  
rum uerbi, ut habeantur pro ludo & ioco, & ex-  
agitentur a sapientibus huius mundi. Porro si hæc  
Esaias passus est, quid mirum est, si nos eadem ho-  
die ab impio mundo patiamur?

**Qui consolamini.**

Melius uerte. Qui ardetis, scilicet amore  
Idolorum, sicut libidine incensa animalia ardent.  
Atq; hic enumerat impietatem. Dupliciter, in-  
quit, contra primum preceptum peccatis, & quod  
loca alia deligitis, neglecto eo quem Deus uobis  
designauit, & quod in illa uestra electitia opera,  
non in Deum uestrum, fiduciam ponitis. Hæc enim  
sunt adulteria, quæ reprehendit.

**In partibus torrentis pars tua.**

Verte. In lapidibus glabris torrentis pars  
tua, id est, uoluptas, gaudium, uita tua. Sic qui  
templum diuinitus ad cultum Dei constitutum con-  
temnebant, illi in torrentibus & locis a se electis  
etiam filios imolabant.

**Nunquid super his non indignarer?**

Hic fert sententiam. Sic electicia opera quan-  
tumcunq; magna sint, non placant me, sed magis  
irritant, & offendunt. Huc affr religiones Mona-  
chorum, uota, Missas pro uiuis & defunctis, in-  
dulgentias, peregrinationes, satisfactiones, ieiuni-  
nia &c.

Super

IN E S A I A M

Super montem.

Cubile seu lectum uocat studium idolatriæ  
Et ipsam idolatriam, et sacrificia et altaria.  
Memoriale.

Vbi colebant sua idola. Sicut apud nos ferè  
in singulis potentiorum domibus singula altaria  
erant.

Dilexisti stratum.

Commodius sic uertes: Diligis cubile corum  
ubicunq; uideris, Hoc est, ubicunq; oportunus loz-  
cus uidetur, cum Idolis tuis deligis.

Ornasti te regio unguento.

Verte sic. Profecta es cum unguento ad rea-  
gem: Hic aliud peccatum in primum præceptum  
commemorat. Sic fit, qui semel à fide desciue-  
runt, illi subinde ex uno errore in alium labuntur.  
Ante damnauit fiduciam in propriam iusticiam  
Et opera, Hic fiduciam in homines damnat. Sic sea-  
quitur fiduciam in opera, fiducia in homines  
quoq;.

In multitudine uiarum tuarum la-  
borasti.

Increpat mirabilem iusticiariorum ardo-  
rem in suis studijs. Contra in uera religione omnia  
frigent.

Vitam manus tuæ inuenisti.

Meas uias spernis, inuenisti alios uiuendi  
modos,

modos, secundum tuam manum, in ijs sedula pers-  
gis, quasi insana libidine humanoru[m] præsidiorum.

Pro quo sollicita.

Non solum non fidunt Deo hypocritæ & iu-  
sticiarij, sed nec metuunt etiam. Contra sua idola  
& traditiones suas metuunt. Sicut in Psal. est. Ib[is]  
trepidauerunt timore, ubi non est timor. Sic Mo-  
nachus sollicitus est, quod se non cinxerit scapu-  
lari & fune, quod non orauerit horas suas &c.  
quod autem Deum blasphemet, & negligat proxi-  
mum suum, hoc ne in mentem quidem uenit.

Ego annunciaro iusticiam tuam:

Communatio. Tuam iusticiam, in quam nunc  
secura fidis, per uerbum confundam. Nihil tanq[ue]  
Idola tua, nihil opera tua tibi proderunt. Omnia  
illa ceu a uento actus puluis dispergentur. Sic ui-  
demus in calamitate nihil desperatius esse iustici-  
arijs, cum secundis rebus nihil quoq[ue] ijs sit confi-  
dentius. Est autem emphasis in pronomine TVAM  
q.d. Mea iusticia firma & perpetua est, tua non  
item.

Liberent te congregati tui.

Hoc est, Idola, iusticie, & opera tua, que  
multiplicasti.

Qui autem fiduciam habet mei.

Iam conuerterunt ad pios, & consolatur eos:  
futurum, ut qui credant sibi, in uera Ecclesia  
maneant,

## IN E S A I A M

maneant, & tam corporalibus quam spiritualibus  
bonis abundant, ut alios quoq; docere & servare  
possint.

Et dicam, uiam facite.

Verte in tertiam personam, & dicet. Qui  
in me confidunt, inquit, illi soli recte poterunt  
alios docere. Primo dicent, uiam facite, hoc est,  
arguent mundum de peccato, & ostendent nullam  
adhuc esse apud homines uiam, tollenda esse of-  
fendicula uiae, nempe fiduciam operum, & alia  
studia electicia. Hanc doctrinam non norunt qui  
non credunt.

Excelsus & sublimis habitans æter-  
nitatem, & sanctum nomen eius. In  
excelso & in sancto habitans & cum  
contrito & humili spiritu, ut uiuifet  
cor contritorum. Non enim in semi-  
piternum litigabo, neq; usq; ad fi-  
nem irascar &c.

Hæc est altera pars prædicationis, qua ter-  
ritas mentes conspectu peccatorum, promissione  
gracie denuo erigunt. Sentis peccata, sentis iram  
Dei, Prope est Dominus afflictis, in Psal. Ne des-  
peres, Dominus enim uult habitare cum contrito  
& humili spiritu, prefractos & securos odit &c.  
Quod addit, spiritus à facie egredietur, significat  
spiritum, quo uelit recreare afflictos.

Propter

**Propter iniquitatem.**

Causa quare percutere malos uelit , nempe propter iniquitatem auaritiae, et non tantum propter auariciam. Sic enim accidit, fiduciā operum semper Mammonae cura & studium sequitur.

**Abscondi à te.**

Grauius multo est, quod se abscondit Deus, quam quod percutit . Si enim in calamitate uerbo homines careant(id enim est abscondi ) tum unusquisque suis studijs & operibus Deum aggreditur. Sic Achas, sic Saul, qui ad Pythonissam & sacrificia sua recurrebat . Qui autem uerbum habent, illi primo agnoscunt se etiam maiores poenas propter peccata meritos, & promittenti Deo credunt. Tandem emendant uitam & benefaciunt proximo.

**Vias eius uidi.**

Hæc sunt nostra merita , quibus meremur graciæ. Necesitas scilicet & calamitas nostra, quod erramus in nostris studijs, & MISERICORDIA Dei habemus opus, sine qua pereundum nobis est.

**Creui fructum.**

Verte sic. Lata labra creabo , que loquuntur, Pax, pax ci , qui &c. Hic est sanandi modus, per uerbum scilicet . Porro hoc tum est factum, cum Cyro regnante iniulgata pax est, & restituti

E Iudei

## IN E S A I A M

Iudæi sunt. Loquitur enim de poena captiuitatis Babylonicæ. Paulus ex particulari sententia generali fecit Ephe. 2. Sicut tempore Cyri, inquit, prædicavit pacem omnibus Iudæis & gentibus, Sic nunc &c.

**Impij autem quasi mare.**

Pij, inquit, pacem habebunt per uerbum, impij autem uerbum contemnunt, & nolunt habere pacem in misericordia, sed in propria iustitia. Quia autem præter uerbum nulla consolatio in calamitate est, sicut ut suis studijs se se affligant & macerent, & perpetuo inquieta sint conscientia. Tum enim sentitur, quod omnia nostra opera, omnis iusticia humana sit sterlus.

## C A P V T . L V I I I .

**S**upra fidei peccata reprehendit, hic fructus infidelitatis & extrema crimina insectatur, quæ sub illa hypocrisi latebant. Hæc duo enim principalia membra sunt, ut doceantur primo fides, deinde bona opera. Iudæi igitur non solum primæ tabulæ precepta negligebant, ed etiam præsuperstitiosis humanarum traditionum operibus negligebant secundam tabulam. Id quod hic eis obijcitur.

Dammat

Damnat igitur fiduciam quam in ieumia sua ponebant, & peccata enumerat, quæ sub isto ieumio latebant. Deinde docet, quidnam sit uerum ieumium, opera scilicet caritatis exercere, & addit insigne promissiones bonorum operum. Tandem damnat quoq; Sabbathum ipsorum, & docet, quid nam sit Sabbathum agere. Addit autem & ad eam partem magnificas promissiones.

Clama sicut tuba.

Indicat quid tuba in ueteri Testamento significauerit, prædicationem scilicet:

Quærunt me de die in diem.

Non solum, inquit, primum preceptum negligunt, non solum secundæ tabulæ precepta non faciunt, sed postquam sua ieumia absoluunt, mecum contendunt iudicio, uolunt scire causam, cur sic & sic faciam, cum tamen nihil commiceruerint.

Rogant me iudicium iusticiæ.

Sicut dicitur in Euangeliō, Iustificata est sapientia a filijs suis.

Ecce in die ieumij uestri.

Hic addit causam, quare ieumia ipsorum damnet. Nam quod dicit, uoluntas uestra, antithesis significat. Quasi dicat. Volui ut meam uoluntatem facheretis, uerum uos ieumia apprehenditis, quibus uestram uoluntatem & peccata uestra testitis, scilicet superbiam, auariciam, contemptum

## IN ESAIAM

Et crudelitatem. Sicut hodie Monachi et facie-  
dotes Papæ, speciosis suis operibus, quod indies  
Missas celebrant, multum orant, cœlibes ui-  
uunt et c. tegunt grauissima peccata, quod perse-  
quuntur uerbum, occidunt innocentes, blasphem-  
ant Christum et c. Non igitur simpliciter da-  
mnat iejunium, sed tale iejunium damnat, quod sic-  
bat operculum maximorum peccatorum.

Ecce ad lites & ad contentionem.

In ieunijs uestris estis religiosi, erga pro-  
ximum autem estis crudelissimi. Nam, sicut ille  
scripsit, uera iusticia compassionem, falsa autem  
indignationem parit. Exempla hodie sunt ob-  
oculos.

Vt audiatur in excelsô clamor uester.

Id est, clamor de uobis. Significat enim quod  
oppresi inopes iniurijs iusticiariorum clament  
ad Deum. Sicut est de sanguine Abel in Genesi,  
et supra cap. 5.

Nunquid istud uocabis iejunium:

Hic uides quantum absint sancti Papistæ à  
Iudeorum moribus, quos hic reprehendit Pro-  
pheta. Religionis arcem ponunt in externis gesti-  
bus, incedunt tristes, et demittunt capita sicut  
iuncus. Est bellissima similitudo. In iuncto nihil  
solidi, nihil firmi est, superficies est mire leuis et  
glabra. Tales omnino sunt hypocritæ, foris sunt  
speciosi,

SCHOLIA.

219.

*Speciosi, intus autem nihil firmi aut solidi est.*

*Saccum & cinerem.*

*Saccus uiliorem uestem, cimis uiliorem sessi-  
onem significat, de more huius gentis.*

*Colligations impietatis.*

*Id est, solue eos, quos tu per iniuriam &  
avaritiam coniecessisti in uimcula, debitores tuos  
scilicet. Porro obseruabis hunc locum. Non ieiu-  
num, non ulla alia, quantumuis sancta & bona  
opera, Deo placere, neglectis caritatis officijs.  
Ideo in Euangelio etiam dicit Christus. Secundum  
simile primo, ut diligamus proximum &c.*

*Carnem tuam.*

*Est insignis ad bona opera exhortatio. No-  
minat enim proximum non fratrem, non patrem,  
qui gradus sunt proximi, sed carnem nostram,  
quam souere & iuuare debemus, Ignavi autem non  
sunt iuuandi, sed cogendi ad laborem.*

*Tunc erumpet quasi.*

*Sunt insigne promissiones, quod etiam in  
hac uita omni bonorum genere misericordes af-  
fluent, sicut dicit. Date, & dabitur uobis. Lumen  
significat felicitatem, pacem, prosperitatem &c.*

*Et anteibit faciem tuam iusticia tua.*

*Bona opera conscientiam tuam confirma-  
bunt. Habebis conscientiae testimonium, quod ne-  
minem laeseris. Sic bona opera, ut Petrus ait, certos*

*E ; faciunt*

## IN ESAIAM

faciunt de uocatione , & liberant à conscientia  
malorum operum inter homines . Neq; enim hic  
uersamur in loco de iustificatione.

Gloria Domini colliget te.

Ex illo testimonio conscientiae tue , & ex  
operibus tuis certus redderis , Deum tibi bene uel-  
le , & probare tua opera . Sic pia mater cum suum  
officium in curandis liberis facit , certo scit , pro-  
bare Deum ihud opus . Sic gloria operum hæc est ,  
quod possumus bona conscientia dicere . Scio hoc  
opus placere Deo . Alia enim fidei gloria est , que  
dicit , Scio me iustum esse sola gracia &c.

Tunc inuocabis .

Promittit etiam in tribulatione certum ali-  
xilium . Nam oratio uiri in fide ambulantis sim-  
pliciter est exaudita .

Si abstuleris de medio tui .

Est amplificatio promissionum . Sicut autem  
supra generaliter ad bona opera cohortatus est ,  
itu hæc specialiter de præparatoribus uerbi intel-  
ligo , quos inhumanius tractabant . Si abstuleris de  
medio cathenam , hoc est , si desieris prophetas me-  
os affligere , et male tractare . Item si desieris ex-  
tendere digitum , id est , ridere meos ministros &  
conuicijs incessere , & si effuderis animam eſuria-  
enti , id est , saturaueris eum , orietur in tenebris  
lux tua , id est , abundabis omnibus bonis . Est enim  
promissio

S C H O L I A .

220.

*promissio felicitatis & bonæ conscientiæ.*

**Implebit splendoribus.**

*Hebraice est, implebit in ficeitate, id est,  
abunde te in calamitate consolabitur.*

**Aedificabuntur in te deserta .**

*Non solum tu consolaberis, sed eris felix in  
omnibus tuis factis. Multos iuuabis, multis prode-  
ris &c. Sic Naaman Syrus seruat suum populum.*

**Fundamenta iacies quæ sunt perpetua.**

*Salutaria & duratura constitues, siue in po-  
litia, siue in Ecclesiis.*

**Et uocaberis ædicator sepium.**

*Sepes significat more Hebraico reliquias.  
Omnibus proderis, tam Ecclesiis quam politijs,  
quas constitues. Sic pius homo est probatus & in-  
structus ad omne bonum opus.*

**Si auerteris pedem à Sabbatho .**

*Sicut antea iejunia Iudeorum, ita hic etiam  
Sabbatha reprehendit, & addit quidnam sit, ue-  
rum Sabbathum agere. Nempe, abstinere à nostris  
operibus, siue proprie malis, siue in specim bonis,  
que nos ipsi sine uerbo Dei eligimus, qualia in  
nostris Sabbathis fuere Missæ, & alijs impij cultus.  
Et Sabbathum glorificabitur cum prædicatur  
uerbum Dei, & diligenter auditur. In hoc enim  
uno officio situs est cultus Dei, ut audiamus uer-  
bum Dei diligenter, et ei per fidē obediamus &c.*

E ♫ Notabis

## IN E S A I A M

Notabis autem pollui Sabbathum operibus, que  
ipsi elegimus. Damnat enim pedem nostrum in  
Sabbatho, hoc est, opera a nobis electa, item uo-  
luntatem et uias nostras.

## C A P V T . L I X .

**R**espondet hoc capite Prophe-  
ta impijs, qui præsentem calamita-  
tem non suis peccatis, sed uerbo Dei  
imputabant. Sicut nunc, postquam  
uerbum Dei doceri cœpit, omnia di-  
scordijs ac cœdibus æstuat. Impij igitur qui uerbo  
aduersantur, Euangelion in causa esse dicunt, sua  
enim peccata non uident. Hoc tantum uident, quot  
calamitatibus mundus prematur. Deus autem sic  
solet, quoties malum aliquod imminent, præmittit  
ceu nuncium calamitatis uerbum suum, ut impij  
ad poenitentiam inuitentur, et pīj patientiam di-  
scant, ut in futuris malis uerbo confirmati consi-  
stant, et non, sicut impij, malis uicti succumbant.  
Sic ante diluvium, Noe, ante excidium Hierosla-  
iem, Christus et Apostoli fuerunt, et nunc nostro  
seculo ante Turce aduentum, et terribilem iudi-  
cij diem Germaniae purum Euangelium contigit.  
Porro ordo huius capitis hic est.

Dicit causam præsentium calamitatum esse,  
non suam

non suam doctrinam, sed peccata populi. Et addit peccatorum catalogum eorumq; poenas. Tandem consolatur bonos, & addit promissionem futurum ut illæ calamitates finiantur, non propter aliquod populi meritum, sed quod Deus ipsorum sit misericordia, sicut in Psal. Propter nomen tuum Domine propitiatus es peccato meo &c.

**Ecce non est abbreviata.**

Vellet quidem Deus uos iuuare, & posset quoq; sed uestra peccata faciunt, quo minus id faciat.

**Manus enim uestræ.**

Est catalogus peccatorum. Primum est, quod sunt homicidae, Interfecerunt enim sanctos Prophetas, sicut nostri hodie.

**Non qui inuocet iusticiam.**

Non docent iusticiam Dei, sed suam. Idem significat per uerbum iudicandi.

**Conceperunt laborem, & pepere runt iniquitatem.**

Sic solet hypocrisis. Habet speciem parturientis, sed nascitur ridiculus mus. Quantumuis enim se fatiget Monachus, frustra tamē sunt omnia eius studia & opera, quia confidit in nihili, & in vanum Idolum sui cordis.

**Oua aspidum ruperunt.**

Est figuratus morsus in studia hypocrita-

E S rum,

## IN ESAIAM

rum, sicut Matth. 3. genima uiperarum vocantur. Neq; enim quisquam ita acerbe iudicat & sentit de alijs, atq; ij, qui sunt dediti studijs et operibus humanis. Tegunt enim hypocrisi uirulentia iudicia, & seu odia sua, seq; iustificant, tanquam horum criminum non sint rei. Propheta igitur ex probrat eis hanc uirulentiam, quid facitis, inquit, cum uestra doctrina, quam ut oua Basilisci rumpatis? hoc est, uestra doctrina facit amarulentissimos homines, qui nihil sciunt, quam alios iudicare, calumniari & persecui. Hoc qui non intelligit, inspiciat hodierna exempla. Sancti patres in monasterijs, & eximis domini Doctores in Scholis, tantum non carnifices bonorum sunt. Talis est totus Papatus, & tamen nunquam de hac crudelitate poenitent, sed securi missas & impios suos cultus exercent, ut ex his aliquam sanctitatis lassitudinem colligant.

## Telas aranæ texuerunt.

Opera eorum splendent, & habent magnam speciem sanctitatis, Reuera autem sunt telæ aranearum, hoc est, uenenata & inutilia opera. Sicut enim telæ aliquam speciem texture habent, sed inutiles tamen sunt ad uestitum. Ita opera, quibus iusticiam parare impij homines cogitant, uana & inutilia sunt. Perinde autem in iudicio diuino suis operibus seruabuntur hypocrite, sicut à uento & frigore

*frigore defendetur is, qui ueste ex aranearum telis  
confecta utitur. Est mire illustris figura.*

**Q**ui comederit de ouis.

*Si quis doctrinam ipsorum amplectitur, pe-  
nit. Est enim impia & falsa. Si eam accusauerit  
aliquis, incipiunt furere, & querunt, quomodo  
cum perdant. Hoc enim uult cum dicit, Si conte-  
natur crumpet regulus.*

**V**iam pacis nescierunt.

*Nesciunt qua via perueniatur ad pacem,  
cum uel calamitate uel iudicio Dei terrentur. Et  
nota bene, quod iusticiarij & omnes illi, qui a sa-  
na doctrina recesserunt, non possunt esse certi de-  
ijs quæ faciunt. Sed conscientia ipsorum semper  
trepidat, & incerti fluctuant, non tamen cessant  
sollicitare eos qui diuersum sentiunt, & conantur  
morte alijsq; supplicijs in suam uiam alios tradu-  
cere.*

**P**ropter hoc elongatum.

*Subiicit querimoniam. Apparet autem ha-  
bitum hunc sermonem co tempore, quo Assyrinus  
Iudeam uastabat. Sic autem naturaliter fit, in gru-  
ente calamitate ad religionem conuertuntur ani-  
mi. Queruntur igitur hic, quod tot studijs ac ope-  
ribus, quibus se macerant, nihil neq; meliores  
reddantur, neq; melius habeant. Expectamus lu-  
cem, inquit, id est, putamus fore, ut nostra ieui-  
nia, nostra*

## IN ESAIAM

nia, nostra reliqua studia presentem calamitatem auerant, sed nihil confit. Item, palpamus sicut cæci, id est, nunc hæc, nunc illa instituimus consilia, ut afflictis rebus medeamur. Verum et illa nos fallunt. Sic nihil aliud hic locus continet, quam quæ relas destituti populi diuino auxilio, & laborans tis ut se suis viribus & consilijs seruet & liberet. Quia autem non credunt Deo, ideo omnia eorum consilia falluntur.

**Palpauimus sicut cæci parietem.**

Potest accipi de conscientia, sed ego male accipere de poena, quod in necessitate uaria tentantur consilia, quæ tamen omnia falluntur.

**Impegimus meridie.**

Quanquam uerbum apud Prophetas habent, tamen eo neglecto ad alia uertuntur.

**Rugimus quasi ursi.**

Impij cum uident frustra sua consilia esse, indignantur & murmurant, Eum affectum Propheta hic significat.

**Multiplicatæ sunt.**

Causa calamitatis, Dominus posset & uellet uos iuuare, sed permittit uos diripi propter peccata uestra.

**Conuersum est retrorsum.**

Neq; nostra neq; aliorum peccata arguimus, & nemini quoq; benefacimus per bona opera.

Corruit

**Corruit in plateis ueritas.**

*Qui uerbum Dei pure prædicant, occiduntur. Publice nihil præter humana commenta docentur.*

**Quia non est iudicium.**

*Nemo peccata damnat ex reprobatione, immo iustificant et defendunt ea pro iusticia. Sicut nunc Papistæ non poenitent de tyrannide et crudelitate sua.*

**Quia non est uir.**

*Est Hebraismus. Utuntur enim nomine uiri pro pronomine. Sicut Psal. 73. Confirmasti uirum dexteræ tue, id est, super hoc quod est in dextera tua. Sic hic non est uir, id est, nihil est propter quod populo propitiatus esse possit.*

**Et saluabit sibi brachium.**

*Iam addit consolationem piorum. Mundus impijis abundat, et merebatur ut funditus euertetur. Verum ego memor meæ misericordiæ, propter meum nomen, non propter aliquas ipsorum iusticias (nullæ enim sunt) saluabo meos. Sic nunc Germaniæ parcit, quod eam Turcæ et alijs hostibus non obicit, ut suum brachium, hoc est, uerbum suum saluet, quod nusquam alibi tam pure tractatur. Et ipse Christus, cuius nomen petitur, se defendit, nulla ratione nostrorum peccatorum habita.*

Indutus

## IN ESAIAM

**Indutus est iusticia.**

*Scilicet, ad profligandos sui populi hostes,  
ad perdendum Assyrium.*

**Insulis uicem reddet.**

*Sunt omnia accipienda de externis hostibus  
Iudeorum. Docet autem nos hic locus, in calamis  
tatibus, quas peccata nostra meruerunt, unicam  
orandi rationem esse; ut Dominus nomen ex uerbum  
suum, non peccata nostra respicere uelit. Talis est  
oratio Danielis, & multi Psalmi.*

**Et timebunt qui ab Occidente.**

*Ista omnia faciet Dominus, ut se defendat,  
& ut nomen eius narretur in uniuersa terra.*

**Venerit Zion redemptor.**

*Paulus hunc locum paulo aliter citat Rom. 11.  
Est autem hic generalis sententia, quasi dicat.  
Quoties Deus presentem aliquam calamitatem  
tollit, & liberat suos, per uerbum id facit. Paulus  
igitur pro more ex generali specialem facit, &  
hanc sententiam accommodat ad casum Symagoga.  
e. Quasi dicat. Agnosco lapsos & excætatos Iudaos,  
sed nondum prorsus abiecti sunt. Habet  
enim promissiones & uerbum. Quamdiu autem  
uerbum durauerit, & liberatio quoque durabit.  
Gentes reliquis adduntur, & sic fiunt omnes Israël.  
Nam quod dicit, adueniet, non de aduentu  
personæ cuiusdam, aut noui saluatoris est intelli-  
gendum,*

Eendum, sed de spirituali aduentu uerbi & spiritus. Durante igitur uerbo, inquit, durabit & redemptio Israel, quod semper aliqui conuertentur. Satis autem est pro impletione scripture aliquos saltem Iudeos aliquando conuersti. Quod si quis Pauli sententiam sequi etiam hic uolet, is totum caput referet ad redemptionem Christi, & ad execrationem, quae tempore Christi Iudeis contigit:

Fecundus.

Christi passionem & nouum Testamentum.  
Spiritus meus qui est in te.

Paulus acute ex hoc loco colligit redemptionem Israelis, ne totus pereat. Quia enim uerbum Euangeliū in mundo manet, necesse est manere quoq; spiritum, spiritum autem sequitur fides, fidem sequuntur fructus fidei & crux, crucem invocatio, invocationem autem sequitur liberatio. Sic omnibus seculis quidam conuertentur.

Est articulus. Credo Ecclesiā sanctam. & conuenit cum illo Christi. Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Notabis autem hanc Ecclesiā esse, & hoc esse semen uerum, ubi sit spiritus Dei & uerbum. Spiritus prior est in docente, Verbum autem prius est in audiente.

## CAPUT. LX.

Sepius

## IN ESAIAM

**S**AEPius admonuimus, duo Prophetarum esse officia, Alterum ut exhortentur, corrigant & arguant homines sui temporis, atq; ea Legis est prædicatio . Alterum ut prophetent de futuro Christi regno. Propheta igitur cum aliis quot capitibus legis prædicatorem egerit. Iam ad Euangelij prædicationem uertitur . Et prophetat de regno Christi futuro , seu de Ecclesia , uenire in gens lumen, hoc est, uerbum Euangelij de Christo pro nobis passo & crucifixo , quod illuminet omnem hominem uenientem in hunc mundum, tam Iudeos quam gentes . Addit autem quomodo illud lumen tam subito in omnes uulgetur, nempe per ministerium uerbi. Ecclesia igitur mirum in modum multiplicatur, crescit & ornatur , ad quam qui accedunt, seruantur, qui non accedunt, pereunt. Deinde promissiones addit, futurum ut & illi ad Ecclesiam accedant, qui eam sunt persecuti. Nihil igitur agit in hoc capite, quam de Ecclesia.

Est autem magnifica prædicatio Euangelij, quod lucem appellat . Vbi enim Euangelion non est, ibi neq; agnitus peccati est . Vbi agnitus peccati non est, non potest esse iusticia, Vbi non iustitia, ibi nec uita, Vbi non uita, ibi mors, Vbi mors, ibi peccatum, infernus & Diabolus . Et quod dicit,

Dicit (surge) significat, quod à mortuis, inferno & peccatis, per Christum surgamus ad uitam, gloriam & iusticiam. Sunt igitur maximæ res, quas Ratio humana comprehendere nequit, imò offenditur etiam, quod tantus thesaurus in sonum oris sit inclusus. Quare Propheta utitur uerbo ucheiniore, Surge, inquit, Noli morari contemptam speciem uerbi. Noli offendī, quod tam pauci id sequuntur. Noli absurditate illa absterreri, quod iusticiam offert sine operibus, per solam fidem. Hæc enim tria contemptum feciunt Euangelion.

**Quia uenit lumen tuum.**

Emphasis est in pronomine Tuum. Quidam dicat. Euangelium est tuum lumen, non solum ideo quod tibi promissum est, sed quod omnes alij naturaliter id oderunt & abominantur.

**Gloria Domini super te orta est.**

Id est, Res & opes æternæ, æterna iustitia, sapientia &c. Porro continent hæ magnifica commendationes exhortationem, ut diligenter & cum summo studio audiamus uerbum Dei, & discamus, ut comparatione Euangeli, quicquid in mundo magnificentum, pretiosum et illustre est, nobis sordeat, quod in Euangeliō nobis offeratur quicquid est diuinarum opum, imò ipsa quoq; diuina, ut efficiamur filii Dei &c.

**Quia ecce tenebræ operient terram.**

## IN ESAIAM

Amplificat collatione. Quasi dicat. Respice omnes alios, qui hanc lucem non habent, illi nihil sunt quam tenebrae & caligo. Notabis autem hic, quod uocet tenebras ea que mundus seu soles quosdam admiratur, iusticiam carnis, Leges, tam diuinias quam humanas, omnia hominum studia & opera. Quanquam enim mundi regnum sit regnum aliquod, nihil tamen est, si conferas cum regno Christi, quod per Euangelion in nos effundit, quicquid est bonitatis diuinæ. Memineris autem hæc spiritu & fide accipienda esse. Coram mundo enim nihil contemptibilius, abiectius et nocens est Euangelij doctrina.

Super te autem orietur Dominus.

Non Moses, sicut hactenus. Offerit enim Euangelion ipsum Christum, iusticiam, salutem & redemptionem nostram. Simplicia sunt uerba, sed maiora quam ut animus humanus ea possit capere. Vix enim primitias intelligimus.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo.

Hic abrogat totum Mosen, & propagat populum sanctum ultra terminos Synagoge. Lex erat circumscripta certis ceremonijs illius populi, Sed hoc lumen longius diffundetur. Necesse igitur est aliam doctrinam esse, quam legis doctrina fuit. Lumen quidem non est gentium, & tandem dicit, quod gentes in eo ambulabunt.

Omnes

**Omnes isti congregantur tibi.**

Significat quod Euangelion per totum or-  
bem iuuulgarbitur. Quare non possunt hæc ad li-  
teram corporaliter intelligi.

**Multitudo maris.**

Sic uocat multitudinem gentium colentium  
maritima loca & Insulas maris Mediterranei.

**Madiam.**

Madiam est uersus mare rubrum. Ephæ au-  
tem pars Arabiæ felicis. Significat autem fore, ut  
ille gentes accedant ad Ecclesiam per prædica-  
tionem Euangeli.

**Omnes de Saba uenient.**

Quanquam non omnes crediderunt, tamen  
ad omnes peruenit Euangelion.

**Aurum & thus.**

Generaliter ista accipio, Id est, facultates  
suas conferent ad iuuandam Ecclesiam.

**Laudem Domino annunciantes.**

Hoc est sacrificium Christianorum, Lauda-  
re Deum, confiteri Euangelion, docere alios &c.

**Omne pecus Kedar.**

Id est, Conferent & illi facultates suas ad  
iuuandam Ecclesiam. Ideo autem pecora nominat,  
quod illi pecuariam colerent. Porro Cedar &  
Nabaioth sunt Arabiae partes.

**Offerentur super placibili altari meo.**

## IN ESAIAM

Ara est Christus. Sacerdotes sunt qui doceant  
Euangelion, illi occidunt et mactant quicquid est  
magnificum in mundo, iusticiam et sapientiam  
carnis. Est quoque aliud sacrificium priuatum, quo  
unusquisque uesterem suum hominem mortificat per  
fidem.

Domum maiestatis meae glorificabo.

Sicut Paulus, Templum Dei intra uos est,  
Id est, ornabo Christianos meos uarijs donis Spi-  
ritus sancti, sicut sunt, bona conscientia, item ut  
uiciissim alios docere, consolari, corripere, admio-  
nere possint. Porro haec Christianorum ornamen-  
ta, peccatis, opprobrio, contemptu, alijsque rebus  
sive sunt obruta, ut conspici ab impiis nequeant,  
sicut scriptum est. Non uidebit impius gloriam  
Dei.

Qui sunt isti, qui ut.

Propheta letabundus in iucundissimam ques-  
tionem prorumpit. Bone Deus, inquit, quanta  
Euangelij erit efficacia? quam cito penetrabit  
et peruadet totum orbem? Nos Prophetæ hic  
ceu in angulo quodam de litescimus. Verum tem-  
pore Euangelij unus Apostolus totum terrarum  
orbem replebit. Nubibus autem comparat Apo-  
stolos propter uerbi efficaciam et fructus. Co-  
lumbis comparat propter uelocem cursum, quo  
feruntur ad fenestras suas, id est, ad suum populum,  
ubi auditores inueniunt.

ME

## Me enim Insulæ expectant.

Hæc est causa, quod Euangelion sic currat, quod scilicet afflictæ conscientie sitiant eam doctrinam, cui certo & tuto inniti queant. Sicut nobis accidit, cum premeremur Papæ tyrannide, & perpetuo laborarent conscientiae nostræ in maximis studijs & laboribus nostris.

## Argentum eorum &amp; aurum eorum.

Accipio sicut supra, quod alent & sustentabunt Ecclesiam suis facultatibus, & hoc facient nomini domini, non in suam gloriam, sed ad agendas gratias Deo. non ad iusticiam impetrandam, sed ad testimonium gratitudinis.

## Et edificabunt filij peregrinorum.

Ecclesia etiam inuitis tyrannis multiplicatur. Sic Augustinus, Hilarius, & alij peregrini Ecclesiam mirabiliter iuuerunt. Muri enim Ecclesiæ sunt non lignum & lapides, sed boni pastores & Episcopi, qui curant ut Ecclesia sit munifica uerbo Dei, contra hæreticos.

## In indignatione mea percussi te.

Hactenus descripsit Ecclesiam, qualis intus & in spiritu sit, iam quoq; externam speciem describit, quod scilicet sit uestita ueste, quæ uocatur ira Domini, Ut mundus dicat, Hic populus non habet deum. Est autem hæc Christianorum sapientia, quod possumus credere, nos habere Remissio-

## IN ESAIAM

nem peccatorum, et fauentem Deum, sub et in  
ipsa ira, et sic retinere uerbum in grauissimis  
tentationibus, nec sinere nobis illud excuti e ma-  
nibus et corde, quantumcumq; Sathan et mundus  
contra nos seuiat.

Et in beneplacito misertus sum tui.

Opponit beneplacitum indignationi. Per-  
cussi te, inquit, secundum externam faciem, sed  
reuera sum tui misertus. Ista enim crux, qua te af-  
fligo, uidetur tibi ira esse. Ego autem praeuenio  
et admoneo te, quod non ideo te percutiam, quia  
te odi, sed ut multiplicem te, ut miserear tui, et ut  
sit occasio maior tui miserendi. Quasi dicat. Nisi  
te percussero non possum tui misereri. Neq; enim  
est uel misericordiae uel gracie locus, extra tenta-  
tiones. Cum autem in temptatione omni auxilio et  
consilio humano destitutos nos esse sentimus, tum  
demum fides uires suas exerere potest, orando,  
postulando, sperando a Deo. Extra temptationem  
autem fides et uerbum sunt ociosa.

Aperientur portæ iugiter.

Promittit summam securitatem, ut quanquam  
Ecclesia in medio hostium suorum sit posita, ta-  
men sicut secura ciuitas, semper eius portæ pate-  
ant. Id autem ideo debet fieri, ut afferatur ad eam  
fortitudo gentium. Ita enim legi debet. Hoc est  
multitudo et copia gentium. Est enim Ecclesia  
in perpetuo

in perpetuo usu conuertendi alios ad fidem, & uocandi ad poenitentiam. Sic etiam singuli Christiani semper parati sunt instruere, docere, absolvere, consolari alios. Hoc enim per apertas portas significatur. Hic Vuitteberge unam portam Ecclesiæ habemus, per quam quotidie aliqui ingrediuntur & colliguntur ad corpus Ecclesiæ. Eiusmodi passim etiam in alijs urbibus sunt portæ.

Gens enim & regnum quod non servierit tibi, peribit.

Christus in Euangeliō coniungit remissionem peccatorum & retentionem, Item in institutione Baptismi coniungit salutem & condemnationem. Eodem modo Propheta hic per apertas portas remissionem peccatorum omnibus offerri significauit. Eam qui non uolunt, illis retinentur sua peccata & pereunt. Hic igitur uides, quæ sit causa, quod semper Euangelion insigne tumultus seditionum & bellorum, & magna mutationes imperiorum sint secutæ. Impius mundus eas Euangeliō imputat, sed falso. Ipsorum enim qui pereunt culpa hoc accidit, quod scilicet Euangelion persequuntur. Vides enim hic lat. m sententiam, fore ut omnes Euangelij hostes percant. Desinant igitur Euangelij hostes esse, & scrubuntur cum fidi Ecclesia. Ita enim decretum est diuinitus,

F + ut qui

IN E S A I A M<sup>ē</sup>  
ut qui noluerit ingredi, det pœnas.  
Gloria Libani.

Id est, Transferetur in Ecclesiam quicquid  
unquam præclarum Synagoga habuit, Testamen-  
ta, legislatio, promissiones, patres, Christus, iusti-  
cia, uita &c.

Filiū eorum qui te percusserunt.

Est Hebraismus. Sicut dicunt filium mortis,  
id est, moriturum. Sic hic, filii percussorum, qui te  
percusserunt & sunt te persecuti.

Pro eo quod fuisti derelicta.

Talis est Ecclesia cum est in paroxysmo offi-  
cij & ministerij uerbi. Prouocat enim contra se  
eo uerbo mundum & principem mundi Sathanam.  
Notabis autem hunc locum diligenter, con-  
tinet enim articulum, Quod Ecclesia sit mansura  
usq; in finem mundi, & quod maius est, quod sit  
gloriosa mansura, & in summo gaudio. Si autem  
externam præsentis Ecclesiæ faciem consideres,  
diuersum potius iudicabis, & tamen uera sunt, que  
Spiritus sanctus promittit. Paulus & Apostoli  
queruntur se piacula mundi esse. Hodie sunt  
superbia & gaudium seculorum, quos colit,  
laudat & ueneratur Ecclesia. Sic sancti Mar-  
tyres. Idem hodiernæ quoq; Ecclesiæ accidet.  
Non enim mentitur Spiritus sanctus.

Suges lac gentium.

Sigis

Sicut supra. Tractaberis à gentibus sicut filij à matre. Omni genere officiorum & promptissimo animo te prosequentur. Lac & mammas, non regnum & imperia mundi dicit, sed officia quibus Ecclesiam complecentur, quod acent, quod defendent, & iuuabunt fideles.

**Redemptor tuus fortis.**

Significat Ecclesiam secundum externam speciem captam & perditam, ideo promittit se salvatorem & redemptorem fore.

**Pro ære afferam aurum.**

Id est, ex Ecclesia contempta & neglecta faciam gloriosissimam.

**Et ponam uisitationem tuam.**

Prædicatores in Ecclesia illi tam internam quam externam pacem, iusticiam tam diuinam quam ciuilem recte docebunt. Sequetur autem hanc prædicationem fructus. Nullæ audientur in Ecclesia iniuriæ, erunt quieto corde, tum erga Deum, tum erga homines. Laudabunt quoq; Deum, eiq; pro tot ac tantis beneficijs agent gratias. He promissiones bodie implentur nobis uidentibus et sentientibus. Conscientiæ enim nostro Euangelio pacantur. Papista autem sua doctrina conscientias uexant. Docemus quoq; publicam pacem, ut pareant homines magistratibus, ut inimici parcatur. Aduersarij autem nihil cogitant,

## IN ESAIAM

quam ut nos occidant, ut bella ex bellis ferendo,  
publicam tranquillitatem perturbent. Docemus  
etiam ciuilem iusticiam, hoc est, uere bona opera,  
quæ unusquisq; in sua uocatione facit, ut singuli  
suum officium faciant, pater, mater, seruus, ancil-  
la &c. Quæ opera, quia uulgaria & minime spe-  
ciosa sunt, aduersarij neq; docent, nec laudant, sed  
occupantur in electijs studijs ordinum, nestuum,  
precationum &c.

Non audietur ultra in terra iniquitas.

In Ecclesia erunt quietæ & pacatæ mentes,  
Inde etiam pax externa sequitur, silus quoq;  
laudatio occupabit muros, ut sit secura ab incur-  
satione demonum & hæreticorum.

Non erit tibi amplius sol.

Est insignis locus, quo distinguit regnum  
Christi à regno mundi. Illa ciuitas, inquit, muri il-  
li & portæ, de quibus dico, non possunt cerni hoc  
corporali sole lucente, Sed requiritur aliis sol ad  
uidendam Ecclesiam, nempe Euangeliū, quod  
cum radios suos in cor tranfuderit, tum uidentur  
& sentiuntur illa, quæ de Ecclesia magnifice pro-  
misi. Si igitur sentis te contemptum, afflictum, op-  
pressum peccatis, cogita te non in mundi, sed Chri-  
sti regno esse, neq; hunc solem, sed alium quendam  
tibi lucere, Christum scilicet dominum tuum. Sic  
monet se loqui de spirituali luce, & de sole ini-  
sibili,

sibili, quo illuminantur corda per fidem, ut con-  
cipiamus alias species & ideas, quam res præsen-  
tes. Ut hæreamus in ijs etiam, quæ neq; uidentur,  
neq; sentiuntur. Valet igitur hic locus eò, ut in-  
telligamus, Ecclesie regnum longe aliud esse,  
quam politian externam, Nempe in qua clauden-  
di oculi sunt, & est hærendum in radijs inuisibi-  
libus, Quod Ihesus Christus pro nobis sit passus,  
sedat ad dexteram Dei, defendens & gubernans  
nos &c. Alius autem est sol uisibilis, secundum  
quem ratio regit externam hanc uitam. Ad eun-  
dem modum Ecclesiastes distinguit corporalia à  
spiritualibus, & significat se tantum de politicis  
loqui, cum dicit. Vidi omnia sub sole, & ecce ua-  
nitas &c.

Non occidet ultra sol tuus.

Addit hoc ad amplificandam promissionem:  
Sol iste inuisibilis, quo uidemus aliud regnum &  
res alias, non est talis, qui tantum ad tempus du-  
ret. Sic res quoq;, de quibus dico, non solum inui-  
sibles & spirituales sunt, sed æternæ etiam. Mul-  
to autem angustius est cor nostrum, quam ut eas  
complecti & assequi queat, quare in solo uerbo  
promittente hærendum est, ubi in anigmate uide-  
mus ea, quæ post hanc uitam experiemur.

Populus tuus omnes iusti.

Et clarus textus, quod omnes qui sunt in  
ecclesia,

## IN E S A I A M

Ecclesia hoc est, qui credunt im Christum crucifixum, sunt iusti. Sed hic definiendum est, quæ sit illa iustitia. Si enim uitam & mores Christianorum inspicias, multa inuenies quæ te offendent. Sæpe peccant, sæpe errant, sæpe infirmitate franguntur in leuibus rebus, quæ omnia contra iusticiam pugnare uidentur. Iusticia igitur coram Deo est, non hoc uel illud facere aut pati, sed illuminari per Ihesum Christum, & agnoscere atq; scire, quod sit saluator noster, qui sua morte nos à morte & peccatis redemerit. Hæc iusticia in uerbo offertur, & sola fide accepitur, quæ assentitur uerbo, & eredit se iustum esse, morte & merito Christi. Non autem leuis est fides illa. Nam sine diuina uirtute impossibile est Euangelio credi. Et illi etiam, qui iam acceperunt spiritum sanctum, non sine summis laboribus fidem hanc retinere possunt. Ratio est, quod iusticia illa est res inuisibilis, quam non sentire, sed credere tantum debemus. Quia autem caro nostra corrupta est, & sepius labitur in peccata, non si ne magno negotio erigere se animi possunt, ut contra præsentem sensum peccati, se iustos esse credant, non sua iusticia (ea enim nulla est in tot peccatis & tanta infirmitate) sed Christi, qui ideo nobis iusticia factus est, & pro peccatis nostris in cruce satisfecit, quod impossibile erat nobis legem facere.

Sacere. Assuaciendus igitur animus est, ut sciat suam iusticiam extra se, in Christo esse positam. Quomodo enim alias in iudicio Dei consistere poterit, cum nunquam non peccemus? Si peccasti igitur, & mordet te conscientia, hic firma debet esse fides, & per Christum superare peccatum, & dicere. Quanquam ego peccavi, tamen sum iustus, quia habeo lucem, ipsum Dominum, quia habeo Christum nullius peccati reum. Quod autem Christi iusticia tua sit, habes testimonium grauissima. Primo ipsum uerbum Dei, quod dicit Christum pro te mortuum. Deinde habes Baptismum, sumus enim baptisati in mortem eius, quam pro nobis subiit. Habes etiam Sacramentum altaris, in quo claris uerbis, & externo signo confirmat, sum corpus pro te traditum, pro te fusum sanguinem suum esse. Hac igitur est iusticia nostra, qua cum Deo iusti sumus, longissime extra nos, ex parte omnia opera et cogitationes omnes sita. Quare fallimur, si nos uel ex nostris operibus iustos, vel iniustos sentiemus. Fiduci. enim mortis Christi debemus sentire & confitari nos iustos esse. Hoc qui non faciunt, iniuriam faciunt Christo, & statuunt sua peccata maiora esse, quam sit mors & immoroccens passio Christi. item negant uerbum Dei & Sacra menta, gratiae signa. Quanquam hoc uerum est, quantum ad te & ueterem tuum hominem attinet,

## IN ESAIAM

nem attinet, recte dicas te esse peccatorem. Quan-  
tum enim carnis & sanguinis in te reliquum est,  
tantum habes reliquum peccatorum. Quia autem  
baptisatus & illuminatus es per uerbum, secun-  
dum hunc nouum hominem, uere es iustus. Quem  
admodum autem Baptismus, Sacramentum altaris,  
Verbum Dei, imo ipse Christus, res sunt extra te  
positæ. Ita quoq; iusticia tua extra te est posita.  
Non igitur possunt eam priuata carnis nostræ pec-  
cata tollere. Dicit enim Propheta, solem nostrum  
æternum esse, quare & iusticia nostra æterna est,  
nec debet temporalibus peccatis uinci. Non est  
Superbia, dicere se sanctum & iustum esse. Imo  
contrarium dicere, & statuere in corde tuo, quod  
non sis iustus, est negare Christum, & blasphemare  
nomen Christi qui se dedit, ut esset nostra sapi-  
entia, iusticia, sanctificatio & redemptio &c.  
1. Corin. 1.

Huc adhibe antithesin. Ergo omnes qui sunt  
extra hanc lucem, sunt iniusti, tenebrae & caligo,  
quantumcunq; specie operum & uitæ honestate  
splendeant. Fiet igitur ut pereant de terra. Con-  
tra pijs qui hanc lucem habent, hereditabunt ter-  
ram. Sic uidemus regna, principatus, sectas muta-  
ri & perire. Christus autem suos discipulos &  
Ecclesiam suam habebit in perpetuum. Sicut est  
in symbolo. Credo Ecclesiam sanctam. Addit au-  
tem quis durationis sit modus.

Germen

## Germen plantationis meæ.

Ego, inquit, colonus ero, qui illum hortum colam. Vides autem hic quæ sit causa, quod necessario pereant sectæ, quod scilicet hoc colono ca-reant. Vides item, quare necesse sit Euangelion & Ecclesiam durare usq; ad finem mundi, contra Sathanæ, mundi & hæreticorum furorem, quia Deus eam colit.

Minimus erit in mille.

Sic primum ab Apostolis constituta Ecclesia est, quæ in infinitam multitudinem excreuit. Sic singuli fideles Parochi, quotidie multos ad fidem conuertunt.

Ego Dominus in tempore eius &c.

Necessario hic additum est. Quia enim Deus has opulentas promissiones in nudum uerbum conclusit, non creduntur ab infirmis animis tempore crucis, quando est subeunda mors uel aliud malum, propter confessionem fidei. Deus igitur consolatur nos, & dicit. Ego Dominus subito faciam istud tempore suo. Quare claudendi sunt oculi, ne externam speciem consideremus, sed hæreamus simpliciter in uerbo, & in spe promissionum subeamus mortem, uel quicquid aliud incommodi est & experiemur, Deum non esse mendacem. Sic Io-hannes Huss, sic alij sancti martyres sunt mortui.

CAPVT

IN ESAIAM

CAPVT. LXI.

**S**uperiore capite corpus & regnum descripsit, iam ipsum regem & caput describit. Quia autem summa religionis in eo ueritur, ut Christum probe habeamus cognitum, debet nobis eò commendatius hoc caput esse. Sub Papa misere impijs opinionibus seducti sumus, ubi in omnibus concionibus Christus tanquam formidabilis iudex nobis proponebatur, & in uero Christi locum substituebatur Maria uirgo, ut esset propitiatrix. Aliter Propheta facit. Definit enim propriissime Christum, quis sit, & que sint eius officia, & addit insigne promissiones pro Ecclesia. Possunt igitur hi loci consolationi esse in tentationibus, immo ex his solis consolationes sunt petenda.

Spiritus Domini super me.

Hoc uerbo, Spiritus Domini, separat se Christus ab omnibus carnalibus regibus & sacerdotibus. Secundo, asserit sibi omnia officia diuina, quod uiuificet, implete, agit et omnia. Hic nulluna peccatum, non mors, non diabolus est, sed regnum Dei. Tertio, confirmat uocationem suam, ad confirmandos imbecilles animos, ut credant Christum omnia quae promittit & facit, promittere et facere Deo patre

## SCHOLIA.

223.

Deo patre uolente & iubente, ne cogitemus Deum iudicem aliquem aut tyrrannum, sed patrem nostrum esse. Quod autem addit.

Ideo unxit me.

Significat se diuinitus constitutum & regem & sacerdotem. Illi enim ungi solebant. Atq; hæc quidem pars definitionis est, quod Christus est spiritu Dei missus, diuinitus constitutus rex & sacerdos. Ne autem putaremus eum carnalem regem esse, addit officia, ad quid sit missus.

Ad prædicandū humilibus misit me.

Contra eos nimirum, qui expectant gloriosum Christum, dicit se esse missum, id est, ministrum, nuncium, uel Apostolum aliquem esse, cui sit mandatum, ut annunciet uerbum humilibus. Quis autem huius uerbi fructus sit, & qui nam sint humiles, iam addit.

Vt mederer contritis corde.

Ad hunc locum facit illud Pauli. Lex est uirtus peccati, peccatum stimulus mortis. Hi enim tres tyranni grauissime humanum cor affligunt & exercent. Propheta in persona Christi a postremo incipit. Ego non sum iudex, inquit, nec legislator, contraria potius doceo, medeor contritis, presto uitam ijs qui mortem sentiunt, qui laborant in agone. Secundo,

Vt prædicarem captiuis liberationem.

G Libero

## IN ESAIAM

Libero à captiuitate, si qui sunt oppressi peccatis, quorum conscientie eluctari non possunt, illos ego liberabo & redimam, ut sic peccata non sint peccata. Tertio,

Et clausis apertione.

Id est, ijs qui sunt sub lege uincti, prædico uerbum gracie, & sic eos libero. Hoc meum regnum, hoc officium meum est, in hoc sum uinctus, ut talibus ad sim & succurram. Quomodo? Hoc uero longe difficillimum est, credere quod per nudum uerbum Christus hæc possit facere, qualia sunt in Euangelio. Non mortuus est filius tuus, Dismissa sunt peccata tua. Item, Non estis sub lege, sed sub gratia ergo. Sic uidemus Christum definitive nihil aliud esse, quam Euangelista pauperum, qui laborant in gemitu peccati & mortis, ut dominetur peccato & morti, non solum in se, sed in nobis quoq;. Est autem his locis assuaciendum cor, ut in omnibus afflictionibus ad Christum confugiat, & non tanquam iudicem eum formidet, scut impius Papatus docuit.

Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro.

Annum placabilem uocat tempus gracie seu nouum Testamentum. Vocat autem annum, non diem, ut significet duraturam graciam in perpetuum.

tuum. Coniungit autem diem ultiōnis. Neq; enim possunt pīj liberari, nisi Deus sumat poenam de impijs, Sic pertinet ultio quoq; ad nostram liberationem. Peccatum quoq; & mors destrui non possunt, nisi ante hoc corpus peccati destruantur &c. Porro hic Pauli regula est sequenda, quod uerbum Dei recte debet secari, Annus placabilis ad afflictas & pauidas conscientias pertinet. Dies autem ultiōnis ad induratos & pertinaces contemptores uerbi. Ita autem ferē accidit, territae mentes minas huiusmodi arripiunt, & magis terrentur. Contra impij & securi, qui minis terrendi erant, promissionibus se consolantur, & magis securi redduntur. Adeo in utrang; partem humanus animus nimium est uehemens, & ferē insanabilis.

### Vt lugentes consoler.

Liberati a lege, peccato, morte, coram Deo habent gaudium, in mundo autem pressuram.

### Vt ponerem fortitudinem.

Est copia prophetica, id est, Ego consolabor lugentes.

Et uocabuntur in ea fortes iusticiæ, plantatio ad glorificandum.

Verte. Et uocabuntur arbores iusticiæ & plantatio Domini, in gloriam. Est pulcherrima figura, que continet insignem consolationem,

G 2 quod

## IN ESAIAM

quod Christiani coram mundo contempti , negleti , infirmi , coram Deo sint cœu paradysus & iucundissimæ arbores , quæ de die in diem propagantur , & uberioris prouenant & fructificantur . Mundus habet etiam hortos suos , sed in ijs sunt arbores iniusticie . Ergo non sunt conferendæ cum Christianis . Præterea hoc etiam hæc similitudo significat , quod Christianus non fit , sed nascitur , non paratur humanis viribus , sed plantatur manu diuina . Christus enim hortulanus est , & Christiani sunt opera mæræ gracie , qui per uerbum eradicantur ex horto mundi , & transferuntur de mundo in aliam uitam . Quod autem addit . Plantatio Domini in gloriam , significat sacrificium Christianorum , quod non mactabunt pecudes , sed glorificabunt factorem suum . Sunt enim arbores , in quarum singulis folijs hæc literæ sunt scriptæ . Ago tibi gratias domine , Confitebor tibi domine &c.

Aedificabunt deserta .

Propagabunt Ecclesiam , & alios tam ex Iudeis quam gentibus docebunt . Vocat autem Synagogam desertas ciuitates , quam Pharisei & Saducei impia doctrina misere uastauerant .

Stabunt alieni .

Admittentur ad Ecclesiam , & ad docendi officium etiam gentes .

Vos autem sacerdotes domini uocabimini .

Omnies

*Omnis doctores erunt sacerdotes, qui ma= etabunt gentes, hoc est, per uerbum eos conuer= tent ad Christum. Est magnum præconium mini= sterij uerbi.*

### *Fortitudinem gentium.*

*Bona gentium, sicut supra, id est, quicquid gentes habent, opes, potentiam, eloquentiam &c. conferent, non sicut ante contra Ecclesiam, sed pro Ecclesia.*

### *Pro confusione uestra duplia.*

*Scilicet recipietis. Retribuit enim eis Do=minus primo lætitiam in spiritu. Secundo, conuer=sa gentes etiam corporaliter eos honorant. Sic honorem habuit Paulus Petro, Paulo Timotheus &c. Sic altera lætitia est in Domino, altera in fratribus.*

### *Et robore laudabunt partem eorum.*

*Verte. Et pro ignominia laudabunt in agris suis. Frater enim fratri honorem defert propter inhabitantem Christum.*

### *Ego Dominus diligens iudicium.*

*Insignis Ecclesiæ consolatio contra scanda=la operum & hypocrisis. Iudicat mundus uos in=justos, inquit, & prædicat opera & iusticiam su=am, Verum illa ipsa iusticia mihi est iniusta. Est enim sacrilegium, quo gloria & honos meus mihi eripitur. Sic defuit iusticiam humanam esse*

*G 3      sacrilegium*

## IN ESAIAM

sacrilegium, & iusticiarios dicit reos læse maiestatis diuinæ. Nam iustificare est opus solius Dei. Sicut creatio quoq; solius Dei est. Quia enim peccatores nati sumus, renasci necesse est eos, qui sunt iusti, sicut dicit Christus Ioh. 3. & iustus ubiq; apud Paulum noua creatura & nouus homo dicitur. Iam illi qui operibus uolunt iusti esse, hoc tribuunt suis electijs operibus, quod solius Dei est, nempe quod bona opera possint facere nouam creaturam, & regenerare. Hoc autem est Deo eripere gloriam suam, & ascribere eam humano operi. Id quod hoc loco conqueritur, & appellat holocaustum rapine, quod holocausto tribuant diuinam uirtutem, & eripant Deo gloriam.

Dabo opus eorum in ueritate.

Sunt consolationes contra aduersariorum speciosam uitam. Quasi dicat. Quanquam mundus non iudicet uos Deo gratos esse, & placere, tamen scitote, quod opus uestrum erit in ueritate, hoc est, quod dabitur uobis à me hoc premium, quod nunc auditis promitti. Opus enim premium, seu mercedem significat.

Benedicti à Domino.

Ergo multiplicandi quoq; : Sic promittit Ecclesiæ durationem.

Gaudens gaudebo.

Addit canticum in persona Ecclesiæ. Quia  
enim

enim Ecclesia tam opulentas promissiones habet,  
 & uidet Euangelion uulgari, gaudet in Domino  
 de ueritate, & multiplicatis posteris.

**Q**uia induit me uestimentis salutis.

Id est, fide, qua induita Ecclesia ad salutem,  
 triumphat de peccato, morte, mūdo, diabolo &c.  
 Porro qui est indutus fide, & habet spiritum san-  
 ctum, ille uerus est sacerdos. Ideo sacerdotis men-  
 tionem hic facit. Ita enim debet uerti hic locus,  
 Quasi sponsum decoratum sacerdotali ornatu.  
 Alludit enim ad ornatum Aaronis, qui magnificus  
 & tamen honestus erat. Sicut etiam sponsi ornatus  
 est. Obiter autem hoc quoq; significat, Christum  
 esse sponsum & sacerdotem Ecclesiae. Inde nos  
 quoq; qui fide Christo inserti sumus, qui sumus sa-  
 cerdotes quoad fidem, & sponsi quoad ornatum  
 dona Spiritus sancti. Porro hoc gaudium in spiritu  
 est, quod non cernitur, sed creditur.

**D**ominus deus germinabit iusticiam  
 & laudem.

Id est, multiplicabit Ecclesiam, ita quod  
 ubiq; & apud omnes erunt Christiani. Sic ex  
 Christo fluunt omnia, laus, gratiarum actio, ipsum  
 uerbum, & multiplicatio fidelium, alijq; uerbi  
 fructus.

IN ESAIAM

ERBV M est in magno tum  
odio tum contemptu apud mundum.  
Nam aduersarij persequuntur id ui-  
et dolis. Reliqui qui non persequun-  
tur, tamen uel contemnunt uel ne-  
gligunt, et sequuntur potius sua studia, et qua-  
stum suum. Hæc indignitas grauissime affligit et  
molestat uerbi ministros, ut nonnunquam impati-  
entia tentati, malint prorsus tacere, quam uidere  
tantum uerbi contemptum. Sic Hierc. Factum est  
mihi uerbum in opprobrium omni die. Et Helias  
mauult se occidi a Domino, quam amplius docere.  
3. Reg. 19. Idem Esaias hic passus uidetur. Confir-  
mat tamen se contra eam temptationem, ne peccet  
deserendo uocationem suam. Quanquam, inquit,  
uerbum rideatur ab omnibus, a plerisque etiam  
persecutionem patiatur, non tamen ideo a predi-  
catione cessabo. Ut enim propter impios docere  
non institui, sic nec cessabo quoque propter im-  
pios. Propter Hierusalem, id est, propter bonos  
et pios docere pergam, contemptis impiis illis  
contemptoribus et ceteris. Addit autem insignes pro-  
missiones Ecclesiæ, fore ut Deus eius curam agat,  
eam iuuet et multiplicet, ut det optimos docto-  
res et obedientes discipulos. Tandem hortatur  
etiam ad suscipiendum et amplectendum uerbum  
Euangelij.

DONES

## Donec egrediatur.

Verte. Donec egrediatur sicut splendor iusticia eius, & salus eius accendatur sicut lampas. Scio, inquit, uenturum Christum, qui iusticiam & salutem ipsius afferet, propter eum prædicabo, ut saltem aliqui retineantur in uerbo &c. Coniungit iusticiam & salutem, quia post remissionem peccatorum, quæ iustitia est, manet tamen persecutio & mors, à quibus Christus suos tandem liberat.

Et uidebunt gentes iustum tuum.

Sic apparet salus & iusticia, ut reuelentur etiam gentibus.

## Nouum nomen.

Nomen ante erat, populus Dei in Zion, edclus de Aegypto, populus Israel, semen Abrahæ &c. Erant autem hæc nomina carnalia, facientia ad personas. In novo autem Testamento non sumus Christiani, quia illa habemus quæ Iudei habuerunt, Sed iste uocatur populus Dei, qui credidit in Christum, & habet promissiones future uite. Inde enim appellamur filij Dei, sicut est Ioh. x: Epitasis est quod dicit, Os Domini nominabit: Quasi dicat. Non erit nomen secundum carnem, sed ista res simpliciter pendet ex uerbo & fide.

## Diadema regni.

Id est, eris gloriosum regnum, sed in manus

## IN ESAIAM

Domini, non in manu Cæsar is, aut coram mundo,  
Quia coram mundo est Ecclesia sterlus & lu-  
tum manu Diaboli dissipatum.

Non uocaberis ultra derelicta:

Sunt insignes promissiones de Ecclesia.  
Offenditur autem caro, quod hæc omnia non in re,  
sed in nudo uerbo sunt. Vocaberis, inquit, at nobis  
hoc non sufficit. Mallemus esse, quam uocari hoc  
nomine quod hic ponit (Voluntas mea in ea) Sunt  
igitur spirituales promissiones, quæ sola fide ac-  
cipiuntur.

Habitabit enim iuuenis cum uirgine.

Vehementissimis affectibus persuadere uult  
Ecclesiæ, quod ametur à Deo, non uulgari amore,  
Sed sicut adolescens deperit in pueram, & sicut  
sponsus sponsam complectitur. Sunt enim hi maxi-  
mi affectus, sicut David testatur, dum dicit de filio  
Saulis. Quem amavi super amorem mulierum. Et  
Salomon. Via uiri in adolescentula penitus igno-  
ratur. Non solum autem Christus Ecclesiam amat,  
sed etiam sua bona communicat Ecclesia sicut  
sponsus, & se totum dat Ecclesiæ cum omni iusti-  
cia sua. Si igitur tu habes peccatum, id non am-  
plius tuum sed Christi est, & iusticia uicissim tua  
est. Sic mortem nostram cum uita, infirmitatem no-  
stram cum potentia Christi, infernum nostrum cum  
cœlo commutamus. Fuit autem hæc in abscondito,  
nempe

nempe fide. Si enim externam faciem & mundi iudicium consideres, Ecclesia est meretrix diaboli, & Christiani sunt spurij. Quare referenda sunt ha[m] magnificæ promissiones in uerbum & fidem, & hi amores non sentiendi, sed credendi sunt. Crediti, etiam in medijs tribulationibus, excitabunt infinitum gaudium. Sic locus iustificationis & gracie est iucundissimus, & solus Theologum facit, & ex Theologo iudicem terrarum et omnium negotiorum. Pauci autem sunt, qui cum uel bene meditatum habent, uel recte docent.

### Custodes.

Sunt proprie Episcopi & pastores, qui uigilant in uerbo sano super gregem. Addit autem quod sit boni pastoris officium, scilicet, nunquam tacere de Domino, semper prædicare Christum & eius beneficia, Sicut quoq[ue] mandauit Christus in sua coena. Porro obseruabis, quod summi beneficij loco recitat bonos doctores, quare à nobis quoq[ue] magni sunt faciendi, & haud dubie mundus nunc sibi accersit graue iudicium hoc contemptu ministrorum uerbi.

**Qui reminiscimini Domini ne taceatis.**

Ter hoc repetit, ut significet mundi studium, qui nihil minus potest ferre, quam uerbum Dei. Monet igitur ne taceamus, quantumuis mundus contra

## IN E S A I A M

dus contra sauiat & insaniat, & simul promittit uerbo uictoriā contra mundum & portas inferorum, quod uerbum & Ecclesia sint duratura, impij autem aduersarij perituri &c.

Iurauit Dominus per dexteram.

Addit iuramentum ad confirmandas conscientias infirmas, fore ut ipsi sentiant fructum uerbi quod docent, ut sentiant fructum fidci quam habent. Non est autem possibile, ut impius aliquis uera dona, ueros fructus uerbi & fidei sentiat. Pij sunt qui uerbo eriguntur & confirmantur, quarum cor fide purificatur, & conscientia serenatur, & ædificantur eorum doctrina alij quoq;. Fit autem hoc totum, ut laudent Dominum in atris, in conuentu ad prædicationem. Sic hodie etiam hoc iuramentum sentimus impleri, Falsi fratres iactant uerbum, iactant spiritum & fidem. Fallunt autem seipso, quia rem uerbi & fidei non habent, sed spumam tantum. Id quod uidemus cum ad locum iustificationis uentum est, quem prorsus non intelligunt, quamuis uerba sonare didicrint. Hoc est quod hic dicit, Triticum tuum non dabo cibum inimicis &c.

Transite, transite.

Iam addit exhortationem promissioni. Bonus enim doctor debet esse potens docendo & exhortando. Doctrina autem est ccus dialectica, Theologie,

Theologiae, qua docentur homines de merito ex morte Christi, quod satisficerit Christus pro nostris peccatis in cruce. Exhortatio autem est quasi rhetorica Theologiae, cum dicimus. Nolite terri ab aduersariorum aspectu, qui dicunt uestrum laborem esse irritum, et reddunt uos pusillanimes. Pergite fortiter credendo et docendo, Christus uinit &c.

Portæ iusticie sunt nouum Testamentum et Euangelion gracie. Quasi dicat. Portæ sunt aperatae, Ecclesia docet uerbum remissionis peccatorum, sunt omnia parata, et promisit Deus uerbum non fore inefficax. Transite igitur, amplectimini uerbum &c. Eligite lapides, id est, tollite sandala, curate ut purum retineatis uerbum, Sicut Christus, et Paulus, et Petrus. Attendite a falsis Prophetis. Leuate signum, id est, exercete uerbum, Sitis in assiduo uerbi usu uelut in acie collocati ad resistendum falsis doctrinis.

Ecce Dominus auditum fecit.

Id est, Euangelion est sparsum in totum orbem terrarum.

Ecce salus tua uenit.

Est epiphonema. Siue tenteris per vim, siue per dolum, noli frangi, perge docendo, Ecce, ecce tuus labor non est inutilis, tu uinces, aduersarij tui succumbent, quia salus tua uenit.

CAPVT

IN ESAIAM  
CAPVT. LXIII.

**P**Romissioni & exhortationi pro more subiicit comminationem, ut indurati, qui promissiones negligunt, & exhortationes rident, uel nimis commoueantur, si possint conuerti. Fingit prosopopœiam ut atrociorē speciem reddat. Sunt igitur comminationes, quibus prædictit ultimam Synagogæ uastationem.

**Q**uis est iste, qui uenit de Edom.

Edom significat rubicundum. Sic appellat Synagogam, quod se prophetarum & Christi sanguine commacularit. Bazra significat munitam. Sic erant Iudei muniti priuilegijs diuinis, habebant promissiones, patres &c. Roma. 9. Incipit autem à dubitatione, ut horribiliorem speciem reddat. Quasi dicat. Bone Deus quid uideo in populo meo? Sic significat magnam stragem in Synagoga editam.

**In stola sua.**

Quem uos crucifixum putatis mortuum, ille est iam regnum consecutus, ut poenam de uobis sua mat.

Ego qui loquor iusticiam, & sum princeps ad saluandum.

Instituit dialogismum. Facit enim Christum respondere.

respondere. Ascendo quidem plenus ira & indignatione, non contra te & alios pios. Sum enim piis iustificator & saluator à morte & omnibus malis, ergo ne formides.

**Quare ergo rubrum est indum.**

Si es saluator, quid uult sibi cruenta uestis?  
quare es indutus habitu calcatoris?

**Torcular calcaui solus.**

Poenas sumpsi de incredula Synagoga. Quod autem addit solus, significat Iudeos nullam aliam ob causam sic uastatos, quam ob Christum crucifixum. Hoc peccatum, quod non in Christum crediderunt, & cruciferunt eum, eos ita calcant, perdit & dissipat. Omnia enim reliqua peccata tollerari possunt, contemptus Christi & uerbi tollerari non possunt & sunt irremissibilia. Porro torcular significat calamitatem & cladem perditi populi.

**Dies enim ultionis in corde meo!**

Noluerunt credere prædicenti, ergo experiuntur re, me non fuisse uanum. Noluerunt uitam à me oblatam, ergo morte & omnibus calamitatibus obruuntur. Nota autem quod tales poenas in sui contemptores Christus expetat. Sic nostri seditione, fame, bellis urgentur propter contemptum uerbi, & magis adhuc urgebuntur.

**Circumspexi.**

**Dicit**

## IN ESAIAM

Dicit de passione sua. Cum essem in carne,  
nemo me curabat, nemo suscipiebat, ridebant af-  
flictiones meas. Cum tamen ideo uenisssem in car-  
nem, ut saluarem eos, ipsi autem putauerunt me  
oppressum, sed non sum oppressus. Saluauit enim  
me iusticia mea, nunc igitur regno, et poenas de  
contemptoribus sumo.

### Virtutem eorum.

Quicquid habuerunt, promissiones, testa-  
mentum, legislationem &c. Omnia illa nihil am-  
plius eis prosunt, sed amiserunt ea. Hic finiemus  
caput.<sup>63.</sup>

## CAPVT. LXIII.

**P**Ropheta contristatus ex supe-  
riore sermone de futuro casu populi,  
reflectit animum ab exemplis irae ad  
preterita beneficia Dei, et texit in-  
signe canticum de ueteribus miraculis et benefi-  
cijs Dei, quibus se erigit, et orationem instituit  
pro captiuis in Babylone. Sic utrumque facit, se con-  
solatur illa commemoratione beneficiorum pre-  
teriorum, et laudat simul Dei inexhaustam bo-  
nitatem. Est autem hoc artis, posse in temptationi-  
bus se erigere exemplis gracie et misericordie  
Dei. Sic enim fit in grauioribus temptationibus, non  
uenit

venit in mentem passus Christus, non Petrus uenit  
am consecutus, Sed interitus Sodome, diluuium,  
induratus Pharaon, abiectus Iudas, & similia iræ  
horrenda exempla. Debebat autem contrarium  
fieri. Induratos haec iræ exempla terrere, territos  
illa gracie exempla consolari & erigere debe-  
bant, Sicut Propheta hic facit, qui territus tristis  
iudicio populi Iudaici, se copia beneficiorum ob-  
ruit, ut nihil nisi misericordias & beneficia ui-  
deat. Quod si in iræ exemplis, ante territi, fixos  
habeamus oculos, odium, blasphemia & murmur  
contra Deum excitatur. Ex hac autem beneficio-  
rum recordatione pax erga Deum, & graciarum  
actio oriuntur.

### Miserationum Domini.

Hæc est propositio. Volo loqui de benefi-  
cijs Dei. Quare? quia sum occupatus tristibus ca-  
gitationibus ex interitu populi mei. Idem nobis  
accidit, cum cogitamus de abominationibus Pa-  
pæ, de impietate Turcarum, de ingratitudine mun-  
di. Ex cogitatione enim horum malorum, sicut di-  
xi, nascitur odium Dei & blasphemia, cur hoc &  
hoc faciat & permittat Deus. Aliud autem monet  
David post commemorata uaria beneficia Dei,  
Psal. 107. Quis sapiens, inquit, & custodiet hæc,  
& misericordias Domini uidebit. Quando enim  
intuemur beneficia & misericordias Domini,

H quod

## IN ESAIAM

quod dat solem, pluiam, prouentum annuum fructum, diuitias, uitam, salutem &c. tunc totus mundus fit plenus gratia & misericordijs Dei, sicut dicit Psal. Misericordia Domini plena est terra. Ita sit, ut misericordiae Domini videantur. Inde sequitur Amor erga Deum, et laus. Hæc scire est sapere, dicit Psalmus.

Propheta hic initio generalia beneficia commemorat, in quæ sunt includendæ omnes historię populi illius, quæ sunt descriptæ in Exodo, Iudicium, Iosuæ &c. ubi sunt liberati ex magnis periculis.

Veruntamen filij mei.

Est generale beneficium. Sum eorum salvator, sunt enim populus meus, sunt filii non falsi, id est, Sunt adhuc quidam, qui uere in me credunt, qui non sunt hypocritæ.

In tribulatione ipsorum non est.

Id est, paterno animo, non tribulato seu irato castigabat eos, uirga iudicij, non furoris. Potest quoq; sic uerti. In omni tribulatione eorum ipse est tribulatus. Sicut dicit ad Paulum. Saule quid ME persequeris. Item, Qui uos spernit, me spersnit.

Et angelus faciet.

Sic in Aegypto, & ad mare rubrum per angelum sunt seruati.

Et afflixerunt

**Et affixerunt spiritum sanctum eius.**

Non quod Deus talis sit affectu, sed quod talis sit affectus piorum hominum, qui offenduntur et commouentur ad iram, propter maliciam et in gratitudinem mundi. Sic Moses, sic Aaron fucere contristati. Sic in Genesi. Poenitete me &c.

**Et recordatus est dierum antiquorū.**

Postquam agnoverunt peccatum suum, rediit eum eis in graciam. Ideo autem Mosi potissimum et non Davidis mentionem facit, quod per Mosen legem dederat, et per Mosen tam bona promiserat, quam mala erat minatus. Est hic quoque observandum, quod Deus non nostris meritis, sed sua misericordia mouetur. Dicit enim Deum commotum, non praesenti sed preterito populo, cui promissiones dederat. Faciunt autem promissiones quod nostrae orationes exaudiuntur, et placant Deum. Sicut ubique David orat. Propter nomen tuum Domine propitius esto &c. Sic omnia opera et merita sunt exclusa, et Deus exaudit orantes propter nomen, uerbum, promissionem suam, et propter seipsum, non propter nostram dignitatem. Prodest autem nobis hic locus, ut quanquam simus peccatores, amen speremus Deum nobis futurum, et discatmus quasi contra conscientiam orare, et dicere. Quanquam sum peccator, tamen peccatores non deseris, sed dudis eos sicut promisisti. Hoc

## IN ESAIAM

sisti. Hoc autem longe difficillimum est opus, quod  
sine fide impossibile est.

Vbi est qui educit ex mari.

Ex commemoratione precedentium benefi-  
ciorum, ad orationem se uertit, & orat in perso-  
na populi translati in Babylonem. Mosen dedisti,  
qui maiores nostros per mare rubrum duceret,  
utinam tum quoq; Mosen aliquem capto populo  
mittas, qui eos ex captiuitate tanquam altero ma-  
ri rubro educat. Fuerunt inter illos quoq; multi  
mali, & tamen propter pios, dedisti liberationem,  
idem nunc facias. Sic particulariter accipio hanc  
orationem pro populo captiuo, Non pro Synago-  
ga, que ita cecidit, ut restitui non possit.

Sicut pecus quod descendit in cam-  
pum.

Significat summam securitatem, qua educiti  
sunt ex mari rubro. Sicut autem supra monui,  
Omnia haec recitat ad formandam & firmandam  
quoq; fiduciam, ut eō meliorem orationem possit  
instituere.

Descende de cœlo.

Prouocat Deum ad zelum nominis & glo-  
rie sue, pro seipso, ut ostendat se nolle consentire  
cum tyrannis Babyloniis. Quasi dicat. Si nos peri-  
mus, periclitabitur simul nomen & gloria tua.  
Promisisti enim te huius populi Deum fore. Ergo,  
non hic

non hic populus, sed nomen & gloria tua petitur,  
cum retinentur adeo misere ab impijs gentibus  
captiui.

**Q**uoniam Abraham non scit.

Est bonus locus contra invocationem sanctorum. Nihil enim glossa illa ualet. Abraham ne-  
sciuit nos, scilicet cum uiueret. Imò credidit Abraham, & per fidem sciuit se habiturum posterita-  
tem. Hic disputant Scolastici, an sancti nostras mi-  
serias uideant. Scriptura autem dicit, quod dormi-  
ant. Scimus igitur nos, & sentire debemus, quod  
sint nobis mortui. Quomodo autem Deo uiuant,  
nihil ad nos, neq; enim illa per uerbum nobis sunt  
reuelata. Et satis est nosse, quod sint nobis mortui.  
Non ergo à nobis sunt inuocandi. Unicum refugi-  
um est, non ad sanctos, præsertim mortuos, sed ad  
Deum, qui est pater ab æterno, illi ut maximi pa-  
tres fuerunt, tamen iam cessarunt patres esse.

**Q**uare errare nos fecisti.

Sunt uerba ardenter affectus. Ah Domine,  
quare sinis nos sic errare. Nos hunc affectum non  
intelligimus. Quare priuatiuc accipiemos, ut sit  
sententia. Quia noluimus audire tuum uerbum,  
permisisti nos errare & peccare, sicut fit, pecca-  
tum peccati est pena. Negligentiam in uerbo &  
in oratione, quam principio non animaduertimus,  
Paulatim notabilis transgressio sequitur, donec

H 3 tandem

## IN ESAIAM

tandem consuetudo peccandi fiat, ut sine fine era remus.

### Conuertere propter seruos.

Discernit hic pios ab impijs, saltem propter pios, quorum adhuc multi sunt, parce. Deus enim calamitates propter impios mittit. Quia autem in hac uita pijs inter impios uiuunt, fit ut pijs etiam maximam partem calamitatum illarum ferre cogantur, & e contra, impij fruantur illis bonis, que Deus in mundo dat propter pios. In futura autem uita separabuntur pijs ab impijs, qui ericiatus meritos soli ferent.

### Neq; inuocaretur super nos.

Sic in nos seuiunt, atq; si nullum haberemus Deum. Accusat enim Diabolum & Babylonios, quod sine discrimine in pios & impios seuiant, immo in ipsum Deum etiam, & cultum Dei. Erigitur autem hac indignitate animus, & confirmatur fides, ut fortior & ardentior reddatur oratio.

### Vtinam dirumperes ccelos.

Contemnunt te infirmum Deum, quod sicut mus in antro, ita tu in templo lateas. Age, ostende te augustiorem sedem & locum habere, dirumpe ccelos & descend.

Montes sunt principes & potestates mundi, qui sunt plusquam ferrei & adamantini, cum sentiunt successum. Rursus cum Deus uenit & uisitat eos,

*eos, sunt molliores aqua. Idem in priuatis personis  
hereticorum & iusticiariorum uidemus, cum im-  
parati temptationibus occupantur. Id quod Pro-  
pheta similitudine aquæ calidæ ostendere uoluit.*

*Vt notum fieret.*

*Quasi dicat. Non possunt emendari nisi plan-  
gis, Sicut Pharaō in medio tandem mari inquit,  
Fugiamus, quia Deus contra nos pugnat, Id quod  
ante calamitatem non sentiebat nec uidebat.*

*Cum feceris miracula &c.*

*Verte. Faciendo miracula, que non expectaba-  
mus. Est autem insignis consolatio afflictorum. In  
omni enim opere diuino est primo summa infirmi-  
tas, & extrema desperatio, ut ratio simpliciter  
cōuincatur, nihil neq; consiliij, nec auxiliij restare.  
Quare cum deus tandem liberat, ita liberat ut uo-  
tum & captum humanū superet. Sic cū filijs Israel  
in Aegypto egit, item ad mare rubrum. Nunquam  
enim sperarant, fore ut cum opibus totius Aegy-  
pti egredierentur. Neq; etiam, ut suos inimicos in  
conspictu perire uiderent. Significat igitur Pro-  
pheta fidei naturam cum dicit ( que non expecta-  
mus ) Fides enim expectat ea, que nec uidet, nec  
sensit, & que prorsus sunt incomprehensibilia,  
non secundum substantiam tantum, sed secundum  
magnitudinem & omnes partes, supra quam ora-  
re & petere possumus.*

IN E S A I A M  
Auris non audiuit.

Est definitio fidei generalis, non tantum ad futuram uitam accommodanda, sed ad omnes casus & exempla fidei. Sicut etiam ille ad Hebreos. definit fidem esse expectationem rerum sperandarum. Res autem sperandæ sunt, quas Esaias hic dicit nec audiri, neque uideri, sed simplici fide expetari. Sunt enim semper noui casus fidei, & sine exemplo speciali (Nam generalia exempla non excludimus) Sicut autem semper noua afflictio offeratur, ita semper inexpectata & insperata libera ratio contingit.

Paulus suo more generalem sententiam ad particularem causam commode detorsit. Possunt enim que in genere dicta sunt ad singularia detorqueri sine incommodo generalis sententiae.

Occurristi lætanti.

Ad augendam calamitatem consert tempus calamitatis Babylonica cum feliciore saeculo quo Deus fauebat, iuuabat, exaudiiebat suos. Quondam occurrebas, inquit, tuis iuuando & exaudiendo, ea erant felicia tempora, felices & lati illi erant homines, cum omnia rectissime sic succederent, cum iusticia et pietas inter homines floreret &c.

Ecce tu iratus es.

Pertinet & hoc ad commendationem preteriti saeculi, quod non solum fauerit eis Deus, sed sic ubi

sicubi peccassent, ignouerit quoq; . Sic enim malo accipere , quam de tempore captiuitatis , quod quanquam peccent, tamen aliquando sit eos liberaturus Deus &c.

Facti sumus ut immundi.

Hic incipit alteram partem collationis : Tempus captiuitatis Babylonicæ scilicet. Tam felicia quondam erant sacula, At nunc ita nobiscum agitur, perinde ac si omnes, quotquot sunt, mali sint. Emphasis est in nomine OMNIS. Vocat enim immundos ideo quod tractentur sicut immundi & impij.

Et quasi pannus menstruatæ.

Hoc loco aliquando sumus usi contra iusticiam humanam. Bona quidem sententia est, sed non propria huius loci. Prophetæ enim cum uidet multos bonos viros in captiuitatem abductos, ut ferre, Nchemias, Esras & alij, dolet quod ob malorum impietatem iusti homines diutius in captiuitate detineantur. Quasi dicat. Abrahamo propter quinq; iustos condonasses Sodomam. Hic plures boni sunt, & tamen tu nihilominus cum eis agis, quam si ipsi quoq; impij essent & immundi, Coguntur ferre poenam impietatis, quanquam ipsi sint iusti, perinde atq; si ipsi quoq; peccassent. Hunc affectum captiui populi hic exprimit Propheta. Sunt autem alij loci scripture, qui iusticiam

H 5 humanam.

## IN ESAIAM

humanam damnant. Sicut ille. Domine ne intres  
cum seruo tuo in iudicium. In conspectu tuo non  
iustificatur omnis uiuens. Cum omnia feceritis, di-  
cite, Sumus serui inutiles. Et in Oratione. Dimitte  
nobis debita nostra. Et in Psalmo. Pro hoc orabit  
ad te omnis sanctus &c. Nostra igitur iusticia ue-  
re est polluta. Habemus igitur aliam extra nos in  
Christo, qua sancti & iusti sumus, Phil. 3.

Non est qui inuocet nomen.

Erant quidem in captiuitate multi pij ho-  
mines, qui inuocabant Deum. Verum, inquit, hac  
calamitas captiuitatis, qua premimur, argumento  
est, quod nemo sit qui uere inuocet aut apprechen-  
dat Dcūm, alioqui enim liberaremur.

Abscondisti faciem tuam.

Nihil, inquit, uidemus præter peccata, mi-  
nus, pauores, et terrores. Facies enim Dei duplex  
est. Interna, cum blande in cor nostrum instillat  
uerbum solatij & remissionis peccatorum. Ex-  
terna, quando etiam externas res iucundas largia-  
tur, pacem, successum, copiam omnium rerum, &  
aufert iram, ulcera, famem, pestes, bella &c. que  
sunt Diaboli facies. Sic promittit Mosi Exod. 32.  
Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.  
Hanc Psal. 3. uocat lumen uultus, ex passim lux  
appellatur in sacris literis. Abscondit autem faci-  
em suam Deus, cum ablato uerbo, & beneficijs.

sub 2

suis, lex, peccatum, bella, fames, & alia incommoda remanent.

Domine pater noster es tu.

Hactenus collegit Prophetæ omnia argumenta, quibus & se erigere, & Deum ad iuuandum flectere potuit. Nunc addit epiphonema, quid multis uerbis est opus? tu noster es pater, fides nostra in te haeret, quanquam hæc rerum facies & sensus nobis dicit te iratum esse nostris peccatis &c.

Nos uero lutum.

Vrget promissionem. Tu promisisti te fore nostrum sigulum. Fuius uiciosum lutum, redigisti igitur nos in massam. Age, refinge & libera nos. Alio qui uidebimur non lutum tuum esse, sed sterius platearum.

Respice, quia sumus populus tuus.

Hæ sunt ultimæ lachrimæ. Non habes aliud populum præter nos, tuum igitur nomen & gloria tua periclitabitur, ubi non adiuueris nos: Sic continet hoc caput luctam fidei, que in rotundo circulo nihil aliud sentit nisi iram, & tamen per rumpit, & credit non perpetuam fore iram. Sunt autem necessaria huiusmodi exempla in tentationibus. Est enim summa ars, posse hic prudentem esse, ut sentiamus presente ira & afflictione, iram tantum singulari. Caro enim simpliciter secundum sensum

IN ESAIAM  
sensum & externam simulationem pronunciat,  
nec potest se erigere contra sensum.

Civitas sancta facta est deserta.

Civitatis & templi meminit, non propter ligna & lapides, sed quod uerbo Dei essent fundata, & quod Deus se ei loco per uerbum alligasset. Hinc etiam sanctam ciuitatem appellat, non propter populum, sed propter primum & secundum preceptum, quod in ea esset uerbum & nomen Dei. Sic omnis Christianus sanctus est, quanquam in se & substantia sua pollutus sit. Sic templum etiam domum sanctificationis uocat, quod iistic sanctae res gererentur, quod sacrificarent ibi, docerent, psallerent, orarent & reliqua, que sunt uerbi Dei, obirent.

CAPVT. LXIII.

**H**Ic est ultimus Prophetæ sermo, & ultima comminatio de futura uastatione Synagoga tempore Christi, & uocatione gentium. Sunt enim Propheciæ uarij sermones, non uno tempore editi. Sic nos in nostris concionibus, iam fidem, iam caritatem, iam ultimum Christi aduentum docemus &c.

Quæsierunt me qui me non &c.

Videtur

Videtur pugnare locus cum illo Matthæi,  
Primum querite regnum cælorū. Sed non pugnat.  
Querere enim fit dupliciter. Primo secundum  
prescriptum uerbi Dei. Secundo nostris studijs  
& consilijs. Damnatur igitur hic non crassa pecca-  
ta. Nam querere Deum est religioni studere. Re-  
ligio autem est optima omnium humanorum ope-  
rum, sed damnatur ea quoq; quando non nititur  
uerbo Dei. Neq; enim uult Deus nostris studijs  
queri, imo nostris studijs inueniri prouersus non po-  
test. Nos igitur positis speculationibus maiestatis,  
& abiectionis nostris operibus, uerbum apprehenda-  
mus, uel potius uerbo apprehendamur. Neq; ex-  
tra uerbum quicquam de Deo uel dicamus, uel co-  
gitemus, uel audiamus. Deus enim uult primum la-  
pidem ponere, & tum feliciter queritur & inue-  
nitur, cum per uerbum nostra corda pulsat, Sicut  
Paulus inquit. Sequor ut possim comprehendere,  
in quo comprehensus sum. Damnatus igitur hic  
est totus Papatus, & quicquid religionum in  
mundo est præter illam, quæ fide in Christum ni-  
titur. Papa enim & Monachi querunt quoq; De-  
um, Sed ubi queso est scriptum, quod Deus uelit  
pro talibus operibus uitam æternam dare? Textus  
enim dicit, qui crediderit in eum, non confunde-  
tur. Non qui se texerit cucullo, qui Missas cele-  
bravit &c.

Inuenior

IN E S A I A M  
Inuenior à non quærentibus.

Id est, sum inuentus à gentibus, quæ nullum studiū habebant querendi dei, quia erant sine uerbo. Sic non solum damnat opera & studia religiosorum, sed etiam se ultro offert pessime uiuentibus. Id quod cogitur facere tum propter malitiam hominum, tum propter suam bonitatem. Malitia est, quod Iudei uerbum & Prophetas contemnabant, & prouocabant Deum in non deo. Ipse igitur uicissim eos prouocat in populo non populo. Secundo bonitas diuina quoq; Deum cogit, ut se ostendat errantibus. Hoc autem facit per uerbum. Sic necessario Iudei propter nimiam religionem reiiciendi, & gentes propter nimiam inanitatem recipiendi erant. Quemadmodum igitur querere dupliciter fit, ita etiam duplex est seruitus. Alia quæ suscipitur à nobis sine uerbo Dei, ea non est Dei, sed diaboli seruitus, quæ fit per mendacium & simulationem. Alia seruitus suscipitur ex prescripto uerbi, ca est, credere uerbo offerenti nobis Christum, pro nobis mortuum, quam sequuntur bona opera etiam foris.

Expando manus meas.

Hæc est causa tam horrendæ ire & comminationis. Vicium non est in Deo, sed in querentibus. Expando manus meas, me offero, benefacio, rogo, comminor, idq; quotidian. Sed rident expandas manus,

fas manus, Prophetas occidunt, & eunt uiam non bonam, secundum cogitationes suas, id est, non secundum uerbum meum, non solum obmissive, quod non credunt uerbo, sed etiam positive, quod diuersum à uerbo faciunt.

**Q**ui imolant in hortis.

Hic addit, quæ nam sint uiae cogitationum. Non enim adulteria, aut furtæ damnat, quæ etiam ratio improbat, sed immolationem & sacrificia, quæ siebant illi Deo, qui eos eduxerat de Aegypto, maxima scilicet & sanctissima opera. Quid igitur in istis sacrificijs est uicij? hoc nimurum quod addit, in hortis. Habebant enim mandatum sacrificandi in templo. In hortis sacrificandi mandatum non habebant. Sic nunc in Papatu damnum totum illud uitæ genus, quod præter mandatum Dei sit suscepsum.

**S**acrificant super lateres.

Per Tapinosin uocat aras ipsorum lateres: q.d. Iactatis aras uestras, Verum quid illæ sunt, quam congesti in unum aceruum lateres. Hic obijciunt hypocritæ, Aram templi quoq; nihil esse, quam æs & lignum. Quare facienda differentia est, quod scilicet aræ extra templum, tantum sint lateres. Ara autem in templo non solum est æs purum & lignum purum, sed æs (ut ita dicam) uerbatum & uerbatum lignum, id est, uerbo & diuinna uoce

## IN ESAIAM

na uoce constitutum. Sic templum quoq; habet uerbum, horti sunt sine uerbo. Idem respondemus hodie hereticis nostris, Baptismum non tantum esse aquam, sed aquam cum uerbo. Sic in coena Domini, non est simplex panis et uinum, sed est panis et uinum cum uerbo Dei.

### Qui habitant in sepulchris.

Notat præpostoram diligentiam. Vera pietas ferè friget, sed impietas non aliter atq; ignis in stirpibus ardet. In templo, inquit, non possunt persistere, in petris autem, quas sibi delegerunt, habitant et perdurant.

### Carnem suillam comedunt.

Inter sacrificandum etiam porcinas carnes offerunt, quas in domestico cibo edere prohibitum erat, nedium in sacris.

### Qui dicunt, recede à me.

Præterquam quod sunt impiissimi, sunt quoq; superbissimi, damnant Esaiam et Deum expandentem manus, tanquam immundum, quem ipsi sanctificare, non ab eo sanctificari, quem ipsi docere, non doceri ab eo uelint.

### Erunt fumus.

Hec est peccatum, sicut in Euangelio, misericordiis exercitibus succendet ciuitatem illorum. Has manus et horrendas comminationes riserunt. Est mirabilis breuitas.

Super

SCHOLIA:

Super colles exprobauerunt mihi.

249

Id est, de honestauerunt me. Est autem des-  
titio propriæ iusticie, quod sit contumelia Dei.  
Deus enim tum maxime ignominia afficitur, cum  
nos eum diligentissime colimus, præter uerbum.  
Est autem horribile iudicium, quod sancti in spe-  
ciem, nihil aliud faciunt suis cultibus & operi-  
bus, quam quod de honestant Deum, & eripiunt ei  
gloriam, & sicut dicitur ad Ro. 2., sacrilegium fa-  
ciunt. Sic totus Papatus est sacrilegus.

Hæc dicit Dominus.

Est occupatio. Poterat enim obijci, num in-  
stum perdes cum impio? Non, respondet, Sed  
quemadmodum cum quis infœundam uineam sub-  
uertit, unam tamen aut alteram uitem fructifera-  
relinquit in columem. Sic ego seruabo reliquias.  
Sicut alibi dicitur, Nouit Dominus cripere in-  
stum &c.

Educam semen de Iacob.

Est promissio, qua infirmos consolatur, fore  
ut uerbum & Euangelion semper perduret.

Exunt campestria in caulas.

Verte sic. Erit Saron in caulam gregis. Por-  
to Saron & Carmelus sunt laudatissimi montes  
Iudeæ propter pascuæ. Achor & Rephaim sunt  
valles laudatissimæ. Promittit igitur Allegorice  
Ecclesiæ fore talcm, in qua prædicetur uerbum

## IN ESAIAM

quotidic, ut p̄scantur & multiplicentur fideles  
&c. Armenta sunt pij, robustiores in fide, qui apti  
sunt ad docendum. Greges sunt infirmiores.

Gad. Puto Martem esse. Gadad enim  
Hebraice est accingi. Inde Gad.q.d. latrunculus.

Meni. Puto Mercurium esse, & fuisse  
mercatorum Idolum. Meni enim numerum signifi-  
cat. Huc alludit cum dicit. Numerabo uos ad gla-  
dium.

Pro eo quod uocauit te.

Hec est culpa, cur eos uelit perdere, nempe  
quod uerbum negligunt, & propria deligunt stu-  
dia. Vnusquisq; igitur hoc uitæ genus sequatur,  
quod nouit Deo probari, quamuis contemptum &  
uile sit. Esse seruum, esse ancillam, esse patrem &  
matrem, sunt uitæ genera uerbo Dei constituta  
& consecrata, quæ Deo placent. Monachum fieri  
Deus non probat, quia non mandauit. Sic Missam  
celebrari, suscipere uota, & peregrinationes,  
sunt impia opera, quia sunt sine uerbo.

Propter hæc dicit Dominus.

Iam promissiones addit, quas à populo Iu-  
dæorum ad reliquias & ad gentes transfert. Por-  
ro non distinguo hic inter promissiones spiritua-  
les. Habent enim Christiani promissiones huius &  
futuræ uitæ. Priorum quantumuis modicæ opes, ta-  
men puræ sunt opes, habent enim annexam bene-  
dictionem.

ditionem. Impij in maximis opibus egent, propter additam maledictionem. Decebant autem nobis hæ sententiae proverbiales esse, quibus consolare mur nos in ignominia, penuria, tristitia & afflictionibus, ut diceremus, Dominus dicit. Ecce seru mei comedent, uos esurietis &c. Hac promissione enim fretos impossibile est falli.

### Dimittetis nomen uestrum.

Est Hebraismus, Id est, tam abhominabile Iudæi nomen erit, ut uice grauissimi maledicti homines eo sint usuri, & pessima imprecaturi Iudæi fortunam imprecabuntur.

### Seruos suos alio nomine.

Non amplius nomen Iudeorum celebrabitur, amittetis regnum & sacerdotium, & celebrabitur porro Christianorum nomen, quod benedicitur, & homines eo nomine pro benedictione utentur, sicut dicimus, Utinam uere Christianus sis.

### Benedicet se in Deo Amen.

Id est, in fideli aut uero Deo. Nam Amen adiective accipendum est. q. d. Benedicunt, prædicant, laudant se hypocritæ quoq; sed soli Christiani se benedicunt in Deo Amen, qui fallere non potest. Porro addidit nomen Amen, primo propter scandalum fidei, contrarium enim utrinq; appetet. Nam & piorum benedictio in fide abscondita latet, & latet quoq; impiorum maledictio. Illi

I 2 enims

## IN E S A I A M

enim pios plerunq; opibus, dignitate, gloria &c  
uincunt. Confirmat autem hic nostram fidem. qua-  
si dicat. Nihil dubites de mea promissione, quam-  
uis non uideas benedictionem, et potius sentias ma-  
ledictionem, tamen uere es benedictus in eo Deo,  
qui est Amen, qui non fallet te.

Secundo addidit, in Deo Amen, propter scandi-  
alum obiecti fidei, id est, propter incarnationem  
Christi. Insuperabile enim Iudeis scandalum est,  
quod nos in hominem, eumq; crucifixum credimus.  
Dicit igitur, Iudei offenduntur humanitate Chri-  
sti, nec possunt eum deum credere, quem hominem  
esse uident. Verum uos nolite offendit, non errabit  
a uero Deo, quicunq; suos oculos in Christum de-  
fixerit. Imò non est alia uia perueniendi ad Dei  
cognitionem, nisi in hoc homine, & per hunc ho-  
minem, Christum Ihesum. Sicut ad Philippum de  
patre interrogantem dicit. Philippe qui me uidit,  
uidit patrem meum. Solus enim hic Christus est  
mia & ueritas, extra quem nullum Deum est inue-  
nire. Porro hic locus commendatus debet esse  
Theologo, ne speculationibus maiestatis & ope-  
ribus sapientiae nos desatigemus, quibus nihil est  
periculosius. Quare in unum Christum incarna-  
tum figendi sunt oculi. Hic potest uideri, Deum  
autem nemo uidit unquam.

Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ  
priores.

Est

**E**t insignis hic locus, qui ualeat ad alios fratres intelligendos, ubi Prophetæ de regno Christi loquuntur, tanquam de futura eterna uita. Sic autem se res habet. Regnum fidei & futura uita differunt non ad rem, sed tantum ad modum rei: Sumus enim filii Dei, sicut Iohannes dicit, sed spe, nondum enim apparuit. Nam qui crediderit, is iam habet remissionem peccatorum. Si habet remissionem peccatorum, habet uitam, eamque eternam. Sumus igitur uere in regno uite, iam regnamus, iam sedemus in celis, sumus iam salui facti, sed spe. Vita enim eterna & beatitudo iam tum cœpit, cum Christus transferret regnum Iudeorum, cum iam ex morte resuscitaretur. Quicunque ergo in Christum credit, is iam eam habet & possidet.

Verum inquires, qui fit quod habere hæc tanta bona dicamur, cum tamen non modo non sentiamus ea, sed diuersum potius sentiamus? Respondeo. Dum in hoc corpore obnoxij omnibus malis uiuimus, seruamur ceu in abscondito ænigmate. Hæc enim cutis, qua sumus uestiti, hæc caro, qua sumus onerati, propriæ non pertinet ad regnum Christi, quia est adhuc obnoxia peccato & mortali. Et tamen excolenda, donec exuatur, & dum uiuimus, premenda & oneranda est. Huius igitur cutis & carnis nostræ uicio accidit, quod turbat

## IN ESAIAM

mur nonnunquam, sensu pauidæ conscientiæ, peccati, mortis, Diaboli, inferni & mundi. Neq; pertinet hic sensus ad regnum Christi, sed ad cutem illam, quæ ceu saccus est, in quem tantus thesaurus est conclusus. Absurdum autem fuerit precium thesauri ex facci uilitate, in quo situs est, aestimare. Sed Christi regnum, æterna uita & salus, reposita sunt extra oculos & sensum in solo Christo, in illo uere est salus, pax, uita, etiam si nondum sentiamus illa bona propter hunc saccū, quo sumus induiti. Sic enim Propheta hic dicit, quod Christi regnum benedictionis sit regnum, ergo est quoq; regnum iusticie, salutis & uitæ, contra peccatum, mortem & legem. Est igitur emphaticum quod dicit, Ab oculis meis absconditæ sunt priores angustiæ. Coram oculis Dei res uere sic se habet, sed coram nostris & mundi oculis, nondum sic se habet res, sed durant adhuc angustiæ illæ, & durant donec exuamus hanc carnem. Expectamus tamen in spe, & per fidem iam habemus liberationē. Iam enim illi noui cœli sunt conditi, sed in promissione, Nobis autem nondum sunt conditi, propter ipsum uelamen. Ad hunc modum reliqui loci aliorum quoq; Prophetarum sunt tractandi, ubi non minus magnifice de fidelium corporali uita loquuntur, quam de futura uita.

Creo nouos cœlos.

Illi cœli iam coram Deo sunt creati, nobis tamen propter hanc carnem, in qua uiuimus (sicut dixi) nondum apparent. Notabis autem si regnum Christi & Christianismus extra hos cœlos & terram hanc est, ergo ceremonia & quicquid rerum externarum est, non sunt Christianismus, sed pertinent tantum ad hanc uitam, in qua iam sumus, propter illam carnem nostram. Regnum enim Christi non solū extra hos cœlos, sed extra omnes sensus est. Quandiu igitur hoc carnis facio induit obambulamus, quasi captivi quod uolumus non facimus, & facimus quod nolumus, sicut Paulus conqueritur. Ita enim sumus conditi, dum uiuimus, sensimus peccatum, mortem & infernum. Regnum autem Christi longe aliud quiddam est. Ad illud qui accedere uoleat, necesse est eum ire extra omnes sensus, & transferri eo, ubi non est sensus. Neque enim secundum sensum iudicandum est. Quare si conscientia peccati te accuset, si ponat ob oculos iram Dei, si eripiat Christum redemptorem, non debes ei consentire, sed contra conscientiam et sensus tuos iudicare, Deum non esse iratum, te non esse damnatum. Scriptura enim dicit, Regnum Christi extra sensum esse, quare contra sensum nostrum iudicandum est. Noster enim thesaurus & cor nostrum in pace & certitudine uitæ esse debet, Debet enim cum Christo in cœlis esse. Atq[ue] hoc est

## IN ESAIAM

hoc est gaudium illud, de quo hic dicit, cuius gustum habemus tum cum credimus. Primitiae enim spiritus & gustus regni Christi sunt, non contemplativa uita, neq; ensatiko i raptus, sicut Mo nachi docent, Illi enim plerumq; à Diabolo sunt, sed sunt certitudo fidei, ut possis dicere tum cum sentis peccatum tuum, quod illud peccatum sit tibi remissum per Ihesum Christum Dominum tuum, in quem eredis. Et spiritus primitias sentit, qui cum graui & uehementi tentatione exercetur, Et uicinus est iam desperationi et morti, per spiritum sanctum confirmare se potest, remissa sibi esse peccata, ut sic istos insuperabiles Sathanæ morsus uincat, ne prorsus à peccato absorbeatur. Haec primitias catenus sentimus, quatenus in nobis regnum Christi est. Porro sub peccati regno, hoc est, in carnis nostræ sensu, omnia sunt contraria. Istie enim mors uidetur sine uita, Verbum sine gracia, Lex sine impletione. Sunt autem ea horrenda spectra mortis, quæ oculis nostris obuersantur quamdiu in hac carne uixerimus. Primitie tamen spiritus illa spectra uincunt, quia docent oculos figere in Christum, qui per mortem suam triumphauit de lege, peccato, morte, inferno & Sathanæ.

Non erit infans dierum.

Est ceu antithesis. Hoc aliud erit regnum, quam illud Mosi fuit, Lex enim neminem ducebatur ad perfectum,

ad perfectum, Ergo studium legis, operum, propria iusticie & sapientiae prorsus non prodest. Qui enim in illo legis ludo instituuntur, semper manent pueri, manent in feruili timore, non perueniunt ad hoc gaudium. Ego igitur, inquit, can scholam legis perdam, & instituam scholam gracie, in qua Baptisati, quam primum per fidem Christo incorporantur, sunt sapientes, & habent illos thesauros, de quibus dixi. Non quidem apparent, sed habentur tamen in uerbo per fidem: Notabis autem hanc definitionem, legis discipulos pueros esse. Qui igitur sunt extra Christum, quodiuersus discunt, eò magis sunt pueri, quo sanctius uiuunt, eò maiores sunt peccatores. Sic Monachus centum annorum non est tam prudens, ut cogitet consuram nihil esse &c. Non autem simpliciter damnat cognitionem legis (est enim bona & necessaria in ciuili uita) sed hanc presumptionem, quod putant eam ad iusticiam sufficere. Sic sunt pueri, quos mundus iudicat sanctissimos, optimos, prudentissimos, sapientissimos &c. Est autem hic sententia, quod illi non sint admittendi ad regnum Christi.

### Aedificabunt domos.

Aedificare non est struem lapidum aut lignorum congerere, sed oeconomicas parare, instruere, sugere. Significat igitur ex una Ecclesia decens.

## IN E S A I A M

alias prouenturas, ut ita maior fidelium numerus fiat. Quæ supra de cœlo nouo creando dixit, magis quadrant ad spirituale regnum Christi. Hæc autem magis ad hanc corporalem uitam. Sic regnum Christi est regnum in seipso propter caput quod regnat, nobis autem propter hanc pellem nondum est regnum.

Alieni non habitabunt.

Nemo impius communicat Ecclesiæ fructibus & donis. Soli credentes consolari, instruere, adhortari, docere & se ex aliis possunt. Sic hodie qui magnifice de Euangeliō garrire possunt, quia tamen sine fide (ut ex operibus eorum apparet) sunt, paleas tantum habent, triticum & uerum uerbum non gustant.

Secundum enim dies ligni.

Sicut in Psalmo. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, Impij autem sicut puluis, quem proiecit uentus à facie terræ, & sicut fœnum tectorum peribunt.

Opera manuum eorum.

Id est, permanebunt perpetuo, Sicut in Psal: Et folium eius non defluet.

Electi mei non laborabunt frustra.

Adhibe antithesin. Impij laborant, sed frusta, Impij generant sed frusta, & est maledictus tamb

tam labor eorum , quam fructus laboris . Contra  
pij laborant ita , ut laborem non sentiant , & non  
frustra est labor eorum .

Nec generabunt in conturbatione .

Innuit quod omnia studia , doctrinae , iusticie &  
opera , quae sunt extra & contra uerbum , sint in-  
utilia , & quasi abortus , Da nimer mehr nichts  
rechtschaffens aus wird . Hoc enim propriæ signi-  
ficat :

Antequam clament .

Id est , antequam clamorem finiant . Sicut Mosi  
factum est ad mare rubrum . Est necessaria pro-  
missio pro confirmandis conscientijs , & excitan-  
dis cordibus ad orationem . Quemadmodum autem  
alie promissiones , ita hæc quoq; est abscondita ,  
& fide tantum impletur . Ut autem oratio nostra  
exaudiatur , hoc primum scire prodest , quod su-  
mus in uerbo & regno Christi , non obstante hoc ,  
quod sumus in pelle ista externa , quæ sapit origi-  
nem suam , & seruat odorem peccati , quo est im-  
buta , imò perdata . Hæc autem gloria & consola-  
tio nostra est , quod uerbum nos suspendit extra  
hanc pellem in aliud cœlum . Quare non debemus  
propter peccata nostra uel orandi fiduciam abij-  
cere , uel orationes nostras , tanquam ingratas Deo  
& uanas , contemnere , sed debemus diuersam po-  
tius partem urgere , & dicere , Etiam si reclamat  
conscientia ,

## IN ESAIAM

conscientia, quia Baptismum & Verbum & Sacramentum altaris habeo, ideo pertineo ad regnum Christi, & sum uere os de osse, & caro de carne Christi. Hæc præsumptio & superbia (ut sic uocem) animo concipienda est, non tanquam meritum, sed tanquam gratuitum donum, & tunc gratae & exaudite erunt preter animi, sic instituti. ex confirmati fiducia mortis & meriti Christi.

Sunt autem magna & multæ cause, quæ nos ad orationem hortantur. Vrgemus enim non solum proprijs peccatis, sed incumbunt etiam in nos universa monstra dæmonum & mundi, & uere, sicut Atlas, soli sustinemus pondus cœli, preter priuata nostra peccata, ut sunt infirmitas fidei, & defectus aliarum Christianarum uirtutum. Oratio igitur depellit illa mala, quæ nobis minantur mortem & damnationem. Deus enim qui nobis hic promittit, se nos exauditurum, maior est quam mundus, Sathan & peccata.

Sanctus Bernhardus bene monuit fratres suos, cum in hanc ferè sententiam eos ad orandum inuitat. Ne contemnāt orationes suas, sed sciant, quam primum orare cœperint, omnes suas uoces in cœlo perscriptas esse. Certissimo igitur alterum horum euenturum, ut uel fiant quæ petunt, uel si non fiant, mutentur in melius. Vere ex spiritu sancto Bernhardus hoc loco de oratione monuit. Vere enim fiant

funt quæ rogamus, nisi quod Deus non tam angu-  
ste dat, sicut nos oramus. Vult enim magna dare,  
¶ parua dat gratuito, non rogatus.

Porro optima orandi forma est in oratione  
Dominica, quam ipse Christus nobis præscripsit  
¶ orare iussit. Eam cum oras, ne sis sollicitus te  
aliquid prætermissee, Ipse enim melius eam intel-  
ligere, ¶ extendere ad omnes partes præsentium  
calamitatum potest, quid tu, etiam si longa expo-  
sitione utaris. Non tamen malum est, imo maxime  
prodest, diserte hæc uel illa rogare. Tantum in  
hoc labore mus, ut certus sit animus, non uanam  
orationem fore, et id propter Christum. Si enim  
Christus orandi formam præscripsit, ergo placet  
ei. Si præcepit, ergo delectatur hoc cultu. Si pro-  
misit se exauditum, ergo audiet. Quare assuefa-  
tiamus nos ad hoc Christianum opus, quod nemo,  
præter Christianum potest facere. Tentat autem  
fidem nostram nonnunquam Deus, cum non statim  
dat hoc quod petimus. Discendum igitur est, ut in  
fide expectemus, ¶ non abterriti mora, annexam  
mus orationi nostre hanc uoculam, Amen, certi-  
fore ut aliquando fiant quæ petimus, ¶ fiant ubi-  
rius ac alio prorsus modo, quam nos cogitare pos-  
sumus. Sicut superiore capite dixit, neq; aurem  
audisse, nec oculum uidisse ea quæ contingant  
cordi expectanti Dominum.

Lupus

IN ESAIAM  
Lupus & agnus.

Sicut supra in. XI. qui antea inimici Ecclesie erant, et eā persequabantur, illi conuertentur. Serpens comedet.

Serpentes sunt qui pertinent ad serpentem, hoc est, qui sunt ex patre diabolo, illi non sunt digni, ut fructus terrae comedant, sed edent puluerem terrae, neq; poterunt Ecclesie nocere. Porro hæ promissiones sunt transferendæ in inuisibile regnum Christi. Nam in uita nostra externa contrarium est uerum. Iam sequetur ultimum & pessimum scandalum Iudeorum.

CAPVT. LXVI.

**N** superiore capite damnauit studia electicia populi sui. Iam ipsum templum diuinitus constitutū, adeoq; omnem cultum Dei in lege reprehendit, imò abijcit, & tanquam impium damnat. Est igitur hæc longe grauiissima accusatio, qua damnat etiam ea, que diuino uerbo constituta sunt & diuinæ promissiones habent, ut sic adimat fiduciam etiam in promissiones & in uerbum Dei. Est autem eius rei ratio hæc. Promissionum Dei duo sunt genera. Quædam sunt merae promissiones sine illa conditione addita. At tales

tales promissiones sunt in nouo Testamento, in Christo, quæ pertinent ad uictoriæ mortis et peccati. Tales sunt promissiones factæ Euæ, Abram, Dauidi &c. quæ nullam conditionem habent additam, sed simpliciter promittunt graciam & fauorem Dei. Hæ sunt imponitibiles, sicut Paulus dicit, & irreuocabiles.

Aliæ autem promissiones sunt legales, quæ habent additam conditionalem particulam, si. Ut si feceris hæc, dabo tibi terram &c. Talis illa de templo quoq; fuit. Iudæi igitur in hoc errant, quod ex promissione conditionata, absolutam faciunt. Deus enim promittit staturum templum, si mandata sua seruent, sed non seruarunt mandata. Non igitur templum stabit. Id quod multi loci aperte minantur, præsertim autem in Zacharia & Aggeo & hic in Esaia. Damnat igitur fiduciam in uerbum Dei non recte intellectum, hoc est, fiduciam uere humanam, seu potius præsumptionem in res externas, neglecto uerbo & mandatis Dei.

### Cœlum sedes mea est.

Hilarius hunc locum de maiestate tractauit, neq; id male, quod Deus intra, extra, & ultra mundum sit. Sed huiusmodi cogitationes de maiestate non sine grauissimo periculo ab imperitis agitantur. Quare hic paucis philosophandum est, sicut

## IN E S A I A M

Neut ille monuit, ex flectendi sunt oculi in Christo  
stum incarnatum. Non enim est tutior via, sicut  
sæpe dixi, ad omnes scopulos hereticorum eitan-  
dos, quam manere in Christo incarnato, et in cu-  
nas posito, his lacteis cogitationibus oportet Chri-  
stianum crescere. Maiestatis enim cogitationes  
præcipitant infirmos animos. Quare malo ego  
hunc locum simplicissime accipere. Quod omnia,  
quicquid sumus, habemus, et possumus, à Deo ha-  
beamus. Quare nihil illi à nobis reddi potest, nisi  
simplicissima confessio, omnia enim alia ab ipso  
accepimus. Iam nos diuersum facimus. Id quod hic  
oblique significat Prophetæ. Dissimulamus nos  
omnia à Deo accepisse, et ex Deo mendicum fa-  
cimus, qui nostris operibus habeat opus. Quin re-  
poscimus quoq; meritum à Deo pro nostris studijs  
et operibus. Magna autem ea stultitia est imo  
extrema impietas, iactare meritum, cum non solum  
agendi facultatem, sed ipsum anhelitum, hunc  
quoq; uitæ pulsum à Deo acceperimus. Vult enim  
à nobis non secundam solum tabulam seruari, sed  
etiam primum præceptum, ut agnoscamus quod sit  
Deus noster, cuius nos beneficijs sustentamur, et  
indigemus, Ipse enim nostris studijs non indiget,  
sed proximus noster opus nostro beneficio habet,  
non Deus. Quod si agnoscamus nos omnia à Deo  
accepisse, et in signum illius agnitionis, secunda  
tabula

tabulae precepta faciamus, ut obsequamur parentibus, non occidamus &c. tunc Deo etiam leuissima in speciem opera, propter primum praecptum, placent. Sed id Iudei non faciebant, nullus in eis timor, nulla fiducia in Deum erat, & tamen pro sacrificijs suis & alijs cultibus uolebant iustificari. Reprehendit igitur eos & abrogat, imo abijcit summam religionem a se constitutam. Porro quia hic templum & cultum Iudaicum reputat, clarum est cum summam iusticiam & maximum religionem, qua Papatus nititur hodie, simul damnare. Si enim sacrificia diuinitus instituta, non iustificabant ex opere operato, an non extrema stultitia est, sperare iusticiam ex operibus electijs, sine uerbo Dei, imo contra uerbum Dei institutis?

**Quæ est ista domus.**

Quasi dicat. Ego uolo habitare in cordibus uestris. Vos autem me putatis inter saxa concludi posse. Sic in templo habitare uolo, ut simul in cordibus habitem. Iam cum me è cordibus ejiciatis, nolo quoq; in templo habitare. Ad hunc modum sanctus Stephanus quoq; hunc locum tractat.

**Omnia hæc manus mea fecit.**

Sic dicit ad Monachum qui inflatur suis uigilijs, ieconijs, castitate &c. Vnde quæso habes hoc donum, quod ita uigilare, abstinere, continere

K potes?

## IN ESAIAM

poles? an non ex me? Quid ergo mihi insultas  
cum ijs quæ à me accepisti? Magna stultitia est,  
quam Deus ferre non potest, ut tanquam beneficia  
à nobis recipiat, quæ ipse nobis donauit. Sic  
Psal. 50. Non super sacrificia arguam te &c.

Ad quem respiciam nisi ad pauper-  
culum & contritum spiritu & tre-  
mentem sermones meos.

Hic exponit ubi uelit Deus habitare, quæ uera  
eius sit officina, in qua Deus solet opus suum face-  
re, nempe spiritus contritus. Ergo cum sentitur  
tristitia spiritus, & contritum cor debebamus  
gaudere & lætari. Sed maiora sunt haec, quam ut  
ab animo humano possint credi, tum cum est in  
tentatione. Quid enim sunt ad cor contritū, omnia  
palatia mundi, imò cœlum & terra, siquidem scia-  
des est diuumæ maiestatis? Sic in Psal. Prope est  
Dominus afflictis, & contritos spiritu liberabit.  
Item multæ sunt afflictiones iusti, sed ex ijs omni-  
bus eripit eum Dominus. Non enim potest ueniri  
ad cognitionem Christi, nisi per afflictiones, &  
quando aliquis est afflictus, tunc deum est locus,  
tempus, & spacio iuuandi. Sunt enim afflictio-  
nes uera materia, & nihil illud, ex quo Deus ali-  
quid solet facere. Deus enim in materia priuativa  
non positiva operatur. Quia autem Prophetæ hie  
loquitur de iustificatione, non intelligit corpora-  
les afflictio-

les afflictiones, sed sensum peccati, mortis & conscientiae. Rejicit igitur maxima merita, scilicet templum, & commendat nobis uitam sine lege, offers suam faciem immeritis & indignis, qui non iusticiam, sed peccatum, non pacem, sed terrores conscientiae sentiunt. Ne ergo desperemus, ubi in peccata & graues terrores inciderimus, sed huiusmodi consolationibus erecti credamus tum cune minime sentimus, Deum ad nos respicere, adesse & favere nobis &c.

### Ad trementem sermones meos.

Impij sunt securi, pertinaces & confidentes, sine timore Dei. Pij autem sunt afflicti & pauidi ad uerbum Dei, terrentur lege & minis Dei, cum tamen deberent se erigere promissionibus. Si quis anxie uult haec distinguere. Tremere est habere conscientiam ex lege. Spiritus contritus est, habere & sentire peccatum. Paupertas est, sentire mortem et infernum. Porro respicere est, se ostendere amantem & benignum. Afflicti enim a lege habent ante se dorsum Dei, Huic aspectui hic occurrit Spiritus sanctus, et dicit. Non, Amoue illam speciem. Ego enim te respicio, fauo tibi, non odi te, sicut tu falso putas.

### Qui imolat ouem &c.

Hactenus templum, iam etiam usum & opera templi abiicit. Allegat autem ideo crassa peccata,

K. 2 facere

## IN E S A I A M

facere cædem, canem, aut suillum sanguinem offerre &c. quod hypocrite spiritualia peccata non intelligebant, qualia sunt rapere diuinitatis gloriam, se Deum facere &c. Sacrificare enim erat optimum humanorum operum, & à Deo præceptum quoq; , & tamen dicit non minus ab hominabili esse, si quis sacrificet cum præsumptione operis operati, & ita Deum mendicum faciat, quam si cædem faciat. Non quod Deus sacrificia simpli- citer damnet, sed quia præsumunt, & non tremunt ad sermones eius, quia præcepta negligunt, & graciā aspernantur. Sic minus offendit Deum maximum coram mundo peccatum, quam summa iusticia, & arguit eos esse prophanissimos, qui sunt sanctissimi in speciem. Sic Monachi quoties missam celebrant, grauius peccant, quam si cædem faciant. Est enim blasphemum opus. Sunt magna tonitrua contra iusticiam propriam.

Hæc omnia elegerunt in uis suis.

Acceperant sacrificia à Moſe, ergo non sunt ipsorum uiae? Respondeo. Sacrificia uocat eorum uias, quia ea faciebant neglectis præceptis & uis Dei, hoc est, sine fide & sine timore, tanquam me- ritoria iusticie.

Etiam ego eligam &c.

Sic quærebant ipſi propriam iusticiam. Christus peccatores, Zacheum, Magdalenam, Centuri- onem

onem, latronem, suscipiebat. Metuebant uiolare sabbatum, ipse libere uiolabat, cum omnibus alijs traditionibus. Sic apud nos quoq; factum est. Ab hominabile existimabant monasterio egredi, nunc libere egrediuntur. Illustres corum eligam, rectius uertes, hoc quod horrent isti, Da fur sic schewen, id est, ea libera faciam, que ipsi anxie & cum conscientiae periculo obseruant, ut timeant ubi timor non est, & sint securi ubi maximum est periculum. Sicut in Psal. est.

### Quia uocauit.

Hæc est culpa sicut supra. Ideo hæc uobis aëcident, quia uerbum meum non auditis, pergitis obdurati in uestris studijs & abominationibus.

### Frates uestri.

Qui gloriantur de eodem Deo, uerbo & lege, cum antea satis sitis afflicti, etiam persequuntur uos. Nota quod fratres nostri sunt hostes nostri. Sic Christus à Iuda domestico discipulo proditur.

### Glorificetur Dominus.

Sunt amarulentissimæ Mimeses, quibus prouocant impij homines infirmum in suis membris Christum, et tanquam certissimi filij Dei, insultant pijs ceu damnatis. Sicut nunc quoq; blasphemii homines dicunt, & afflictis insultant, quid clamas? Lutheranorum Christus te iuuabit &c. Huiusmodi blasphemie non possunt diutius dissimulare, sed

## IN E S A I A M

statim eas poena sequetur . Sicut statim à blasphemis in cruce tenebre sunt factæ , & commota terra est .

Ipsi autem confundentur .

Brevis consolatio , sed grauiſſima & letiſſima pro ijs , qui propter uerbum non ſolum odia mulierum uifuent , ſed etiam excommunicantur , ſicut nos hodie . Eſt impleta haec prophecia in nouiſſima uafatione per Romanos . Vbi non ſimplex bellum . ſed ſeditio inter obſeffos erat . Implebitur autem nobifcum etiam hodie , quia uiuimus in iſdem peccatis .

Vox à templo .

Sic legimus etiam in templo contra iudeos pugnatum eſſe .

Antequam parturiret .

Eſt inſignis consolatio Eccleſiae , hoc noſtro ſeculo ualde neceſſaria . Apparet eam ſimpliciter perituram , uerſatur in medijs mortibus & peccatis , ut plane nulla ſpes fit prolis , & tamen promittat , ut priuquam ſe grauidam ſentiat , maximam posteritatem habeat , ſicut ſupra . Sterilis ſum , quis mihi genuit iſtos ? Sic Apoſtoli ſecundum apparenziam externaliæ reliquie & ſees populi erant , & uere oues occiſionis , in breui tamen tempore totum orbem terrarum Euangelij doctrina impleuerunt , Philippus conuerxit Samariam , Paulus priuquam

priusquam Romam ueniret, Christianos istic esse cognouit. Sic nostro sæculo partus est æditus priusquam nos grauidos sentiremus. Ne cogitatione quidem unquam attigimus quæ iam per uerbum euenerunt. Impij quoq; grauidi sunt non ad generandum, sed ad nocendum, pariunt autem frustra. sicut in Psal. 7. & stipulam. Sunt autem hæc etiam ad nostrum affectum accommodanda, quod quiescunt credimus in futurum, id est sterile. Fit autem (sicut in Psal. dicit) nobis dormientibus & securis, priusquam sentiamus dolorcm.

### Peperit masculum.

Non femellam quæ incepta est ad administratōnem, tum corporalium, tum spiritualium rerum, sed non apparet. Nostra enim fortitudo est extra nos in Christo. Nec uidemus nostrum thesaurum, sed habemus cum in solo uerbo apprehenso & credito.

### Nunquid parturiet terra in die una?

Respicit antithesim. Impij Iudæi quoq; sunt prægnantes, sed pariunt stipulam paratam ad incendium. Sic Papatus hodie etiam est grauidus, sed pariet stipulam ad ignem. Sic omnia impiorum consilia sunt abortus quidam. Pij autem pariunt sine dolore, hoc est, habent benedictionem.

### Nunquid ego qui alios.

Varie tractatus locus est, & puto quoq; Hilde-

## IN ESAIAM

rium de maiestate eum exposuisse , quod uis gene-  
randi omnibus diuina uirtute contingat . Ego autem accipio de generatione spirituali per uerbum , quod sint uerba incarnati Dei . q.d. Appareo sterilis , crucifixus , mortuus , nihilominus tamen habeo & ego filios meos , Qui enim alijs tribuo , mihi quoq; relinquam semen . Quia autem separat suam generationem ab alijs , significat generationem in uitam aeternam . Confitetur clausum coram mundo uterum uideri . Apparet enim Christus infirmus , & nihil esse , multo magis autem filij eius tales apparent . Et tamen auditur in uerbo , & fide creditur , quod sit fortis , quod sit suam habiturus Iobolem . Erit igitur cum Ecclesia , & habebit Ecclesiam in columnem usq; ad finem mundi .

### Lætamini cum Hierusalem .

Hic significat cum quibus loquatur , nempe cum afflictis . Omnes qui lugetis super eam , inquit . Ergo facies Ecclesie est lugubris , & non apparet mansura uel paritura .

### Vt sugatis & repleamini .

Fingit nos esse infantes , qui debemus sugere ab uberibus ipsius consolationem . Quid ubera illa sint , nemo intelligit , nisi sit graui aliqua tentatione exercitatus . Debet Ecclesia in mundo manere sub cruce & morte , & tamen debet ubera gloria habere . Ergo nostræ opes & gloria nostra non sunt

sunt corporalia. Quanto enim maior fidei securitas est, tanto plus est gloria & consolationis, in spiritu sancto.

Ecce fluuium pacis.

Est magnifica descriptio pacis, quam Ecclesiæ, loco afflictionum, promittit. Est autem ea pax in uerbo & spiritu, nempe prædicatio Remissionis peccatorum. Nomen fluuij significat perpetuitatem, quod illa pax nunquam deficiet, sicut iusto flumini nunquam deest aqua. Atq; hoc uocat Paulus in Ephe. nosse longitudinem, latitudinem & profunditatem. Collata ad hanc pacem mundi pax, cœn stilla aquæ est, qua desiccata omne malorum genus reliquum est. Christianus autem habet pacatum cor, etiamsi in infinitis malis ueretur.

Ad ubera portabimini. In Ecclesiæ utraq; sunt, ignominia & gloria. Sic sunt etiam persecutores, & qui eam portent in ulnis.

Quomodo si cui mater blandiatur, sic ego consolabor uos.

Sunt summi affictus, quos nemo plene potest animo concipere. Nostrum quidem ploratum intelligimus, quod autem consolatio tam magna sit, non intelligimus, Adeo corda nostra sunt carneâ. Si quis enim in istis temptationibus consolati Deo per uerbum credere posset, ille sentiret cū plus quam patrem & matrem nobis esse. Quid enim quan-

K S tumuis

## IN ESAIAM

tumuis magna et grauis tentatio est , cum ille sic nos amet? Quia autem hanc pacem Ecclesie promittit, significat Ecclesiam grauissimis afflictionibus exerceri. Nos autem afflictionem tantum sentimus et iudicamus ex sensu praesentis mali , consolationem non sentimus. Neque enim ea in sensu est, sed in uerbo et fide . Atque hae Christianorum uictoria et pugna est , pugnare per fidem contra sensum mortis et peccati, et ut maxime sentiamus peccatum, tamen peccato non succumbere, sed credere quod illud per Christi redemptoris mortem uictum, nihil amplius nocere propter Christum possit etc.

### Ossa uestra quasi herba.

Vehementes tentationes medullas ossium etiam exugunt , Sicut saepe testatur David. Sic contra consolaciones uidentur ossa impinguare . Significat igitur , se uelle nos per uerbum consolari et recreare . Adeo omnes nostri thesauri in uerbo solo sunt positi.

### Ecce Dominus in igne ueniet.

Ego accipio de uastatione per Romanos facta, quam describit ex historia Exodi. Nihil tamen prohibet de extremo iudicio intelligere. Prophetae enim sic spectarunt Ecclesiam, ac si iam sit exempta mundo ad cœlestia. Neque enim aliud quam haec pellis , qua uestiti sumus , moratur quominus eternam uitam habeamus .

Quasi

**Q**uasi turbo quadriga eius.

Sic uocat exercitum Romanorum, uel, si refec-  
tas ad ultimum iudicium turbam angelorum.

**O**mnenm carnem.

Videtur Esaias de ijs loqui, qui suo tempore  
uerbum contemnebant, quiq; tempore Christi uer-  
bum erant contempturi.

**Q**ui sanctificabant & mun.

Supersticio non esset supersticio, nisi adderet  
fiduciam, Id hic tangit uerbo sanctificandi. Neq;  
autem supersticio Deum tantum negat, & conte-  
nnit, sed contemnit quoq; proximum, id quod  
significat uerbum purificandi. q. d. Illi sua omnia  
pura et munda iudicant, è contra omnia aliorum,  
œu impura & immunda damnant.

**Q**ui comedunt carnem suillam.

Hac Esiae & Christi temporibus ad literam  
siebant. Allegorice autem adhuc fiunt ab omnibus  
hæreticis, illi comedunt, id est, docent, credunt,  
prædicant, suillam carnem & mures, id est, sua  
electicia dogmata, quæ ipsis placent, quanquam  
uerbo Dei sint prohibita.

**E**go autem opera eorum.

Prophetæ cogitauerunt statim à Christo exhi-  
bito securum Christi regnum. Possunt igitur  
hæc tam de generali totius mundi in ultimo die,  
quam de particulari Iudeorum calamitate &  
restatione

## IN ESAIAM

mystatione intelligi. Ego tamen particulariter accipio de iudicio Euangelij, quod tum Iudeos tum gentes cum omnibus operibus iudicat, & damnat quicquid est religionum, rituum & cultuum, extra Christianismum. Atque hoc initium iudicij est per uerbum, quod mox de facto quoque sicut. Sic tanquam clausurus Propheticam duas iudicij partes proposuit, alteram desertionis Synagogae, alteram uocationis gentium, que durabit usque ad finem mundi.

### Et ponam signum.

Hic addit, quomodo gentes sint uocandae, nemppe per Apostolos, qui colligent omnes credentes ad uerbum fidei et Euangelium. Quia autem reliquias mittit, significat, non corporale regnum fore, alioqui manerent in Hierusalem. Verbum autem ideo signum est, quod nihil de Ecclesia in mundo uidetur nisi uerbum, Nam neque sacramenta quidquam essent, si non haberent uerbum.

### In Aphricam.

Hebraice Phul est. Significari puto Septentrionale latus, ut ferè sunt Assyrii, Parthi. Puto enim cum respicere promissionem Gen. 7. ut Iaphet habitet in tabernaculis Sem.

### Tenentes sagittam.

Puto singularem nationem esse, quales sunt Parthi.

Annunciabunt gloriam meam gentibus.

Apostoli

**Apostoli officium non est aliud, quām praedicare Christum.**

**Adducet omnes fratres.**

**Ecce gentes appellantur fratres sanctorum, propter Euangelij communionem.**

**Donum domino.**

**Ad oblationem Domino. Offerri autem gentes est, conuerti gentes per Euangelium. Per fidem enim occiditur uetus homo, & surgit nouus. Sic Paulus. Sanctifico Euangelion, ut oblatio gentium fiat. Porro si sunt Apostoli reliquie, ergo populus destruitur. Si populus est destructus, ergo non potest esse corporalis Sion.**

**In equis, in curribus.**

**Id est, in uerbo qui enim pedibus eunt, sunt sub lege. Vita autem Christianorum est non in exactione legis, sed in curribus promissionum, portantur enim in uerbo.**

**Quomodo si filij tui.**

**Est tacita abrogatio ueterum sacrificiorum, cum de nouis sacrificijs dicit. Vas mundum appellat uerbum Euangelij, quod sit iucundissima & purissima doctrina. Facit enim puros & iucundos homines. Lex autem polluta est, quia pollutos facit, & à facientibus quoq; polluitur & infirmatur.**

**Assumam ex eis.**

**Nor**

## IN ESATIAM

Non solum sacrificium, sed totum sacerdotium abrogabo. Si enim ex gentibus constituendi sunt sacerdotes, necesse est Moysi legem prorsus interire, quae natos sacerdotes ex una tantum tribu natos habet. Sunt autem hodie sacerdotes, quotquot docent. Levitæ sunt auditores. Quia autem de omnibus gentibus dicit, significat omnes gentes ius sacerdotij habere.

Sicut coelos.

Erit perpetuum sacerdotium, sicut est perpetua futura ea terra, quam in extremo die credabo.

Erit mensis ex mense.

Ritus quoq; et festa Iudaici sacerdotij mutabo. Non erit in Ecclesia distinctio Sabbathi, sed perpetua Sabbathia erunt &c. Sunt autem haec in spiritu et fide. Nam propter hanc pellem carnis nostræ opus est certis quibusdam diebus, quibus conueniamus ad uerbi et sacramentorum tractationem.

Et egredientur.

Fide intramus ad Deum, et sacrificamus. Egridimur autem tum, cum spectamus politicas quæ in mundo fiunt.

Videbunt cadauera.

Hæc pertinent ad Iudeos et omnes alios qui prævaricantur in Christum usq; hodie. Spiritus uidet

*Eis uidet quod sint illi cadavera, quia carent spiritu & fide, prætere a nemo neque uidet, nec credit, sed putantur firmissima corpora.*

**Vermis eorum.**

*Conscientiae morsus, peccati virtus, quod peccatum sentient, & in æternum metuent perpetuum damnationem. Sic concludit Propheta, Qui non volunt credere, illi perdentur. Reliquias autem credentium Dominus saluabit.*

**F I N I S.**

**Deo Christo sit laus in sæcula  
sæculorum, Amen.**

**Levia quædam errata sic corrigito.**

- Fo. 2. funditus tollantur. Fo. 15. fa. 2. Pro eo quod abiecit. Fo. 18. Primo tempore alleuiata est.
- Fo. 21. facie. 2. quibus in spem erigitur. Fo. 23. Imo Carmelum esse et cultissimum agrum. Fo. 24. facie. 2. que cum pietate pugnant. Fo. 25. in ueteri Testamento mactabantur. Fo. 58. qui securi contemnebant. Fo. 50. mortem sibi conscienterunt. Fo. 100. sentit donum Dei. Fo. 113. fœnum arescit. Fo. 115. fa. 2. confert remissionem peccatorum gratis. Fo. 116. fa. 1. plasæ Dei.
- Fo. 137. fa. 2. diripiunt & deprendantur. Fo. 140. fa. 2. inenarrabilem genitum. Fo. 156. non posset consistere. Fo. 167. tantum gloriam meam.



